BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
31 L
13

# ILLVSTRISS. AC R. D. IACOBO SABELLO S. R. E. CARD. AMPLISS.

## SVMMI PONT. VICARIO, Supremoq́; Inquiſitori.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

*Iulius Carrarius Syrenius ſalutem.*

CVM *omnis rerum diuinarum cognitio humano generi vtilis, ac neceſſaria eſt, tum in primis ea, vnde benè beateq́ viuendi ratio ſumitur; hoc eſt, in qua naturæ humanæ uis ac præſtantia, & Dei erga hominem ſingularis beneficentia continetur. Quorum vtrumq́ tantum, ac tàm præclarum eſt; ut haud ſciam, an in vita poſſit aliquid aut maius, aut diuinius reperiri. Nam qui excellentis naturæ ſuæ munus ignorarit, aut quo ſuas actiones referat, prorſus neſcierit; is profectò nihil magni, nihil egregij vnquàm efficiet. Contrà verò qui vtrumque cognitione, & notitia comprehenderit; hunc cæleſtem in humano corpore vitam, quippe ab omni animi perturbatione ſemotam, traducturũ procul dubio exiſtimandum eſt. Quæ cum ipſe mecum aliquando animo agitarem, putaui, me rem idoneam eſſe facturum; ſi ea, quæ in diſputatione, exactiſſimâq́; & longiſſima diſcuſ-*

ſione, inter ſapientes patres Theologos, de Deo, de Creatura, de Christo, de Gratia, de Gloria denique poſita ſunt, ac definita, paucißimis colligerem; ac rei theologicæ cupidis facili, quamuis rudi, ſtylo proponerem. Quæ cum ſint omnia per ſe ad vim hominis cognoſcendam, ad Dei eximiam erga illum charitatem intelligendam, necnon ad eius vitam inſtituendã mirum in modum accommodata; ſunt in primis ad æternam ſalutem adipiſcendam opportuna, atque frugifera; vt potè quæ ad Deum cognòſcendum, & ad illum in omnibus & ſupra omnia diligendum, colendumque hominem excitent, dirigant, impellant. Sunt autem ex catholicis patribus ita per me deſumpta, atque tractata omnia; vt non ſolùm ſtudioſæ iuuentuti, ſed omnis generis hominibus, vel in multas etiam curas diſtractis & occupationes (modò doctrina aliqua, & aliqua literarum cognitione eruditi fuerint, & huc animum intenderint) breuitate, ac facilitate ſua mirificè ſint profutura; & multo temporis compendio ad eam rei theologicæ cognitionem ſint illi venturi; ad quam alias, maximo & temporis, & ætatis ſuæ diſpendio, peruenire vix potuiſſent. Hunc laborẽ meum (qualis qualis ille ſit) in ſummi Pontificis nomine, honeſta quadam ratione ductus, edendũ putaui. Tibi autem Illuſtrißime atque Ampliß. præſul, cum Vicariæ multos iam annos Rom. Pontificum adminiſtrationi operam tuam, etiã infirma corporis valetudine, tua ſumma cum laude, præſtiteris, & nunc quammaximè præſtes; necnon ſanctißimo illi

officio

*officio, quod ad Chriſtianæ religionis, ſanctorumq́ eiuſdem dogmatum tutelam ſanctiſsimè inſtitutum eſt, omni ſtudio, diligentia, fide, prudentia, ac pietate præſis; cuius exacto iudicio, grauiq; cenſuræ hominum omnium (qui Christiana pro feſsione cenſentur) & mores, & ſcripta ita ſubiecta ſunt: Vt quæ à te Vno reiecta fuerint, ab orbe Vniuerſo reijci; & quæ recepta, recipi, & quaſi per te Vnum literatorum mani bus exhiberi ſoleant. Tibi, inquam, poſt ſummum Pontificem, theologicum hoc ex ſanctis patribus per me decerptum, atque elaboratum Promptuarium (in quo, Vt Vtar verbo Magiſtri, ſicubi patrum Vox noſtra inſonuit, à paternis nõ diſceſsit limitibus) offerendum curaui; Vt quaſi per te ſtudio ſorum manibus (ſi chriſtianæ pietati, & ſacræ theologiæ cu pidis, Vt ſpero, profuturum cenſeres) Princeps Illuſtriſs. traderetur. Tuas porrò maiorumque tuorum laudes, atque admi randa præconia epiſtolæ breuitas me prætermittere cogit. Senatores, illuſtriſsimam familiam tuam Principes, exercituum Imperatores, Epiſcopos, Cardinales, & viros alios cum literis, tum armis, imprimis autem Vitæ innocentia clariſsimos innumeros protuliſſe, hiſtoriæ paſsim commemorant. Quin multi etiam ex ea (quod omnes agnoſcunt) ſummi Pontifices prodiere. Honorij duo tertius eius nominis & quartus, Libe rius, & Eugenius Vtrique illius nominis primi, & alij. Quid ſi, coniectura minime contemnenda, Gregorium magnum il lum, in quo cum ingenti ſummaque doctrina Vita admirabi*

*lis ſanctitas decertabat, inter maiores tuos conſtituero? Sed quid ea, quæ procul à nobis abſunt, recenſeo? Nonnè tu Præſul Ampliſs. eruditione, ac vitæ integritate, Gregorij fermè ſplendorem adæquas? maiorum quoque tuorum gloriam nihilo minus, quàm ab ea illuſtreris, tuæ virtutis, tuique, quo fulges, honoris claritate illuſtras. Prætermittere nequeo, quãta inter innumerabiles, & grauiſsimas curas tuas, quibus diſtraheris, ac propè (dixerim) opprimeris; vt potè qui Chriſtiani orbis vniuerſi vniuerſum fermè pondus, tãquam Hercules feſſo Atlante, ſuſtineas; quanta, inquam, quamq́; inſigni animi benignitate, manſuetudine, atque (quantum in te eſt) æquitate Feſulanam tenuiſsimam familiam noſtram tuearis, ac protegas. Quamobrem ego vel hoc vno mirificè tibi deuinctus beneficio, quidquid efficere, aut conari poſſum (quod perquamminimum eſſe cognoſco) me tibi illud omne debere intelligo. Benigno igitur placidoque animo, has vigilias meas, quas Amplitudini tuæ offero, gratæ meæ erga te voluntatis ſpecimen aliquod, non tantum vt ſuſcipias, ſed ſuſceptas etiam, tua auctoritate, quaſi ſummi Pontificis manibus (Multæ enim regum manus) rei theologicæ ſtudioſis, (modò illas ab errore, quod ſpero, immunes inueneris) alacriter vt exhibeas, te ſupplex etiam atque etiam rogo. Si quis autem inconſiderantius ſcribenti mihi fortè error, quod abſit, excidiſſet; illum iam nunc reuoco, damno, abijcioque, & haud illum ſolum, & quidquid hoc volumine continetur; ſed*

*cuncta*

*cuncta etiam dicta & ſcripta mea, quocunq̨ à me tempore edita, vel edenda, non ſolum grauiſſimæ tuæ, quæ eſt Rom. ſummi Pontif. ſanctæque Romanæ Eccleſiæ, à qua diſſentire nefarium eſt; ſed peritiorum etiam catholicorum patrum omnium iudicio, à quibus vt probari laudabile, ita emendari vtile, atq̨ frugiferum exiſtimo, vltrò obſequentiſſimeq̨ ſubijcio. Illuſtriſſ. Tuam Dom. diu nobis incolumem, ſua gratia, Chriſtus vt tueatur, exopto.*

*Bonon. Idibus Nouembris.* 1584.

# CANDIDO LECTORI.

THeologicam facultatem, quam ex ſubiectæ materiæ nobilitate nobiliſsimã, & ex eiuſdem principiorum certa ratione, quæ ſunt articuli fidei, diuinæ ſolidiſsimæq; veritati omnis erroris experti, firmiter innixi (quàmuis immenſum alioquin indagationis ipſa atq; cõtemplationis pelagus exiſtat) certiſsimam eſſe, ac indubitatiſsimam facile agnoſcũt illi, qui vel ſummis eam labris attigerũt. Huius nos diſciplinę ſanctiſsimæ rudimenta, breui hoc, & (quantum per nos fieri potuit) facili compendio coacta (quod idcirco Promptuarium appellauimus, quoniam ad manus promptum illud habere quemlibet theologum maximè deceat) tibi nnnc amice lector benignè proponimus, offerimuſque. Noueris autem, chriſtianæ religionis, quæ in ſacræ theologiæ ſinu alitur, ac fouetur, ſummam, duobus potiſsimùm, Dei videlicet cognitione, necnon eiuſdem charitate, contineri. Nam quemadmodum ſine cognitione amor eſſe non poteſt (inuiſa namq; diligere poſsumus, incognita nequaquam) ita ſi ſine dilectione cognitio, quæ habetur de Deo, fuerit (cum ſicut verum à bono, ita ſummum verum à ſummo bono diuelli nequeat) cognitio illa manca (quãuis alias appareat excellentiſsima) & inanis penitus euadat, neceſse eſt. Multi vero fuerunt doctiſsimi, & probatiſsimi viri; qui vtrumque, hoc eſt, & quomodo Deus cognoſci, & ad quẽ modum à nobis amari poſsit, ac debeat, doctè & luculenter ad modum tradiderunt, docueruntque; ſed qui cum doctrina methodum coniunxerint, id eſt, breuem, & certo doctrinæ ordine ad Dei cognitionem, & amorem ſtratam ſemitam demõſtrauerint, pauciſsimi fuerunt. inter quos abſque dubitatione aliqua Petro Lombardo Pariſienſi Epiſcopo, & Theolo

go

go primas partes patres Scholaſtici tradiderunt. Hic ſanè in libro Theologicarum ſententiarum (quem ita inſcripſit, quòd ex antiquiorum patrum ſcripturis atque ſententijs illum ipſe congeſſerit) & eminentiſsimam Dei naturam (quantum ſcilicet à fideli diuinitus illuminato homine fieri poteſt) & eiuſdem inexplicabilia in creando, & inſtaurando homine beneficia, maxima breuitate, incredibili ordine, ſumma facilitate adeo explicauit omnia, vt ab omnibus Magiſter iure appellari meruerit. Theologiæ namq; hoc eſt, Dei Optimi Maximi arcana myſteria, ampliſsimaq; beneficia, & doctiſsimè aperit, & aperiendo diſcipulorum hoc eſt, theologorum patrum mentes ſimul & voluntates ad Deum, cum omni humilitate piè ſanctéq; intelligendum, atque omni voluntatis ſtudio & reuerentia amandum, & colendum vehementiſsimè excitat, & ardentiſsime accendit. Ad quorum imitationem, multi præſtanti ingenio præditi viri, & in varijs diſciplinarum generibus diligenter ſatis verſati, reperiuntur; qui ſacroſanctæ theologicæ diſciplinæ operam aliquam ardenter nauare percupiant, ſed multis ac varijs curis ita diſtracti ſunt, vt (non dicam) Albertum, Alexandrum, Aquinatem, Scottum, aut alios theologicæ facultatis proceres, ſed neque Petrum ipſum vnum, qui rem tantam, tamque immenſum beneficiorum atque myſteriorum pelagus, quattuor libris pro rei amplitudine, admirabili ordine, ac breuitate doctiſsimè complexus eſt; vel leui ſtudio percurrere queant. Quamobrem eorum nonnulli me ſæpius obnixe rogarunt, quo ſub breuiore compendio, contractiorique methodi ratione ſacræ theologiæ myſteria, ſi non omnia, ea ſaltem, quæ ad rei theologicæ cognitionem cōtemplationemque aliquam maxime neceſſaria ſunt, facili ſtylo perſtringerem. Quorum honeſto ac pio deſiderio (præſertim cum ad hoc ipſum faciendum multi ſubinde generis nobilitate, ac bonarum literarum eruditione inſignes, amici mei me cōpulerint) hoc breuiſsimo

tractatu

trăctatu ſatisfacien dum eſse, operæ pretium exiſtimaui. In hoc autem labore meo arduo admodum, ac perdifficili, Ioannem Damaſc. Vgonem Victorinum, D. Aquinatem, & aliquot alios, ſed in primis petrum ipſum Lombardú. (Non enim abſque Theſeo facinus tantum fuiſſem auſus) dúces & auxiliarios adhibui in quo prætermiſsis penè quæſtionum omnibus (quæ vndique irrepere poterant) anfractibus, catholicorum patrum, in qualibet re propoſita, ſententiam, quam vtriſque vlnis ſemper ſum amplexatus, planè ac dilucidè ita explicare ſtudui; vt quibuslibet rei theologicæ cupidis, licet plurimum occupatis, multum me profuturum ſperem; modo hæc quàmbreuiſsima, & pauciſsima, ex doctis & catholicis patribus deprompta, perſtrictaque, aliqua adhibita diligentia legere non grauentur. Tu interim amice lector, vt bene valeas, atque vtili lectione fruare, ſtude.

# PROMPTVARII THEOLOGICI,

## IVLII CARRARII SYRENII, HIERONYMIANI DE BRIXIA.

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

# Liber Primus.

## *IN QVO DE DEO AGITVR.*

### Theologiæ diuiſio, & Studium.

### CAP. I.

THEOLOGIA *omnis illa notitia dicitur; quæ de Deo, ſub qua volueris ratione habetur; modo ratio illa, ſub ratione, ſiue in ratione deitatis comprehendatur. Eſt autem Theologia triplex, Dei, angelorum, & hominum. Illa, quæ Dei eſt, naturalis (dixerim) eſt tantum: & eſt æterna Dei de ſeipſo comprehenſio; qua ſi careret; aut ei naturalis non eſſet; non eſſet Deus. Eſt autem comprehendere propriè, rem, quantum in ſe cognoſcibilis eſt.*

*exactè cognoſcere. huiuſmodi cognitio, quæ comprehenſio dicitur, Deo peculiaris eſt; & nulli creaturæ conuenire poteſt. Angelorum theologia duplex eſt, naturalis, & infuſa. Naturalem appello illam; quam congenitam, per concreatas ſpecies in ſeipſis habuerunt angeli: quæ ſine dubitatione multo excellentior eſt ea; quam præſtantiſſimi, & naturali ingenio acutiſſimi Philoſophi, quacunque naturali ratione, venati ſunt. Infuſam illam voco; quam in ipſa diuinæ eſſentiæ contemplatione, ſeu viſione angeli perpetuo habere dicuntur; & quam Deus angelis, aut ſuperiores angeli inferioribus reuelatione, ſiue illuſtratione demandant. Theologia hominum triplex dici poteſt, acquiſita tantum, vt eſt illa de Deo cognitio, quam naturali ratione ducti Philoſophi perſpicaciores habuiſſe dicuntur. Infuſa tantum, vt quam de Sanctiſſima Trinitate, & alijs diuinis myſterijs Paulus in tertium cœlū raptus habuit; & quam Apoſtoli omnes, cum fuerunt apud Dominum in via, habuerunt; ſed potiſſimum quando aſcenſo iam in cœlum Domino, miſſus eſt eis, in die Sancto Pentecoſtes, Spiritus Sanctus. de quo (Io. 16.) ait Dominus.* Cum autem venerit ille Spiritus veritatis; docebit vos omnem veritatem. *Acquiſita ſimul, & infuſa eſſe dicitur illa de Deo cognitio; quam communiter habuerunt Sancti Patres, ex iugi ſacrarum literarum ſtudio. Per reuelationem ſanè, & infuſionem traditæ ſunt nobis ſcripturæ ſacræ. vt in ſecunda B. Petri cap. 1. ſcriptum eſt.* Non enim

voluntate

voluntate humana allata eſt aliquando prophetia: ſed Spiritu Sancto inſpirati locuti ſunt Sancti Dei homines. *Ad earum autem intelligentiam, vt ſtudium etiam noſtrum accedat (de communi lege loquendo) neceſſarium eſſe videtur. admonente nos ſaluatore verbo illo.* Scrutamini ſcripturas.

*Reuelationes de diuinis ſecretioribus ſunt; qualia myſteria ſunt, quæ ſacris literis continentur. cum interea per ſtudij diligentiam, multa ſibi ad Dei notitiam comparare homo valeat. poſito (quod in omnibus ſemper intelligitur) diuino auxilio. Ad Rom. 1. inquit Apoſtolus.* Quod notum eſt Dei; manifeſtum eſt in illis. Deus enim illis manifeſtauit. *ad quem modum autem illis manifeſtauerit Deus, ſubiecit idem Apoſtolus inquiens.* Inuiſibilia enim Dei à creatura mundi, per ea, quæ facta sũt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoq; eius virtus, & diuinitas. *Quàm multa de Deo nobis, per effectus, & per ea quæ facta ſunt, antiqui præſtantiores Philoſophi, & in primis Plato, & Ariſtoteles, & eorum aſſeclæ tradiderunt; erudito cuilibet manifeſtum eſt. Quamobrem per eorum, quæ creata ſunt, quæ omnia effectus ſunt diuinæ bonitatis, indaginem; & per eorũ, quæ reuelata ſunt, quæ ex diuina miſericordia prouenerunt, contemplationem; hoc eſt per ſtudium, & diligentiam ſacrarum literarum, probatorumq; in quouis doctrinæ genere ſcriptorum, ijs, qui*

*theologiæ nauare operam intendunt; ſi ad aliquam Dei, qui ſolus vniuerſæ theologiæ ſcopus eſt, cognitionem, peruenire voluerint; contendendum erit.*

## Deus vnus eſt. Cap. II.

DEVS, *quem eſſe, non tantum catholica fide, aut ſanctarum ſcripturarum auctoritate, necnon patrum traditione tenemus: ſed natura ipſa nos docuit, & naturali ratione (vt diximus ſuperiori capite) præſtantiores Philoſophi demonſtrauerunt. Deus (inquam) vnus eſt. Quippè illud verè vnum eſt; in quo aliud nihil eſt; præter id quod eſt. Deus autem (Exod. 3.) de ſeipſo ait.* Ego ſum qui ſum. *Præterea ſi multi dij eſſent; ſimplex eſſentia non eſſent: quoniam & aliquid haberent, quo conuenirent; & aliquid, quo differrent dij ipſi. Adde, quòd aut idem vellent & poſſent; aut aliud & aliud & vellent, & poſſent. Si primum dicas; in ſuprema, & optima natura ſuperfluitatem admittis: Si ſecundum; omnipotentiam negas. Mitto quot, & quanta in rerum creatione, atquè adminiſtratione ſequerentur incommoda; & quantum orbis vniuerſi præclarus ordo perturbaretur. Quamobrem ex multis ad finem Metaphyſicæ de Deo demonſtratis, ex Homero concludens ſubintulit: Ariſtoteles* Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω εἷς βασιλεύς· *quod eſt. Non bona eſt plurium dominatio; ſit dominus*

*Vnus.*

*vnus, ſit rex vnus. Quod in primis fides catholica proteſtatur in Symbolo.* Credo in vnum Deum. *Et Num. 6.* Audi Iſrael, Dominus Deus tuus, Deus vnus eſt. *Et Deut. 32.* Videte, quòd ego ſim ſolus, & non ſit alius Deus præter me. *Cum autem ab vnitate omnis multitudo originem ducat; ſequitur, ſi Deus vnus eſt, vnum tantum eſſe rerum omnium principium.*

## Deus vnus, & trinus. Cap. III.

DEVS *non tantū eſt vnus, ſed trinus eſt etiam. Vnus quidem eſt vnitate deitatis, eſſentiæ, ſapientiæ, omnipotentiæ, æternitatis, immenſitatis, & alijs multis modis. Trinus autem trinitate perſonarum, quæ ſunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Alia namq; eſt perſona Patris, alia Filij, alia Spiritus Sancti. Non eſt tamen pater aliud quàm Filius, aut Spiritus Sanctus. neque Filius aliud eſt, quàm Pater, aut Spiritus Sanctus. neque Spiritus Sanctus aliud quàm Pater aut Filius. quoniam perſonarum alietas & diſtinctio, non eſt penes deitatem, aut eſſentiam; ſed duntaxat penes proprietatem, ſiue originem. Vt quemadmodum Pater eſt Deus, Filius eſt Deus, Spiritus Sanctus eſt Deus; & tamen non ſunt tres dij, ſed vnus Deus. ita Pater eſt eſſentia, Filius eſt eſſentia, Spiritus Sanctus eſt eſſentia; & tamen non ſunt tres eſſentiæ, ſed vna eſſentia. nec ſimiliter*

*liter ſunt tres ſapientiæ, ſed vna ſapientia; nec tres omnipotentiæ, ſed vna omnipotentia; nec tres immenſitates, ſed vna immenſitas: nec tres æternitates, ſed vna æternitas. Non me intereà præterit: Patres nonnullos concedere tres omnipotentes, & tres ſapientes, & alias id genus propoſitiones; ſi verbum ſapiens, vel omnipotens adiectiuè (inquiunt) ſumatur; non autem ſi ſubſtantiuè, quia eiuſmodi nomina adiectiuè ſumpta ſtant (inquiunt) pro ſuppoſitis. Ego autem in Symbolo Athanaſij ita lego.* Similiter omnipotens Pater, omnipotens Filius, omnipotens Spiritus Sanctus; non tamen tres omnipotentes, ſed vnus omnipotens. *Vt quemadmodum vnam dicimus ſapientiam, & vnam omnipotentiam, ita vnum dicere debeamus ſapientem, & vnum omnipotentem.*

## De Trinitate. Cap. IIII.

TRES *igitur ſunt perſonæ diuinæ, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. quas in multis locis vtriuſquè teſtamenti expreſſas habemus. Matth. cap. vlt.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. *& in prima Io. 5.* Tres ſunt, qui teſtimonium perhibent in cælo; Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus. *Et ps. 32.* Verbo Domini cœli firmati ſunt; & Spiritu oris eius

omnis

omnis virtus eorum. *Iſa.6. Seraphin clamant.* Sanctus, Sanctus, Sãctus Dominus Deus Sabbaoth. *Eſt autem (vt dictum eſt) in perſonis tantum trinitas, non in natura; quæ vna prorſus, & eadem numero in Patre, Filio, & Spiritu Sancto exiſtit. Et quoniam à Sanctiſſima Trinitate creatura quælibet ortum ducit; orta autem (vt dicunt Medici) atteſtantur principijs. In omni creatura propterea aliquod eſt veſtigium Trinitatis. Eſt namque in omni, virtus, ſpecies, & vtilitas. in anima, memoria, intellectus, & voluntas.*

## De Patre, & perſonarum proceſsione. Cap. V.

A PATRE *ducunt originem, & Filius, & Spiritus Sanctus. Dixit propterea S. Auguſtinus (4. de Trin. cap. 20.)* Pater eſt principium totius Deitatis. *Eſt autem Pater ſolus principium penitus ſine principio. A Patre ſimul, & Filio Spiritus Sanctus ducit originem. Filius propterea dici poteſt principium deitatis; quia eſt principiũ Spiritus Sancti; qui Deus eſt; non autem totius deitatis; non quia Spiritus Sanctus totus, & plenus Deus non ſit; (cum quælibet perſona ita ſeorſum ſit plenus Deus, vt ſimul omnes) ſed quia Patris principium non eſt. Non penitus ſine principio Filius principium eſt; cum à Patre principium*

*cipium habeat. A Spiritu Sancto nulla diuina perſona ducit originem. Quamobrem tres tantùm ſunt perſonæ diuinæ. Eſt autem Spiritus Sanctus vnà cum Patre, & Filio principium omniũ creaturæ; quod lib. ſequenti declarabitur. De Patre Iſa. 66. legitur.* Qui generationem alijs tribuo, ipſe ſterilis ero? *De Filio ps. 2.* Filius meus es tu, ego hodie genui te. *De Spiritu Sancto Io. 18.* Quem ego mittam vobis à Patre. *Sunt namq́ in diuinis emanationes duæ, Generatio, ac Spiratio: et vtraq́ communi nomine proceſsio dici poteſt. Generatione emanat à Patre Filius; Spiratione à Patre & Filio Spiritus Sanctus. proceſsio (vt dictum eſt) & generationi, & ſpirationi communis eſt emanatio. Quamobrem perſonæ tres ſunt, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sunt relationes quattuor, paternitas, filiatio, ſpiratio, & communis filiationi, & ſpirationi proceſsio. paternitate Pater refertur ad Filiũ, filiatione Filius ad Patrem; ſpiratione Spiritus Sanctus ad, vtrunque. Eædem dicuntur perſonales proprietates; quatenus eiſdem perſonæ conſtituũtur, quibus diſtinguntur, caracterizanturq́. Sunt etiam notiones quinque. paternitas, filiatio, ſpiratio, proceſsio, innaſcibilitas ſiue ingenitum: quæ eatenus notiones dicuntur; quatenus illis perſonæ diuinæ nobis innoteſcunt. Ingenitum notio eſt Patris. Etenim quia Pater non habet eſſe ab alio, ingenitus dicitur, negatiue videlicet. Poteſt etiam ingenitum eſſe notio Spiritus Sancti,*

*quatenus Spiritus Sanctus, et ſi ab alio habet eſſe, nō tamen per generationem. Attribuitur autem tātum Patri notio illa, quia ſolus Pater non habet eſſe ab alio. Notio dicitur illud, quo perſona diuina nobis innoteſcit, & ab alia diſtingui tur. Sunt perſonæ diuinæ tres, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. quæ alio nomine tres hypoſtaſes à græcis, & tres ſubſtantiæ dictæ ſunt: à latinis tria etiam ſuppoſita dicuntur. Pater à Filio diſtinguitur paternitate, vel etiam generatione actiua; à Spiritu Sancto ſpiratione actiua. Filius à Patre filiatione diſtinguitur, vel etiam generatione paßiua: à Spiritu Sancto ſpiratione actiua. Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, ſpiratione paßiua diſtinctus eſt. Filius procedit à Patre per modum naturæ, & intellectus. Naturæ quidem, tum quia eſt de ſubſtantia patris, tum quia obiectū intellectus ipſi intellectui præſens ipſum naturaliter mouet, ideſt ita mouet illum; vt non mouere non poßit. per modum autem intellectus, quia ex cognoſcente, & cognito paritur notitia. Hæc autem notitia eſt Filius, quæ alio nomine dicitur Verbum. Et quia verbum à nobis pronunciatur, & dicitur: appellarunt quandoq; Patres ipſam verbi productionem [Dicere] Spiritus Sanctus procedit à Patre, & Filio per modum naturæ, & voluntatis. naturæ, quia eſt de ſubſtantia vtriuſq; quæ vna eſt prorſus, & eadem in tribus. Voluntatis, quoniam per modum amoris, & doni. Amat enim, & amanter (dixerim) complectitur obiectum ſuum*

*intellectus. eiuſmodi autem amor à voluntate producitur. Nos etiam ſpeciem obiectam, quandiu volumus, contemplamur. Sed nos ita contemplari volumus, vt etiam non velle poſſimus; non ſic Pater & Filius. præterea intelligere noſtrum, & noſtrum velle accidens eſt; at intelligere Dei (in quo nullum poteſt eſſe accidens) & ſuum velle ſubſtātia eſt. & quia aliqua diſtinctio de neceſſitate inter intellectum, & rem intellectam, & ipſam intelligentiam intercedit; & hæc apud Deum eſſe non poſſit in ſubſtantia; reſtat, vt ſit in relatione, vel reali, vel rationis. Subſtantia autem cum reali relatione perſona eſt in diuinis. quod idem de voluntate, et eius obiecto, & ex vtroque reſultante amore, dicendum eſt. Sequitur: vt duarum perſonarum productio Filij videlicet, & Spiritus Sancti de neceſſitate exiſtat. Quamobrem tam Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, quàm Filius à Patre ſolo de neceſſitate procedit. Cæterùm & generatio Filij, & ſpiratio Spiritus Sancti, & diſtinctio inter vtramq; proceſſionem, quarum vna Filij eſt, altera Spiritus Sancti à nobis hominibus exacte pro dignitate explicari non poteſt. Iſa. cap. 35.* Generationem eius quis enarrabit? *In ijs autem diſſerendis ſtandum eſt mediocritati; & ſæpè illud Apoſtoli repetendum.* Non plus ſapere, quàm oportet ſapere; ſed ſapere ad ſobrietatem. *Et Prou. 25.* Sicut qui mel multum comedit, non eſt ei bonum; ſic qui ſcrutator eſt maieſtatis, op-

prime

primetur à gloria. *Pluralitatem perſonarum in vnitate eſſentiæ, & vnitatem eſſentiæ in pluralitate perſonarum ſcrutari, temeritas eſt, credere pietas eſt, noſſe vita æterna eſt.*

## De Filio. Cap. VI.

FILIVS *(qui à ſolo Patre ducit originem) & ex Patre eſſe dicitur, & de Patre. Ex Patre quidem eſt: quia à Patre eſt, quidquid eſt: et à Patre habet, quidquid habet: quoniam à ſe nihil habet. Quippè à Patre habet, quòd intelligat, quòd velit, quod ſit principium Spiritus Sancti, quòd ſit ſplendor gloriæ, quòd ſit figura ſubſtantiæ, quòd ſit verbum, quòd ſit imago Patris, & (vt ſemel finiam) quòd ſit, quidquid eſt. De Patre autem* Filius *eſſe dicitur: quoniam eſt de ſubſtantia Patris. Eſſe ex Patre, habet* Filius *cum omni creatura commune. Cunctæ namq́ res ex Patre ſunt, quia ex Deo ſunt: & à Patre habent, quicquid habent; quoniam à Deo totum habent, quod habent. Sed eſſe de Patre,* Filio*, & Spiritui Sancto eſt ita proprium; vt nulli creaturæ conuenire poſſit. quòd eſſe de Patre idem ſit; quod eſſe de ſubſtantia Patris: de qua creatura aliqua eſſe non poteſt. Quoniam diuina ſubſtantia natura eſt indiuiſibilis prorſus, & impartibilis; ſequitur: vt* Filius, *qui eſt de ſubſtantia Patris; eandem omninò integramquè ſubſtantiam atquè naturam habeat; quam habet*

*Pater. quod ipſemet nos docuit, cum dixit.* Ego, & Pater vnum ſumus. *Rurſum quia non antè fuit Pater quàm* Filius, *(ſunt enim Pater, &* Filius *relatiua; relatiua autem ſimul natura ſunt) conſequens eſt; vt ſit Patri* Filius *coæternus. Nam & ſi* Filius *natus de Patre eſt; & principium ſui habet Patrem; non ſequitur tamen, vt ſit Filius Patre duratione poſterior. Splendor namque, (vt exemplo aliquo res declaretur) qui ab igne producitur; eidem (vt patet) coæuus eſt: & eſſet illi coeternus, ſi ille eſſet æternus.* Chriſtum *dixit Apoſtolus (Rom. 1.)* Dei virtutem, & Dei ſapientiam. *Si* Filium *Pater præceſſiſſet, fuiſſet aliquando Pater ſine virtute, & ſine ſapientia: quo quid ſtolidius cogitari poteſt? Si dicas. Erit igitur Pater ſapiens, ſapientia genita. Dicendum, illud non ſequi, (vide Mag. lib. 1. diſt. 32.) ſed ſequitur eandem eſſe ſapientiam Patris, &* Filij *: quæ vt in Patre ingenita eſt: ut autem in Filio genita. Iſa. 44. ſcriptum eſt.* Ante me non fuit alius Deus, & poſt me non erit. *Quis hoc dicit Pater an* Filius*? ſi* Filius. Ante me *(inquit.)* non fuit alius Deus. *Si Pater.* Poſt me *(inquit)* non erit. *Quoniam autem in æternitate nihil tranſit in præteritum; nihil expectatur in futurum; ſed tempora omnia æternitas ita complectitur, ac circumambit: vt illi, qui in æternitate exiſtit, tempora omnia præſentia ſint: dicere propterea catholicè poſſumus.* Filium *natum eſſe.* Filium *naſci.* Filium

*eſſe*

*eſſe naſciturum. magis tamen congruè dicimus* Filium *natum; quòd ita dicendo, natiuitatis perfectionem, & æternitatem apertius pronunciamus. Inter Patrem, &* Filium *illud tantum intereſt; quòd quidquid habet Pater, à ſeipſo habet; quidquid autem habet* Filius, *habet à Patre. Ceterùm quidquid habet* Pater, *habet &* Filius; *& quidquid* Filius *habet, &* Pater *habet. Luc. 10.* Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo. *Io. 16.* Omnia quæcunq; habet Pater, mea ſunt. *Et 17. ait ad* Patrem Filius. Mea omnia tua ſunt; & tua mea.

## De Spiritu Sancto. Cap. VII.

DE *Spiritu Sancto bifariam loqui poſſumus; vt videlicet attributum diuinum eſt, & vt eſt tertia diuina perſona. Etenim Pater eſt Spiritus Sanctus, & Filius eſt Spiritus Sanctus, & tertia diuina perſona eſt Spiritus Sanctus; & omnes tres perſonæ ſunt vnus Spiritus Sanctus. Iſtud attributum alio nomine charitas dicitur. de qua S. Io. in prima. cap. 4.* Deus charitas eſt, & qui manet in charitate, in Deo manet. *Sed licet Spiritus Sanctus, & charitas ſit attributum, & per conſequens, quid tribus perſonis commune: vtuntur nihilominus Patres hac voce [Spiritus Sanctus] ad diuinam perſonam tertiam ſignificandam: quæ eſſentia, & paſſiua ſpirationis proprietate ſub ſiſtit.*

*ſiſtit. cui ita per appropriationem aſcribunt Patres charitatem, quemadmodum Filio ſapientiam, & Patri potentiam. cum tamen & Pater ſit ſapientia, & charitas: & Filius ſit potentia, & charitas; & Spiritus Sanctus ſit ſapientia, & potentia; & omnes ſimul Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſint vna potentia, vna ſapientia, vna charitas. Spiritum Sanctum à Patre procedere vtraquè Eccleſia confitetur, græca videlicet & latina: quod ſacra ſcriptura multis in locis apertè explicauit. Matth. 10.* Non enim vos eſtis, qui loquimini; ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. *Et Io. 15.* Spiritus, qui à Patre procedit. *Procedere autem Spiritum Sanctum à Filio, & ſi Patrum græcorum multi libenter admittunt, et prædicant apertè; nonnulli tamen id negare videntur. Verum enim verò quòd à Filio etiam procedat, nō reticuit Sancta ſcriptura. Ait Filius Io. 14. de Spiritu Sancto.* Quem mittet Pater in nomine meo. *nota verbum [in nomine meo] Et cap. 18. idem inquit.* Quem ego mittam vobis à Patre. *Non reticuerunt etiam multi græci doctores, vt Athanaſius in Symbolo.* Spiritus Sanctus à Patre, & Filio, non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens. *Et Chryſoſt. ſuper prima ad Cor. cap. 12.* Iſte eſt Spiritus procedens de Patre, & Filio; qui diuidit dona ſua pro vt vult. *Gregorius autem Nazianzenus, & Ioannes Damaſcenus Theologi præ-*

*ſtantiſſimi,*

*ſtantiſsimi, nec non alij multi; quin potius omnes ferè Patres græci; qui ægrè concedere videntur, Spiritum Sanctũ procedere à* Filio; *facilè admittunt, Spiritum Sanctum eſſe* Filij: *ſed dicere Spiritum Sanctum eſſe* Filij, *quid aliud eſt, quàm dicere illum eſſe à* Filio? *Non enim eſt* Filij, *ſi non eſt à* Filio: *ſicut nec* Filius *Patris eſſet, ſi à Patre non eſſet; Vt re concedant; quod oratione negare videntur. Dicitur namque Spiritus Sanctus charitas Patris &* Filij; *nõ alia ratione, niſi quia Spiritus Sanctus eſt à Patre, &* Filio. *ita legitur in prima Io. cap. 2.* Si Quis diligit mundum, non eſt charitas Patris in eo. *In poſter. ad Cor. cap. 2.* Charitas Chriſti vrget nos. *Spiritus Sanctus amor eſt ſiue dilectio, non per quam, (cum huius dilectionis non ſit Spiritus Sanctus principium) ſed qua Pater à* Filio, *&* Filius *à Patre diligitur. Vndè S. Hieronymus ſuper ps. 17.* Spiritus Sanctus nec Pater eſt, nec Filius; ſed dilectio, quam habet Pater in Filium, & Filius in Patrem. *Dicitur etiam Spiritus Sanctus nexus amborum* Patris, *&* Filij. *de quo nexu dixit Auguſtinus,* Quod eſt ineffabilis quidam complexus in illa Trinitate, non genitus, ſed genitoris, genitiq; ſuauitas. *Tres ergò diuinæ perſonæ ſunt, & non plures. diligens, dilectum, & ipſa dilectio. nectens, nexum, & ipſe nexus ſiue ipſa connexio. A* Patre igitur, *&* Filio *Spiritus Sanctus procedit; ſicut dilectio ipſa à diligente & dilecto, & amor*

ipſe

*ipſe ab amante, & amata procedit. Sed & ſi à* Patre *&* Filio *Spiritus Sanctus procedit; non eſt tamen* Patre *&* Fi*lio Spiritus Sanctus poſterior. Qui poteſt intelligere ſine tempore generationem* Filij *de* Patre*; intelligat ſine tempore proceſsionem Spiritus Sancti de vtroque. Lib. 15. de Trin. cap. 26. ait S. Auguſtinus.* In illa ſumma Trinitate, quæ Deus eſt; interualla temporum nulla ſunt; per quæ poſſet oſtendi, aut ſaltem requiri, ytrum prius de Patre natus ſit Filius; & poſteà de ambobus proceſſerit Spiritus Sanctus. *Quamobrē & ſi* Filius *habet à* Patre*, quòd à ſe Spiritus Sanctus procedat; non tamen à* Patre *magis, vel prius procedit Spiritus Sanctus, quàm à* Filio. *quòd ſi alicubi dixit* S. *Auguſtinus, Spiritum Sanctum à* Patre *principaliter procedere; ita loquitur; quoniam (vt dictum eſt) à* Patre *habet* Filius*, quòd à ſe procedat* Spiritus *Sanctus. De Spiritu Sancto autem idem (quod de* Filio *dictum eſt) intelligatur. videlicet quod quidquid habet; habet à* Patre *&* Filio. *habet verò omnia: quæ habent* Pater *&* Filius. Si *obijcias. Quòd habet* Fi*lius, vt procedat tantum à* Patre, *Spiritus Sanctus autem vt à* Patre *ſimul &* Filio. *Rurſum* Filius *& procedens & genitus dicitur;* Spiritus *Sanctus autem procedens tantum. Dicam, iſta eſſe proprietates; proprietates autem communes non ſunt; quoniam proprietatibus perſonæ diuinæ diſtinctæ ſunt. In proceſsione etiam, à* Spiritu *Sancto* Filius *diſtin-*

*guitur,*

*guitur. quia alia ratione Filius, alia Spiritus Sanctus procedit. (Lib. 5. de Trin. cap. 14.) S. Augustinus inquit.* Spiritus Sanctus procedit à Patre, non quomodo natus ſicut Filius; ſed quomodo datus vel donum. *Dicitur propterea Spiritus Sanctus à multis patribus ingenitus; non quia non ſit ab alio, ut Pater; ſed quia non eſt de aliquo genitus, quemadmodum Filius. quia (ut dictum eſt) procedit non quomodo natus, ſed quomodo datus, & quomodo donum.*

## Deus nobis incognitus. Cap. VIII.

TRES *prædictæ diuinæ perſonæ Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt ipſa Sanctiſsima Trinitas; quæ eſt unus Deus. De Deo autem adeò apud omnes notum eſt, quód ſit: ut notius aliquid, quàm Deum eſſe, reperiri non poſsit. Nulla profectò in orbe uniuerſo res eſt: quæ Deum eſſe non oſtendat; cum res ipſæ Dei voces exiſtant. ps. 18.* Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum eius annunciat firmamentum. *Vt facilè credam multos, qui Deum negarunt; aliter mente ſenſiſſe; quàm voce protulerint: quos nihilominus belluas magis quàm homines appellare licet. (ps. 13.)* Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus *Sed quantum apud omnes notum eſt, quód ſit Deus: tantum hominibus, & angelis uniuerſis*

*ignotum eſt, quid Deus ſit.* (*pſ. 17*) Ambulauit ſuper pennas ventorum. *hoc eſt ſuper intelligentiam angelorũ. Quid autem Deus ſit à nobis melius explicari nulla alia ratione poterit; quam ſi ſingula, & ſenſibilia & intelligibilia ab eo negauerimus; eademq́ rurſus de eodem per quandam ſupereminentiam affirmauerimus, dixerimuſque. Non eſt leo, non eſt homo, non eſt angelus: ſed quid leone, homine, angelo excellentius. Non eſt ſubſtantia, ſed ſuperſubſtantia. Non eſſentia, ſed ſupereſſentia. Non eſt ens, ſed ſuper ens. Non eſt cognitus, ſed ſuper omnem cognitionem. Eſt enim ſine qualitate bonus, ſine quantitate magnus, ſine loco vbique totus, ſine tempore ſempiternus. Hoc eſt quod* (*pſ. 17*) *legitur.* Inclinauit cœlos, & deſcendit: & caligo ſub pedibus eius. deſcendit *per ſuæ bonitatis communicationem.* caligo eſt ſub pedibus eius. *per ſupereminentiam. Et* (*Iſa. 45*) Verè tu es Deus abſconditus. *Et* (*lib. 2. de Ord. cap. 16.*) S. *Auguſt. de Deo inquit,* Qui ſcitur melius neſciendo. *Huc retulit S. Areopagita* (*cap. 7. de Diui. nom.*) *quod* (*in priori ad Cor. cap. j.*) *ſcripſit Apoſtolus.* Quod ſtultum eſt Dei, ſapientius eſt hominibus. *quia magnum aliquid ſibi ſapere videntur homines; cũ propria infirmitate Dei maieſtatem metiri conãtur; vt cum caliginem Deo tribuunt, qui ipſiſſima lux eſt; aut cum ignotum illum appellant* (*vt Act. 17.*) *quod natura ſua notiſſimum eſt. Vnde illud euenit, quod lib. de myſtica*

*Theologia*

*Theologia, idem B. Dion. declarauit. Non poſſe videlicet à nobis Deum magis exprimi, quàm ſilentio. Et cap 7. de Diu. nom ex interprete idem inquit.* Eſt item diuiniſſima Dei cognitio; quæ per ignorationem quandam prouenit, &c. *Sunt nihilominus Patres aliquot conati, tradere aliquam de Deo diffinitionem: quam nominis Dei circunlocutionem potius, quàm naturæ diuinæ quidditatem dicere, ipſimet intellexerunt: ea autem eſt.* Deus eſt, quo maius excogitari non poteſt. *quæ, & ſi quid ſit Deus, non explicat; nobis tamen apertè ſignificat; Deum eſſe tale quid; quod omne illud excedit; quod de Deo humanum eloquium enunciare; humanum ingenium cogitare; humana mens concipere poteſt.*

## Deus immenſus eſt. Cap. IX.

DEVS *immenſus, & infinitus eſt; non quantitate molis, ſed virtutis. Omnem enim in ſeipſo virtutem anticipat, & comprehendit: omniſq; virtutis eſt cauſa: omniaque per virtutem nuſquã inclinantem incircumſcriptãq; producit: cauſaque eſt, vt ipſa virtus ſiue vniuerſalis, ſiue particularis exiſtat. Et quia diuina immenſitas ſine corporali quantitate eſt; propterea ſine materia eſt, ſine figura, ſine termino, ſiue circumſcriptione; ingenerabilis, incorruptibilis, increabilis, inannihilabilis, inalterabilis, impermutabilis*

*omnia ſciens; omnia potens. Virtutes omnes producit; quod ipſam virtutem vniuerſam eminenter excedat; quia immenſus eſt. Non poteſt generari, aut corrumpi: quia cum immenſus ſit; caret omni materia, & omni eo, quod materiæ vices ſubire poteſt; generatio autem (de qua nunc loquimur) ſine ſubiecta materia eſſe non poteſt. Creari aut annihilari non poteſt Deus: quia cum immenſæ virtutis ſit; de non eſſe ad eſſe; aut de eſſe ad non eſſe tranſire illum, eſt impoſsibile. Eádem ratione nec alterari, nec permutari poteſt. Adde quia ordinat omnia; penetrat omnia; regit omnia; dat omnia omnibus, quæ ſunt; vitam viuentibus omnibus; ſenſum ſentientibus omnibus; intellectum omnibus intelligentibus: nec illis tantum omnibus, quæ ſunt, & extant in hoc mundo; ſed ſi infiniti eſſent mundi; cunctis in eiſdem exiſtentibus rebus cuncta abſque aliqua ſuæ virtutis imminutione impertiret: immenſus exiſtimãdus eſt.* Temporales quoq; circuitus (*inquit cap. 8. de Diu. nom. ex interprete B. Dion.*) progreſsionibus quidem diſtinguit; reſtitutionibus verò colligit; vires ignis reddit inextinguibiles; & aquarum fluenta perennia; aeriã quoq; fuſionem terminat; ſuper nihil firmat terram; viuificos terræ partus cuſtodit incorruptibiles; mutuam elementorum harmoniam, mixturamque inconfuſam, atque indiuiduam ſeruat. Animæ præterea corporiſq; nexum continet; vi-

res;

res arborum, quibus nutriuntur & creſcunt, mouet, & ſuſcitat. Eſſentiales deniq; vires omnium roborat; vniuerſum conſeruat indiſſolutum; denique nulla res eſt vſquam, quam immenſa Dei virtus non contineat.

## Deus omnia nouit. Cap. X.

QVONIAM *Deus immenſus eſt, immenſum habet oculum; quo ita intuetur omnia, vt nihil, quamuis minimum, ſit, quod eius obtutum cognitionemq́ ſubterfugere poſſit. Qui, & ſi multa de nouo facere poteſt, vt facit quotidie in animarum creatione, & mundi totius adminiſtratione; adiſcere tamen de nouo aliquid minimè omnium poteſt. Diuinus quippè intellectus ſeipſo nouit omnia: quoniam per ipſam omnium cauſam, in ſeipſo intelligentiam omnium anticipat. Nouit ſanè non ea tantum quæ ſunt; ſed quæ fuerunt; & quæ etiam futura ſunt omnia; quòd tàm iſta quàm illa æternitati & ipſi Deo præſentia ſint; vt non aliter cognoſcat futura, aut præterita, quàm cognoſcat præſentia, neque aliter facienda, quàm facta.* (*Ad Rom.* 4) Vocat ea, quæ non ſunt, tanquam ea quæ ſunt. *Notitiam Dei eorum quæ ſunt, fuerunt, aut erunt, appellant patres intuitiuam: eorum verò, quæ nec ſunt, nec erunt, nec fuerunt, ſunt tamen poſſibilia, abſtractiuam. Bonorum, quam habet*

*Deus,*

*Deus notitiam approbationis; malorum, ſimplicis intelligentiæ notitiam ijdem appellare conſueuerunt. Bonum per ſe, malum per aliud, hoc eſt per bonum, cuius priuatio eſt, intelligitur; quòd priuatio non niſi per habitum intelligatur. Hoc loco dubitatio occurrit non prætermittenda. Quoniam fallere Deus, aut falli in ſua cognitione non poteſt: nouit autem futura omnia, conſequens eſt; vt ea omnia, quæ eueniũt, de neceſsitate eueniant; & non euenire non poſsint. igitur contingentiæ natura de medio prorſus ſublata eſt; & nihil relinquitur quod contingenter eueniat. hoc autem admiſſo, quid non ſequitur incommodi? Reſpondeo. poteſt in effectis omnibus aliqua neceſsitas admitti: quam ſuppoſitionis, ſiue conſequentiæ neceſsitatem poſſumus appellare. Poſito namque effectu aliquo etiam contingenti in eſſe, neceſſe eſt ipſum eſſe ctum eſſe. quoniam (vt in lib. de interpretatione dixit Ariſtoteles)* Omne quod eſt, quando eſt, neceſſe eſt eſſe. *Sunt autem (vt diximus) apud Deum omnia. Omnia igitur quæ ſunt, quatenus ſunt, neceſſe eſt eſſe. Ad quem modum ſequitur de neceſsitate moueri Calliam, ſi currat. Currere namque Calliam, & non moueri; eſt impoſsibile. Sed & eſſe Calliam, & moueri, abſolutè & ſimpliciter contingentiæ quædam ſunt; quæ poſſunt eſſe, & non eſſe. Non ergò aut eſſe Calliam, aut moueri de abſoluta neceſsitate ponendum eſt. Non enim per aliquod logicum præceptum ex contingenti antecedente conſequens ſimpliciter neceſſarium*

*inferri*

*inferri poteſt. & non in diuina ſcientia tantum ſequitur conſequens neceſſariũ neceßitate videlicet conſequentiæ, & ſuppoſitionis ( quippè ſi nouit Deus cras futurum nauale bellũ; cras de neceßitate erit ) ſed in humana etiam ſcientia idem ſequitur. Etenim ſi nouit Plato cras diſputaturum cum Protagora Socratem; eſſe non poterit, quin cum Protagora fuerit cras diſputaturus Socrates. Ponas non eſſe diſputaturum; ſtatim ſequitur antecedens eſſe falſum; & Platonem non nouiſſe Socratem, cras cum Protagora diſputaturum; ſed falſo opinatum fuiſſe tantum. Non ſtat autem cum ſcientia opinio falſa; non ſecus quàm cum veritate falſitas ſtare non poteſt. Illud autem quod ex ſuppoſitione, aut ex conſequentia tantum neceſſarium eſt; abſolutè & ſimpliciter eſt contingens: quoniam eius cauſa vel contingens in ſe eſt; vel ſi in ſe neceſſaria ſit; ad ipſum ſaltem effectum non niſi contingenter concurrit; quod ad effecti contingentiam ſufficit. Nouit igitur Deus omnia, & ſingula modo præſtantißimo: quoniam temporalia æternè; mutabilia immutabiliter; futura præſentialiter; contingentia infallibiliter.*

## Deus omnipotens. Cap. XI.

DEVS *omnipotens eſt; non ſolum quoniam quidquid vult ( nihil autem mali vult ) facere poteſt: & nihil eſt; quod eius poßit reſiſtere voluntati; ſed etiam quoniam*

*niam omnem in ſeipſo potentiam anticipat; & comprehendit: omnia que per immenſam ſuam incircumſcriptamq; potentiam producit: cauſaq; eſt omnium, atque omnis potētiæ. Adde, quoniam nihil eſt; quod tu cum ratione cogitare potes, quod ipſe facere non poſsit: quin multo plura (vt ad Voluſianum ſcripſit aliquando S. Auguſtinus) ille poteſt facere, quàm tu excogitare. lib. de Symbolo ad Cathecumenos cap. 3. idem S. Auguſt. inquit.* Omnipotentem Deũ credimus; qui faciens omnia factus non eſt: & ideò omnipotens eſt: quia de nihilo fecit, quæcunq; fecit. Omnipotens quippè eſt; cui nihil impoſsibile eſt: qui cœlum, & terram, mare, homines, atq; omnia animalia, & reptilia, non aliquo operis actu, ſed ſolo verbi imperio creauit. *Quòd ſi mentiri, peccare, dormire, ambulare, mori, & alia id genus ſexcenta, non poteſt Deus;* non propterea (*vt lib. 5. de Ciu. cap. 10. ſcripsit S. Auguſtinus*) Poteſtas eius minuitur. Sic enim iſta non poteſt: vt potius ſi poſſet; minoris eſſet vtique poteſtatis. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult; non patiendo quod non vult. quod ſi ei accideret, nequaquam eſſet omnipotens. Vnde propterea quædam non poteſt; quia omnipotens eſt. *Addunt nonnulli aduerſus diuinam omnipotentiam. quoniam facta (vt in lib. 6. Eth. dixit Agathon) infecta facere non poteſt. Sed non*

*aduertunt*

aduertunt illi; qui ſic obijciunt. quòd ea, quæ in contradictione ſunt, vt ſunt duo iſta. Factum eſſe, & non eſſe factum; ſua natura ſunt impoſſibilia: ſicut ſuapte natura impoſſibile eſt; duo contradictoria eſſe ſimul vera; quod ne quidem animo concipere aliquis poteſt. Legitur propterea. Non eſt impoſsibile apud Deum omne verbum. Quod namque mens non poteſt concipere, verbi rationem habere non poteſt. Omne autem verbum facere Deus poteſt.

## Deus non eſt in loco. Cap. XII.

DEvs ſolus non eſt in loco; qui omnibus habetur in locis. Deus eſt in mundo non incluſus; extra mundum non excluſus; ſupra mundum non elatus; infra mundum non depreſſus. Eſſe autem in loco duobus modis eſſe poteſt; ſecundum dimenſionem, & ſecundum definitionem ſiue determinationem; vtrumq́ modum Io. Damaſcenus ſecundum circumſcriptionem appellauit. primo modo, & ſecundum dimenſionem corporata; ſecundo modo, & ſecundum definitionem ſpiritualia in loco eſſe dicuntur. Quoniam autem Deus corpus non eſt, cum ſit omnium quid ſimpliciſſimum, in loco ſecundum dimenſionem eſſe non poteſt. quoniam rurſus creatura non eſt; & ſi ſpiritus eſt; ſed eſt creatrix eſſentia infinita, & immenſa; in loco ſecundũ definitionem, aut circumſcriptionem aliquam eſſe non poterit: ad quem modum in lo-

*eo angeli eſſe dicuntur: quorum quilibet* cum eſt in cœlo (*dicunt patres Gregorius, Damaſcenus, & alij*) non eſt in terra; & cum eſt in terra; non eſt in cœlo. *Deus autē, qui loco nec circumſcriptus eſt, nec circumſcriptibilis; ſimul in cœlo eſt, & in terra.* (*Iſa. 66.*) Cœlū ſedes mea, terra autem ſcabellum pedum meorum. *Et* (*Ierem. 23.*) Cœlum, & terram ego impleo. *Et* (*ps. 138.*) Si aſcendero in cœlum tu illic es; ſi deſcendero in infernum ades. *Nec quia in terris aliqui angeli aliquando ſunt, non ſunt beati, aut Dei tunc viſione minus fruuntur. inquit S. Gregorius* (*Homil. 34. in Euang.*) Cum ad nos angeli veniunt, ſic exterius implent miniſterium; vt tamen ante Deum interius per contemplationem aſsiſtāt. quia & ſi angelus eſt ſpiritus; ſummus tamen ſpiritus, qui Deus eſt; incircumſcriptus eſt: intra quem currit, quocunque mittatur. *In omni igitur loco Deus eſt, qui nullo circumſcriptus eſt loco. Deus vbiq; eſt per eſſentiam, cum ſit immenſus; per potentiam, cum ſit omnipotens; per præſentiam, cum illi omne corpateat, & omnis voluntas loquatur, & ante eius conſpectum nuda ſint omnia, & aperta.*

## Deus eſt immobilis. Cap. XIII.

QVONIAM *Deus, cum ſit incircumſcriptus, nullo continetur loco: conſequens eſt, vt immobilis penitus exiſtat.*

*exiſtat. Quod enim mouetur,in loco determinato eſt: in quo, aut etiam à quo moueri dicitur. at cum in omni loco ſit Deus,qui totus vbique eſt,in quo aut à quo loco moueri illum dicemus? Hoc loco fortaſſe illud quis obijciet;quod(ad Gal.4.) ſcripſit Apoſtolus.* Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus Filium ſuum. &c. *Filius Dei Deus eſt; quod mittitur,mouetur; Deus igitur mouetur. Cui nos dicimus. Miſsionem Dei Filij non fuiſſe per localem motum diuinitatis aliquem; ſed per aſſumptionem tantum humanitatis. Filij namq; miſsio aliud nihil eſt, quàm eius incarnatio. Eò namque miſſus eſt; quòd in forma hominis viſibilis apparuerit. Eſt igitur ſecundum locũ immobilis penitus. à quo autem localis motus, qui (vt docent Phyſici) inter omnes motus eſt primus, negatur; ab eodem alios omnes motus negari, neceſſarium eſt. Augeri ſanè non poteſt aut minui; quòd ſine loci alicuius acquiſitione auctio, & amiſsione diminutio fieri non poſsit. Non poteſt alterari; non tantum quia in Deo nulla ſit accidens qualitas (nullum ſanè in Deo accidens eſt) quæ ſola omnis alterationis eſt terminus: aut quia ſine aliquo motu locali fieri alteratio non poſsit; ſed etiã quia natura Deus eſt adeò ſimplex; vt* apud illum non ſit *(ait S. Iacobus)* tranſmutatio, nec viciſsitudinis obumbratio *aliqua. Et Apoſt. (in priore ad Tim. cap. 1.) de Deo inquit.* Qui ſolus habet immortalitatem. *Quæ verba (lib. 1. de Trin. cap. 1.) edifferens S. Auguſti-*

*nus inquit.* Non diceret Apoſtolus. Solus Deus habet immortalitatem; niſi quia vera immortalitas incommutabilitas eſt; quam nulla poteſt habere creatura. Deus ſanè non cuiuſquam gratia, ſed natura ſua nec poteſt, nec potuit aliqua conuerſione mutari. *Vgo Victorinus* (*lib.* j. *de Sacram. parte* 3. *cap.* 13.) *inquit.* Variari, & mutari non poteſt Deus omnino. Non enim augeri poteſt, qui immenſus eſt; nec minui, qui vnus eſt; nec loco mutari, qui vbique eſt; nec tempore, qui æternus eſt; nec cognitione, qui ſapientiſsimus eſt; nec affectu, qui optimus eſt. *Quamobrem immobilis eſt omninò diuinitas, ſua autem ſtabilitate cuncta mouet: ad quem modum (& ſi multum exemplum deficit) centri ſtabilitas circunferentiam ducit. Canit Boetius de Deo.* Stabiliſq; manens dat cuncta moueri.

## Deus Æternus. Cap. XIIII.

HOMO *tempore menſuratur, angelus æuo, Deus æternitate. In menſura duo ſunt (liceat nunc ita loqui) quantitas, & qualitas; quæ ita ſe habere dicuntur; quód ſicut menſuræ quantitas menſurati quantitatem declarat, vt quantitas vlnæ quantitatem panni; ita contrà mẽſuræ qualitas ex menſurati qualitate innoteſcit. Vt permanẽtia panni*

*(eſt*

*(eſt autem permanentia, & ſucceßio qualitas) vlnæ permanentiam, & ſucceßio motus temporis (eſt autem tempus menſura motus) ſucceßionem indicat. Menſuratum nunc eſt ipſum eſſe rei. Menſurati autem tres ſunt qualitates, ſiue (quod idem eſt) tres ſunt modi eſſendi ipſarum rerum. Vnus mutabilis prorſus eſt ſiue à ſe ſiue ab alio; hic tempore menſuratur. Alter eſt immutabilis à ſe, mutabilis autem ab alio; hic metitur æuo. Tertius eſt immutabilis penitus ſiue à ſe ſiue ab alio; & hic metiri æternitate dicitur. Mutabilitatis tres ſunt cauſæ. Vnam appello nihilitatem; hæc in omni creatura eſt. Omnis namque creatura ex nihilo eſt; quod autem ex nihilo eſt, in nihilum reuerti poteſt. Alteram, quantitatem; quæ omnibus quantitatem molis habentibus ineſt. Diuiſio namque, quæ omni quantitati molis, vt ſic, conuenire dicitur, quædam eiuſdem mutabilitas eſt, & ſi numquam diuiditur. Tertiam, voco contrarietatem; quæ in omnibus generabilius, & corruptibilibus exiſtit: quoniam eorum eſſe eſt inter oppoſita, tum contrarie, vt ſunt calidum frigidum, humidum ſiccum; tum priuatiuè, vt ſunt forma, & priuatio; quòd ex potentia materiæ, omnis forma (humana anima excepta) vt Phyſicis notiſſimum eſt, educatur. Sunt itaque generabilia, & corruptibilia omnibus tribus modis mutabilia, quòd ſint ex nihilo, ſint quanta, & contrarijs conſtent. tempore propterea menſurantur. Corpora cœleſtia duobus tantum modis mutabilia ſunt; Quòd ſint quanta, et*

quòd

*quòd ſint ex nihilo, contrarietate autem, & priuatione careant. Angeli autem uno tantum modo mutabiles ſunt; quòd ex nihilo ſint, careant autem oppoſitione, & molis quantitate; propterea æuo menſurari dicuntur: quia (quantum ad eorum naturam attinet) immutabiles id eſt incorruptibiles sūt & ſi poſſunt annihilari. vndè perpetui dicuntur, & ſempiterni, non autem æterni; ſed Deus ſolus æternus eſt, & eſt ipſe ſibi ſua æternitas. Eſt autem* æternitas (*ex lib. 5. de conſolat. Boet.*) interminabilis vitæ tota ſimul, & perfecta poſſeſsio. *Angelus autem quia vitam interminabilem non habet; neque eam, quam habet, totam ſimul habet; cum multas & intelligentiæ & motus viciſsitudines habere dicatur: perpetuus quidem dici poteſt, non autem æternus.* Quod interminabilis vitæ (*inquit Boetius.*) plenitudinem totam, pariter comprehendit, ac poſsidet, cui neq; futuri quidquid abſit, nec præteriti fluxerit, id æternum eſſe iure perhibetur. idq; neceſſe eſt, & ſui compar præſens ſibi ſemper aſsiſtere, & infinitatē mobilis temporis habere præſentem. *Philoſophi illi, qui Mundi æternitatem ſomniāt, multa æterna ſtatuūt, rerum videlicet ſpecies illas: quas ad mundi integritatem, & perfectionem facere illi exiſtimant. ſecundum veritatem autem, vnum (vt dictum eſt) tantū æternum exiſtit, quod Deus eſt, qui quidem Deus ſeipſo & æternus, & æternitas eſt. Alioqui duo ſaltem eſſent æter-*

*na,*

na, Deus videlicet & ipſa æternitas. quod mininime eſt admittendum.

## Multa de Deo dicuntur. Cap. XV.

MVLTA de Deo, à quo cuncta (vt ante dictum eſt) & ſenſibilia, & intelligibilia remouemus; & de quo rurſum, (vt poſſumus) eadem per eminentiam affirmamus. Non enim ea tantum de Deo affirmamas, de quibus hactenus diximus, quæ vni Deo conueniunt; vt ſunt immenſitas, omnipotentia, & eiuſmodi; ſed illa etiam omnia, quæ Deo, & creaturæ ſunt communia; quæ in ſua formali ratione imperfectionem aliquam non includunt. Affirmamus autem iſta de Deo per exceſſum, & per quãdam (vt dictum eſt) ſupereminentiam, vt ſunt iuſtus, ſapiens, magnus, &c. Quin etiam multa, quæ ſine imperfectione aliqua ſignificare non poſſunt, de Deo modo quodam affirmare audemus. Dicimus namque Deum videre, (Gen. 2.) Vidit Deus cuncta quæ fecerat. audire, (Exod. 3.) Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, tangere, (Ierem. 1.) Miſit Dominus manum ſuam, & tetigit os meum, vocare, (Rom. 4) Deus vocat ea quæ non ſunt. Et (prou. 1.) Vocaui, & renuiſtis, ambulare, (Deut. 23.) Dominus Deus tuus ambulat in medio caſtrorum, vt eruat te. pugnare,

(Ioſ.

(*Ioſ.23.*) Quomodo pro vobis *Deus* ipſe pugnauerit, *& alia multa: quæ vel paßionem, vel motum ſignificant; quæ eſſe ſine imperfectione non poſſunt.* Dicitur etiam Deus (*Deut.4.*) ignis conſumens. *Dicitur agnus, leo, petra, lapis angularis, & id genus alia; quæ imperfectionem ſonant. Sed iſta per ſimilitudinem tantum, & per translationem omnia de* Deo *dicuntur; illa verò, quæ* Deo, *& creaturæ communia ſunt, ſed per eminentiã de Deo affirmamus, de* Deo *propriè etiam enunciamus. Si tamen de* Deo *enunciare aliquid propriè homo poteſt. Iſta à patribus attributa dicuntur; vt ſunt ſapiens, potens, fortis, iuſtus, magnus, & eiuſmodi; de quibus dicendum nunc eſt; prætermiſſis illis, quæ de Deo ſecundum tranſlationem, & per quandam ſimilitudinem tantum dicuntur.*

## De attributis. Cap. XVI.

DICTVRO *de attributis, ab ipſa mihi attributi diffinitione; vel magis circũloquutione incipiendum eſt.* Attributum nihil aliud eſſe videtur; quàm perfectio ſimpliciter, communis creatori & creaturæ, ſecundum analogiam, ex notitia creaturæ in creatore ab homine inueſtigata: *declaramus iſtam deſcriptionẽ ſiue circumloquutionem. Dicitur [perfectio] ad differentiam proprietatum perſonalium, vt ſunt pater, filius, ge-*

*nerator*

nerator, genitus, ſpirator, ſpiratus, ſiue paternitas, filiatio, generatio, ſpiratio, & eiuſmodi; quæ nullam dicunt perfectionem; alioqui in vna diuina perſona eſſet aliqua perfectio; quæ non eſſet in alia. contra illud Athanaſij in Symbolo. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus ſanctus. Dicitur [ ſimpliciter ] ſiue [ perfectio ſimpliciter ] ad differentiam tum eorum, quæ ſecundum metaphoram de Deo dicuntur, quorum nonnulla præcedenti capite poſuimus; quæ perfectiones ſimpliciter dici non poſſunt. tum aliorum, quæ nullo modo de Deo prædicantur; quæ tamen in certa natura perfectionem aliquam dicere poſſunt; vt verbi cauſa eſſe quadrupedem, eſſe riſibilem, eſſe illuminabilem &c. perfectio ſimpliciter à nonnullis patribus, & in primis ab Anſelmo lib. Monologion deſcribitur eſſe illud; quod in quocumque eſt melius eſſe, quàm non eſſe. quadrupedem eſſe, & ſi melius eſt eſſe in leone, quàm non eſſe; eſt tamen peius eſſe in homine quàm non eſſe. itē eſſe riſibilem, & ſi in homine melius eſt eſſe quàm non eſſe; eſt tamen peius eſſe in angelo. illuminabilem eſſe ſimiliter, & ſi melius eſt eſſe in aere quàm non eſſe; eſt tamen peius in ſole eſſe, quàm non eſſe. Non ergò ſunt iſta perfectiones ſimpliciter. quoniam non in quocumque ſunt melius eſſe quàm non eſſe. ſed redeo ad attributi diffinitionem. Dicitur [ communis creatori, & craturæ ] per hoc excluduntur perfectiones illæ, quæ vni Deo conueniunt; vt ſunt, Deitas, immenſitas

*ſitas, omnipotentia, incircumſcriptibilitas, &c. quibus creatori non communicat creatura. Dicitur* [ ſecundum analogiam ] *quoniam Deo & creaturæ, æterno & corruptibili, aut annihilabili nihil poteſt eſſe commune vniuocum. Aequiuoca autem nihil, præter ipſam tenuem vocem, cōmune habent. Vt per vnius æquiuocati notitiam in alterius cognitionem perueniri non poßit. Ex hoc autem cōſequens eſt; attributa neque vniuocè, neque æquiuocè de Deo prædicari, & creatura; ſed tamum per quandam analogiam. Vltimo additur.* [ ex notitia creaturæ in creatore ab homine inueſtigata ] *hoc ideo dicitur; quoniam ex perfectionibus multis, quas in homine eſſe ante cognouimus; ad conſimiles in Deo ſtatuendas, atque intelligendas manuducimur. Aliquid dici de aliquibus analogicè, aliud nihil eſt; quàm de aliquibus eorum ſecundum prius id eſt magis propriè prædicari; de aliquibus vero ſecundum poſterius, hoc eſt minus propriè, & ad prioris ſimilitudinem aliquam. Exemplum. Pes ſecundum prius dicitur de pede animalis, ſecundum poſterius autem, & ad illius ſimilitudinem, de pede ſcamni, vel etiam de pede montis. Quantum quidem ad nominis impoſitionem attinet, ſecundum prius attributa dicūtur de creatura, vt de homine; quia iſta, quæ in homine ſunt, ſunt homini prius nota. Quantum autem ad rei naturam, & quidditatem, contrà res ſe habet: & de Deo ſecundum prius, quàm de homine dicuntur. In Deo namque eſt adeò vera ſapien-*

*pientia; vt illius comparatione, hominis ſapientia, vel ſtultitia ſit; iuxta illud, quod (in priore ad Cor. cap. 3) ſcribit Apoſtolus.* Sapientia huius mundi ſtultitia eſt apud Deum, *vel tenuiſſima diuinæ ſapientiæ ſimilitudo exiſtat.* In Deo namq; (*ad Coloſſ. 2.*) ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi. *Et S. Iacobus inquit.* Si quis veſtrum indiget ſapientia; poſtulet à Deo; qui dat omnibus affluenter; & non improperat; & dabitur ei. *Vndè (ad Epheſ. cap. 3) dixit Apoſt.* Huius rei gratia flecto genua mea ad Patrē Do. Noſtri Ieſu Chriſti; ex quo omnis paternitas in cœlis, & in terra nominatur.

## De attributorum diſtinctione. Cap. XVII.

MAXIMA *diſtantia eſt inter eadem attributa, vt inter iuſtitiam, ſapientiam, fortitudinem, & alia attributa, vt ſunt in Deo; & vt ſunt in creatura, vt in homine, vel etiam in angelo (ſed angelum nunc mittamus.) Quippè in homine, ſecundum naturā illa, & diffinitionem diſtincta ſunt; vt in libris Moralibus ab huius ſæculi ſapientibus, & in primis ab Ariſtotele non ineptè declaratum eſt. Aliud namque iuſtitia à ſapientia eſt, & à fortitudine, & ab alijs. Aliud ſimiliter ſapientia eſt à fortitudine, & à iu-*

*ſtitia, & ab alijs. quoniam diſtinctam in homine habent illa diffinitionem, & naturam. At in Deo non ſunt iſta aliud, non ſunt iſta diſtincta ſecundum diffinitionem, & naturã: nequè (vt nonnulli alioquî docti patres dicere conſueuerunt) ex natura rei: ſed ſecundum noſtrum modum intelligendi tantum, & ſecundum rationem. Quod ex multis locis S. Auguſt facilè intelligi poteſt, qui (lib. 7. de Trin. cap. 1.) inquit.* Non alio magnus, alio Deus eſt; ſed eo magnus, quo Deus. *Et (lib. 7. confeß. cap. 4)* Voluntas, & potentia Dei Deus eſt. *Et (in ps. 10)* Non ſunt aliud anni Dei, aliud ipſe; ſed anni Dei æternitas Dei eſt. *Clarius (lib. 5. de Trin. cap. 11.)* Trinitas vnus Deus dicitur, magnus, bonus, æternus, omnipotens; idemq; ipſe ſic ſua dici poteſt deitas, ipſe ſua magnitudo, ipſe ſua bonitas, ipſe ſua æternitas, ipſe ſua omnipotentia. *Apertius (lib. de Triplici habitaculo cap. 6.)* Omnia Dei vnum ſunt in Deo, excepto quod ad relationem pertinet. Nam ſapiẽtia, & veritas Dei, & æternitas non diuerſa ſunt inter ſe, ſed vnum ſunt; ſicut & omnia. Sapientia enim Dei non magis ſapientia quàm veritas eſt, & non magis veritas eſt quàm ſapientia, quàm æternitas, quàm cetera Dei omnia. Vnum enim ſunt in Deo; & non ſolum hæc inter ſe eadem sũt in Deo; ſed non aliud ſunt, quàm ipſe Deus. *Ex ipſa etiam*

*ſa etiam ratione, quam in citatis verbis, & alibi ſæpius teti git S. Auguſtinus, idem comprobari poterit. Quoniam quidquid in Deo eſt, eſt Deus: eſt autem Deus quid adeò ſimplex, vt ſimplicius aliquid excogitari non poſſit. Ex ijs omnibus colligere ſine dubitatione poſſumus; omnia illa, quæ noſtro modo in Deo eſſe intelligimus, aliud nihil eſſe, quàm Deum; & nullam inter ſe (relatiuas proprietates excipimus) aut in Deo facere diſtinctionem realem; ſed ſi aliquā faciunt; ea tantum eſt ſecundum rationem noſtram; non quia non ſint illa in Deo realiter, cum idem ſint omnia, quód Deus; qui vnus verè eſt, & ſumma atq; ipſiſſima res eſt; ſed quia vnum ſunt adeò cum Deo, & inter ſe; vt non niſi per rationem noſtram, & per modum noſtrum intelligendi diſtingui illa poſſint in Deo; quamuis in nobis realiter (vt dictum eſt) diſtinguantur; & diffinitiones atque naturas diſtinctas habeant. Iuſtitia nempe, quæ in Deo, idem eſt prorſus, quod miſericordia; ſed effectum habet iuſtitia in creatura diſtinctum diffinitione, & natura, ab effectu miſericordiæ.*

## Attributum quodlibet infinitum. Cap. XVIII.

DECLARATVM *in ſuperioribus eſt, Deum immenſum atque infinitum eſſe; nunc dictum eſt, attributa*

in Deo idem eſſe quod Deus: conſequens eſt; ut omnia, & ſingula attributa in Deo ſint infinita. quidquid ſanè in infinito eſt, neceſſarium eſt infinitum eſſe. Et per conſequentiam ſequitur, à nobis ſingula pro dignitate eſſe inexplicabilia. pro ingenij tamen noſtri tenuitate eorum unum explicabimus: ex eo autem, ſingula fuiſſe aliquo modo explicata intelligemus. Deus iuſtus dicitur, non ſolum autem iuſtus Deus dicitur, quia ſua aliquibus diſtribuit, (eſt namq; iuſtitiæ, ſua cuique deſtribuere) ad quem modum princeps etiam iuſtus dici poteſt (quibuſdam namq; princeps iuſtus ſua diſtribuit) ſed multò magis, quia cuncta, quæ in orbe uniuerſo ſunt, certo ordine diſponit: & quia cuncta creauit in numero, pondere, & menſura; ſua igitur non aliquibus tantum, ut homo princeps, ſed cunctis creatis rebus diſtribuit; ſingula ſeorſum à ſingulis non confuſa cuſtodit; ſingulis, quod cuique conuenit, largitur; ſingulorum naturam in ordine proprio in ſuaque facultate, & uirtute conſeruat; ſi quis læditur, ſine aliquo auxilio illum non deſerit; ſingulis hominibus pro merito tribuit: omnis deniq; iuſtitiæ, quæ uel in rebus, uel in hominibus ipſis reperitur, cauſa exiſtit. illius igitur iuſtitia non ad certos limites arctata eſt, ſed diffuſa per omnia; & ſine aliquo termino infinita. Ad ſimilem modum reliqua tibi ipſi explicato attributa; & unumquodq; eorum infinitum, & ſimul omnia unum & idem infinitum eſſe perpendito. Cum autem in creatura attributa ſint qualitates, & accidentia, in Deo ſubſtantia

*tia ſunt; in creatura certis terminis concluduntur, in Deo nullo termino clauſa, infinita ſunt atquè immenſa; imò immenſum & infinitum vnum ſunt omnia. Dubitatio occurrit. primò quia (lib. 1. orthod. fid. cap. 12.) dixit Io. Damaſc. Attributa bonum, iuſtum, ſanctum, & id genus alia, naturam conſequi; non autem ſubſtantiam oſtendere. cuius nos oppoſitum diximus Dicendum. Ad modum noſtrum intelligendi deſcendiſſe illo loco videtur Damaſc. non autem rei intelligentiam, & naturam ſignificaſſe. ſiquidem Deum intelligimus primum eſſe, quàm bonũ eſſe: non eſt tamen aliud Deo, eſſe, & eſſe bonum. Secundo loco dubitari poteſt. Quoniam ſi non fuerit, cui Deus ſua diſtribuat; aut quod tueatur, et ſeruet; iuſtus Deus non erit. igitur ante mundum conditum non erat diuina iuſtitia; quia non erat tunc Deus iuſtus. quia non erat cui ſua diſtribueret. (Lib. 2. de Ordine cap. 7.) tangit S. Auguſtinus, & ſoluit ijs verbis difficultatem.* An ideo iuſtus ſit Deus, quia iudicat inter bonos & malos? Si negas, abſurdũ eſt. Si ais, ſtatim ſequitur, non extitiſſe ſemper iuſtum; quia non ſemper extitit malum. *Sequitur ſolutio.* Iuſtum fuiſſe etiam, quando non erat malum: quia poterat bonum malumque ſecernere, ſi extitiſſet: & ex eo ipſo quo poterat; iuſtus erat.

In non-

## In nonnullis attributis dubitatio.
## Cap. XIX.

DE *nonnullis nominibus dubitare quis facilè poterit; an veniant appellanda attributa: quoniam nec perfectiones ſimpliciter ſunt; nec Deo propriè conuenire videntur. vt ſunt patientia, pœnitentia, memoria, miſericordia, ira, & eiuſmodi alia. quæ in Deo eſſe teſtantur ſacræ literæ. Non videntur perfectiones ſimpliciter; quoniam non ſemper melius eſt in quolibet illa eſſe quàm non eſſe. Non enim ſemper melius eſt hominem eſſe iratum quàm non iratum, aut pœnitentem quàm non pœnitentem, ſiue patientem vel miſericordem, quàm non patientem aut non miſericordem. neque de* Deo *propriè dici iſta videntur: quia paßionem & imperfectionem aliquam creduntur iſta omnia ſignificare. Non eſt autem in* Deo *paßio, aut imperfectio aliqua admittenda. Non eſt ſimiliter dicendum, quòd metaphoricè tantum, & per tranſlationem de* Deo *dicantur. Non enim per tranſlationem dixit Vates ſanctus (ps. 70.)* Tu es patientia mea. *aut Moyſes in perſona* Dei *(Gen. 6.)* Pœnitet me feciſſe hominem. *vel (ps. 131.) vates ipſe.* Memẽto domine Dauid. *Et (ps. 50.)* Miſerere mei Deus. *Et (ps. 105.)* Iratus eſt furore Dominus in populum ſuum. *Hæc profectò (vt nodum diſſoluamus) & eiuſmodi*

*eiuſmodi alia nomina, cum duo ſignificare videantur affectum videlicet, & effectum. Vtrumq; quidem in homine illa ſignificare poſſunt; in* Deo *autem, in quo nulla poteſt habere locum pasſio, aut imperfectio, effectum tantum ſignificabunt: quia paßionem effectus, aut imperfectionem aliquã de neceßitate non importat. In* Deo *propterea, à quo omnis amouenda imperfectio eſt, eiuſmodi nomina effectum duntaxat dicunt; quem in creaturam operatur* Deus. *effectus ille, qui eſt miſericordiæ; maximus eſt: quoniam nullo magis quàm miſericordiæ effectu diuina nobis et potentia, & ſapientia, & bonitas manifeſtatur. Ideò (Sap. cap. 11.) legimus.* Miſereris omnium; quia omnia potes. *Et in Collecta.* Deus qui omnipotentiam tuam parcendo maximè, & miſerendo manifeſtas. *Non omittam ſacram ſcripturam in hoc ſenſu, ebrietatem etiam* Deo *quandoque aſcripſiſſe, (ps. 77.) inquit Vates.* Et excitatus eſt tanquam dormiens Dominus, tamquã potens crapulatus à vino. *Eſt autem de ijs & de attributis omnibus, & alijs, quæ de* Deo *dicuntur, nominibus ſentiendum; quòd & de ſingulis perſonis ſeorſum, & de omnibus ſimul in ſingulari tantum numero prædicentur. Eſt enim Pater patiens, Filius patiens, Spiritus ſanctus patiens; non tamen tres patientes, ſed vnus patiens. Similiter Pater miſericors, Filius miſericors, Spiritusſanctus miſericors; non tamen tres miſericordes, ſed vnus miſericors. Quód ſi quan-*

*doq́ numero plurali* miſericordiæ, *in ſacris literis & mi*ſericordiarum, & miſericordias *legere contigerit*; (*vt ps.88*) Vbi ſunt miſericordiæ tuæ antiquę Domine? *Et* (*ps. 39.*) Ne longe facias miſerationes tuas à me. *non ad ipſam Dei miſericordiam, ſed ad varios diuinæ miſericordiæ effectus verbum plurale referendum erit.*

## De attributis intellectu & voluntate, ſed hoc capite potiſsimùm de intellectu. Cap. XX.

SVNT *præter ea, quæ dicta ſunt, attributa duo intellectus, & voluntas; de quibus nunc pauca dicenda ſunt. Intellectus, & voluntas in Deo ita ſe habent: vt non quãdoq́ intelligat diuinus intellectus, quandoq́ non; aut quandoq́ velit diuina voluntas, quandoque non; ſed ſemper iſta velit, & ille intelligat. Neque vnum quandoq́ intellectus diuinus intelligit, quandoq́ alterũ; aut modo vnum vult voluntas diuina, modo alterum; ſed idem ſemper intellectus intelligit; & idem ſemper voluntas vult: vt de nouo aliquid intelligere, ſiue addiſcere; vel de nouo aliquid velle Deum, ſit impoſsibile; non ſecus quàm aliqnam in Deo eſſe imperfectionem ſit impoſsibile. Præterea de ſingnlis diuinis perſonis ſeorſum, & ſimul de omnibus numero tantum ſingulari dicuntur,*

cuntur, intellectus, & voluntas. Etenim Pater eſt intellectus, Filius eſt intellectus, Spiritusſanctus eſt intellectus: & ij tres Pater, Filius, & Spiritusſanctus ſunt vnus intellectus, non tres: id ipſum de voluntate dicamus. Pater eſt voluntas; Filius eſt voluntas, Spiritusſanctus eſt voluntas; & ij tres ſunt vna voluntas, non tres voluntates. Verum eſt; quòd per hunc vnum intellectum, & per hanc vnã voluntatem, qualibet perſona ſibi intelligit, & ſibi vult. Non enim perſona vna intelligit per aliam, aut vult. quippè Pater per ſe intelligit, & vult; non per Filium, aut per Spiritumſanctum. & Filius per ſe intelligit, & vult; nõ per Patrem, aut per Spiritumſanctum. Et Spiritusſanctus per ſe intelligit, & vult; non per Patrem aut Filium. non tamen aliud intelligit, vel aliud vult Pater, quàm Filius, & quàm Spiritusſanctus: aut Filius, & Spiritusſanctus quàm Pater: neq; per alium intellectum, aut per aliã voluntatem. Qualibet perſona diuinam eſſentiam duntaxat intelligit, & vult, & comprehendit, hoc eſt eam tantũ intelligit, quantum ipſa intelligibilis eſt. tantum autem intelligibilis eſt; quantum in ſe veritatis, & entitatis habet. tantum autem habet entitatis, & veritatis, quantum ipſa entitas, & ipſa veritas habere poteſt. Cum diuina eſſentia ipſa veritas, & ipſa entitas exiſtat. omnem ergò rerum omnium entitatem non formaliter, (quod ſit iſtud imperfectionis) ſed per quandam ſupereminentiam, & effectiuè, & finali-

*ter ipſa diuina eſſentia complectitur. Res omnes propterea in diuina eſſentia intellectus diuinus, & intelligit, & comprehendit. Et quoniam eſſe quod habent res omnes; eſt participatio quædam ipſius diuini eſſe; apprehendit propterea diuinus intellectus res ſiue rerum omnium ſpecies, et naturas modis omnibus, quibus illæ appræhendi poſſunt. Illas igitur apprehendit; quatenus diuinam poſſunt ſingulæ imitari, et participare naturam: quæ variæ participationes, & imitationes, vt in mente diuina ſunt; & ab ea diſtinctiſſimè apprehenduntur, ac comprehenduntur rerum exemplaria, et ideæ dicuntur: quæ & multæ ſunt, pro rerum participantium multitudine & varietate: & vna ſunt, pro vnitate diuinæ eſſentiæ, ipſa videlicet diuina eſſentia; quæ diſtinctiſſimè omnia, & ſingula repræſentat: Sed de Ideis alibi exactius dicendum erit. Alia prius ſunt Cap. X. dicta multa: quæ intellectui diuino accomodari poterunt: nunc autem, quæ diximus, ſufficiant.*

## De voluntate Dei. Cap. XXI.

IIs, *quæ de diuina voluntate ſuperiori capite dicta ſunt; addere nonnulla placuit. Sciendum igitur, quòd voluntas Dei, & ſi vna eſt, & ſimpliciſſima, ( cum idem ſit diuina voluntas, quòd ipſe* Deus *) ſancta tamen Scriptura, ſiue ob effectuum diuinæ voluntatis diuerſitatem, ſiue ( vt inquit Ma-*

*Magiſter (in primo diſtinct. 45.) & ſumpſit ab Vgone Victorino)* ex dicendi figura; ſecundum quam nō eſt falſum, quod dicitur; ſed verum, quod dicitur, ſub tropi nubilo obumbratur, *varijs modis de Dei voluntate loqui conſueuit: vt numero plurali nonnunquam vſa fuerit. (pſ. 102)* Notas fecit vias ſuas Moyſi; filijs Iſrael voluntates ſuas. *Et (pſ. 110.)* Magna opera Domini; exquiſita in omnes volūtas eius. Voluntas (*inquit Magiſter, & ſumpſit rurſum ab Vgone Victorino*) verè ac propriè, quæ in Deo eſſe dicitur: ipſius eſſentia eſt; & hæc vna eſt; nec multiplicitatem recipit, nec mutabilitatem; ſed ſemper impletur; ita vt inexpleta eſſe non poſsit. *de qua S. Vates (pſ. 113.* Omnia quęcunque voluit Dominus, fecit. *Et (ad Rom. 12.) Apoſtolus.* Vt probetis, quę ſit voluntas Dei bona, & benè placens, & perfecta. *Hæc voluntas, voluntas beneplaci à patribus appellatur: quam illi diſtinguunt, in antecedentem & conſequentem; antecedens à bonitate, conſequens à iuſtitia (ſecūdum modum noſtrum intelligendi) ducit originem. alioquin idem in Deo ſunt prorſus bonitas, & iuſtitia. Voluntatem conſequentem in quinque voluntates, vel potius in quinas voluntatis nomenclaturas patres Catholici diſtinxerunt; quæ ita ab eis appellatæ ſunt, præceptio, prohibitio, conſiliū, permiſſio, operatio. Harum tres præceptio, prohibitio, conſilium*

*ſilium, dicuntur Dei voluntates; quia ſigna ſunt diuinæ voluntatis: quomodo literæ nonnunquam principis voluntas appellantur: cum eius voluntas non ſint; ſed eius tantum voluntatis indicium. Præceptio eſt. vt (Exod. 31.)* Videte, vt ſabbatum meum cuſtodiatis. *prohibitio vt (Gen. 2.)* De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas. *Conſilium vt (Matth 19.)* Si vis perfectus eſſe; vade, & vende omnia, quæ habes; & da pauperibus; & habebis theſaurum in cœlo; & veni ſequere me. *Contra has voluntates multa fiunt. lib. de Spir. & lit. inquit S. Auguſtinus.* Infideles contra Dei voluntatem faciunt; cum eius euangelio non credunt. *Permiſſio voluntas Dei eſt, qua non bona tantum, ſed mala etiam fieri permittuntur. Operatio voluntas illa Dei dicitur, qua bona operatur per ſe Deus, vel nobiſcum cooperatur. S. Auguſt. (Ench. 93)* Non fit aliquid, niſi omnipotens fieri velit; vel ſinendo vt fiat, vel ipſe faciendo. *Si dicas. Abrahæ præcepit Deus, (Gen. 22.) ut filium vnigenitum immolaret: quod fieri tamen Deus ipſe nolebat. Non fuit igitur præceptio illa diuinæ voluntatis aliquod ſignum. Dicendum, quód fuit ſignum aliquod diuinæ voluntatis: quæ non erat filij immolatio; ſed per orbem terrarum vniuerſum patris magnæ fidei, ſynceriſſimæq; obedientiæ declaratio. Rurſus dubitabis ſi Dei voluntas (vt diximus) æterna eſt; & eadem ſemper (idem namque, vt dictum*

ctum eſt, ſemper vult Deus) mundus erit æternus. Reſpondeo. Non ſequitur, mundum eſſe æternum. ſed ſequitur, ab æterno voluiſſe Deum mundum eſſe. At non voluit illum eſſe pro æterno, ſiue (quod idem eſt) æternis temporibus; ſed pro tempore, hoc eſt determinatis temporibus. Poteſt & illud ab aliquo dubitari. Si voluntas Dei eſt (vt diximus) eſſentia Dei, in Deo idem erit velle, quod eſſe. quod tamen videtur falſum; quoniam Deum dicimus velle omnia, quæ facit, non tamen dicimus Deum eſſe omnia, quæ facit. Verum enimuerò & ſi idem penitus ſit Deo, velle, quod eſſe: non tamen idem eſt Deo velle, & velle omnia, vel velle aliqua, ſiue aliquid. quippè velle abſolutè in Deo eſſentiam dicit: velle autem aliquid, vel aliqua, vel omnia, non dicit eſſentiam, ratione appoſiti; ſed rei productionem, & eiuſdem rei diuinæ voluntati ſubiectionem. Illius namq; propoſitionis. Deus vult omnia. ſenſus eſt. Omnia à Deo producta, & diuinæ voluntati ſubiecta ſunt. Velle namq; (inquit Damaſc.) naturæ eſt; velle autem hoc vel illud, conſilij, non naturæ.

## De nominibus relatiuis, & de hoc nomine perſona. Cap. XXII.

SVNT nonnulla nomina, quæ de Deo dicuntur ex tempore, vt creator, Dominus, gubernator, Rex, paſtor, & eiuſmodi. Hæc nomina relationem ſignificant, non numeri,

vt eſt

*ut eſt dupli ad dimidium; non potentiæ, ut eſt patris ad filium; inter quarum extrema eſt relatio et realis, et mutua; ſed menſuræ; ut eſt ſcibilis ad ſcientiam. Scibile namque nõ mutuo nec realiter ad ſcientiam refertur; alioquî non poſſet eſſe aliquod ſcibile; quin de eo eſſet ſcientia: quod falſum eſſe, conuincit quadratura circuli: ſed ſecundum rationem tantũ refertur ad ſcientiam. Contra autem ſcientia ad ſcibile realiter refertur. quòd ſcientia eſſe non poßit; quin ſit ſcibile illud, cuius eſt ſcientia. Adde, quòd à ſcientia ſcibile nihil recipiat, ut recipit ſcientia à ſcibili. Ad hunc modum Deus ſe habet ad creaturam, cuius Dominus dicitur, gubernator, paſtor, Rex, &c. (eſt enim Deus cuiuſque creaturæ menſura) quapropter non niſi ſecundum rationem ad creaturam referri dicitur Deus, quemadmodum ſcibile ad ſcientiam; contrà autem creatura ad Deum realiter refertur, & quod ſine Deo eſſe illa non poßit, & quòd totum eſſe reale quod habet, à Deo recipiat: ut recipit ſcientia à ſcibili. de eiuſmodi propterea nominibus, quia rem nullam in Deo ſignificant, ſed tantum habitudinem quamdam rationis, & menſuræ; quæ dicta ſunt, ſufficiant. De perſonæ autem nomine, cuius in ſuperioribus ſæpißimè meminimus, aliqua ut dicamus, neceſſarium eſt. Hoc itaque nomen inter omnia nomina, quæ de* Deo *dicuntur, magnam videtur patribus facere difficultatem: quoniam hoc unum (cum ſubſtantiam ſignificet, quæ una numero prorſus in* Deo *eſt) non in ſingulari tantum numero,*

*mero,*

mero, ſed in plurali etiam, de Deo prædicatur: quod nullum nomen aliud, quod ſubſtãtiam ſignificat, facit; quod nomini perſonæ in ſignificando non æquipolleat. hoc dico propter nomina, hypoſtaſis, & ſuppoſitum. Sanè dicimus Pater eſt Deus; Filius eſt Deus; Spiritusſanctus eſt Deus. Non tamen tres Deos, ſed vnum Deum dicimus Patrem, Filium, & Spiritumſanctum. Dicimus ſimiliter Deus eſt ſapiens, iuſtus, immenſus, æternus: non tamen tres ſapientes, iuſtos, immenſos, æternos dicimus; ſed vnum ſapientem, iuſtum, immenſum, æternum prædicamus. quòd illa nomina omnia (vt in ſuperioribus declarauimus) in Deo ſubſtantiam ſignificẽt. Iſtud autem nomen perſona non in ſingulari tantum; ſed in plurali etiam, (& ſi ſubſtantiam ſignificat) de Deo prædicatur. Quemadmodum namquè dicimus Pater eſt perſona; Filius eſt perſona; Spiritusſanctus eſt perſona; ita dicimus Pater, Filius, & Spiritusſanctus ſunt tres perſonæ, imò ita tres perſonas dicimus; vt vnam perſonam dicere omninò prohibeamur. Eodem modo dicimus Pater eſt hypoſtaſis; Filius eſt hypoſtaſis; Spiritus ſanctus eſt hypoſtaſis. & Pater, Filius, & Spiritus ſanctus ſunt tres hypoſteſes. Similiter Pater eſt ſuppoſitum; Filius eſt ſuppoſitum; Spiritusſanctus eſt ſuppoſitum. Et Pater, Filius, & Spiritusſanctus ſunt tria ſuppoſita. dicere autem omnes tres vnam hypoſtaſim, vel vnum ſuppoſitũ ita prohibemur; ut vnam perſonam nos dicere, prohiberi diximus. Tangit & ſoluit difficultatem hanc

*arduam B. Auguſtinus; qui ( lib. 7. de Trin. cap. 6. ) ait.* Cur nō hæc tria ſimul vnam perſonam dicimus, ſicut vnam eſſentiam, & vnum Deum? ſed tres dicimus perſonas, cum tres Deos, aut tres eſſentias non dicamus: niſi quia volumus vel vnum aliquod vocabulum ſeruire huic ſignificationi, qua intelligitur trinitas: ne omninò taceremus interrogati, quid tres? cum tres eſſe fateremur. *Et ( lib. 5. cap. 9 ) ait.* Tamen cum quæritur, quid tres? magna prorſus inopia humanum laborat eloquium. dictum eſt tamen tres perſonæ; non vt illud diceretur; ſed ne taceretur. *Adderem ego, cum omni debita reuerentia. Nomen iſtud perſona, & ſi ſubſtantiam principaliter ſignificat; dicente Auguſtino vbi ſupra.* Cum dicimus perſonam patris, non aliud dicimus, quàm ſubſtantiam patris. *Et.* Ad ſe quippe dicitur perſona. *connotat tamen & in humanis, & in diuinis aliquid; quo perſona ipſa (vt verbi cauſa pater) & perſona, & ſuppoſitum, & hypoſtaſis dicatur: vndè tres vtrobique perſonæ, & tria ſuppoſita, & tres hypoſtaſes vocentur. Illud quidem in humanis eſt diſtincta anima rationalis; quæ eſt hominis eſſentia, atq; natura. in diuinis autem ſunt diſtinctæ proprietates, & oppoſitæ relationes; quibus diuinas perſonas diſtingui, & (vt inquit Io. Damaſc.) caracterizari intelligimus. Quoniam autem in diuinis non vna relatio eſt, ſicut eſt*

*vna*

*vna ſubſtātia; ſed plures ſūt relationes, & diſtinctæ, quibus perſonas ipſas diſtinguimus; quoniã (vt ait Boetius)* ſubſtãtia cõtinet vnitatẽ; relatio multiplicat trinitatẽ. *propterea non in ſingulari tantum [perſona] ſed in plurali etiam [perſonæ] de Deo prædicatur; & ſicut dicimus pater eſt perſona: Filius eſt perſona: Spiritusſanctus eſt perſona. ita dicimus etiam, Pater, Filius, & Spiritusſanctus ſunt tres perſonæ. Quinimò (primo ſenten. diſtinct. 25.) Magiſter affirmat: perſonæ nomine, proprietatem perſonæ poſſe intelligi: alioqui quomodo verè dicere poſſemus. Pater eſt alia perſona quàm Filius. Nunquid aliam ſubſtantiam & eſſentiam in Patre eſſe dicere volumus, quàm in filio? Abſit. ſed aliam tantum proprietatem. Et de nomine [perſona] hactenus. Semper autem meminerimus eius, quod alicubi dixit S. Auguſtinus.* Verius cogitatur Deus, quàm dicitur: & verius eſt, quàm cogitatur.

## De quibuſdã alijs nominibus, vt ſunt diſtinctio, numerus, & eiuſmodi. Cap. XXIII.

DEVM *eſſe vnum, perſonas tres eſſe realiter diſtinctas, & omnes ſimul eſſe vnam ſanctiſsimam, & ſupereminentem trinitatem, & ſi minus exactè declarauimus: aut à quaquam declarari poteſt; firmiſsimè tamen et*

*abſque aliquo dubietatis ſcrupulo, tenere debemus. Verum enimuero cum in illa ſanctißima Trinitate nulla ſit diuerſitas, vel ſolitudo; conſiderandum eſt diligenter, quid illis nominibus ſignificetur, vnus vel vna, duo vel duæ, tria vel tres, trinus vel trinitas, plures vel pluralitas, diſtinctio vel diſtinctæ, ſolus vel ſola, quando illis vtimur, vel in ſanctis Scripturis poſitas inuenimus, cum de diuinis verba facimus, vel codices legendo percurrimus. Eiuſmodi ſanè nominibus nihil in Deo (in quo omnia vna ſumma, & ſimplicißima res ſunt) ponimus; ne tantæ, ac tam exactæ ſimplicitati compoſitionem aliquam, aut diuerſitatem aliquam vel leuißimam ingeramus: ſed ab eo aliquid amouemus tantum. Quippè per vnum vel vnam, ſiue per vnitatem (vt cũ dicimus: Deus eſt vnus; diuina eſſentia eſt vna, vel eſt ſumma vnitas) multitudinem tantum excludimus; & multos non eſſe Deos, vel multas non eſſe diuinas eſſentias dicere volumus. Similiter cum dicimus, vnus eſt Pater; vel vnus eſt Filius; plures Patres, vel plures filios eſſe negamus. Per dualitatem vel trinitatem ſingularitatem tantum auferre; per pluralitatem vel diſtinctionem, ſolitudinem tantum excludere, non autem diuerſitatem in Deo aliquam, vel multitudinẽ ponere intendimus. (lib. 4. de Trin.) illud ediſſerens.* Faciamus hominem ad imaginem noſtram, *inquit S. Hilarius.* Suſtulit ſingularitatis ac ſolitudinis intelligentiam profeſsio conſortij: quia conſortium

aliquod eſſe non poteſt ipſi ſolitario; neq; ſolitudo ſolitarij recipit [ Faciamus ] nec alieno à ſe diceret [ noſtram ] *Meminerimus ſemper, numeri quantitatem in diuinitate, quæ extra quodcunque prædicamentum eſt, cunctamq; animi noſtri conceptionem excedit; non eſſe ponendam. Diſtinctio in quibus ponitur, vnitatem tollit. perſonæ tres, quæ inuicem realiter diſtinguuntur, perſonam vnā eſſe non poſſunt. (Lib. 1. de Trin.) Ambroſius inquit.* Non eſt ipſe Pater, qui Filius. ſed inter Patrem & Filium expreſſa diſtinctio eſt. *Cum verò dicimus, ſolus Pater genuit verbum ſiue Filium, vel ſolus Filius naturam aſſumpſit humanam, nihil ponimus: ſed alias diuinas perſonas tantum ab eo, quod dicimus, ſecludere intendimus, non autem perſonam aliquam ab alijs perſonis. quoniam Pater nunquàm ita ſolus eſt, vt ſine Filio ſit; neq; Filius eſt ita ſolus; vt ſine Patre exiſtat. idem de Spirituſancto dicendum eſt.*

## De nomine Trinitatis. Cap. XXIIII.

TRINITAS *nomen nulli perſonæ ſeorſum conuenire poteſt; quod quaſi collectiuum pluralitatem deſignat perſonarum. Non enim dicimus, Pater eſt trinitas, ſiue trinus; aut Filius; aut Spirituſanctus. ſed benè dicimus, Pater, Filius, & Spirituſanctus ſunt vna trinitas. Dicimus*

*etiam*

*etiam Deus eſt trinus; omnipotens eſt trinus; æternus eſt trinus, & ita de nominibus reliquis; quæ vni Deo conueniunt. Attributis vero non ita benè accommodatur hæc vox trinus vel trinitas: cum illa ſint etiam ſecundum quãdam analogiam creaturæ communia: nulla autem vna creatura in unitate eſſentiæ ſit trina; ſed ſit iſtud creatori proprium. Aduertendum interea eſt; ne, quia dicimus Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum ſimul vnam eſſe ſupereminentem ſanctiſsimam Trinitatem; arbitremur Patrem, aut Filium, aut Spiritum ſanctum partem eſſe ſanctiſsimæ Trinitatis, vel diuinæ eſſentiæ, ſiue Dei. Eſt profectò ſeorſum qualibet diuina perſona verus ita, & plenus Deus; vera & plena diuina eſſentia; vt ſunt aliæ ambæ perſonæ ſimul; & vt omnes ſimul ſunt tres perſonæ. Nulla propterea perſona in trinitate pars dici poteſt; cum pars qualibet ſit quid minus ſuo toto (lib. 3. contra Maximinum cap. 10.) S. Auguſtinus inquit.* Nulla fit partium in deitatis vnitate diuiſio. Ergò (inquis) Deus Pater eſt pars Dei, abſit. In trinitate, quæ Deus eſt; & Pater Deus eſt; & Filius Deus eſt; & Spiritus ſanctus Deus eſt; & ſimul ij tres vnus Deus. Nec huius trinitatis tertia pars eſt vnus: nec maius aliquid duo quàm vnus ibi eſt: nec maius aliquid ſunt omnes, quàm ſinguli. Qui poteſt capere capiat: qui non poteſt, credat: & oret; vt quod credit, intelligat.

De

## De perſonarum æqualitate. Cap. XXV.

QVONIAM *dictum in ſuperioribus eſt; Omnia habere filium, quæ habet Pater; & omnia Patrem habere, quæ habet Filius; & Spiritum ſanctum ſimiliter habere omnia, quæ habent Pater, & Filius: & ante dictum fuerat: attributa, & cætera quæcunque, proprietatibus exceptis, de tribus perſonis enunciata nomina, & de ſingulis diuinis perſonis ſeorſum, & de omnibus ſimul, numero tantum ſingulari enunciari: quod ſicut Pater eſt bonus, ſapiens, æternus, omnipotens; & Filius eſt bonus, ſapiens, æternus, omnipotens; & Spiritus ſanctus eſt bonus, ſapiens, æternus, omnipotens: ita Pater,* Filius, *& Spiritus ſanctus ſunt vnus bonus, vnus ſapiens, vnus æternus, vnus omnipotens; non tres boni, non tres ſapientes, non tres æterni, non tres omnipotentes. Conſequens eſt, ſummã in omnibus, inter omnes tres perſonas, eſſe æqualitatem. Quamobrem & ſi Pater genuit Filium;* Filius *autem Patri nepotem non genuit; non tamen eſt* Filius *minus potens, aut in aliquo attributo, minor Patre; ad eum præſertim modum; quem peſſimus Arrius, & eius aſſecla Maximinus heretici ſunt opinati. Si minorem ſe Pater* Filium *genuit; aut non potuit æqualem gignere, aut non voluit. Si hoc dixeris, Patrem inuidum facis; ſi illud, infirmum. vtrumque autem falſum, & abhominandum*

*minandum. Genuit ergo Pater æqualem ſibi* Filium. *Eadem ratione ſequitur ab utroq; procedere æqualem vtriq; Spiritum ſanctum. Non genuit autem Patri nepotem* Filius: *non quia (inquit Auguſt. contra Maximinum) non potuit, ſed quia non oportuit. Eadem quippe eſt potentia generandi in* Filio; *quæ eſt in Patre: quia eadem in vtroq; eſſentia eſt. Nam eádem potentia, qua Pater generare poteſt, & potuit, eádem* Filius *poteſt, ac potuit generari: & eadẽ potentia qua Pater, &* Filius *poſſunt ſpirare, eadem et Spiritus ſanctus ſpirari poteſt. In Patre autem potentia iſta eſt cum relatione generandi* Filio *oppoſita; ſine qua oppoſitione in actum generationis potentia illa exire non poteſt. Similiter in Patre &* Filio *eſt potentia iſta cum relatione ſpirandi oppoſita Spirituiſancto; ſine qua oppoſitione in actum ſpirationis potentia illa non progreditur. Non negandum interea eſt;* Filium *iam humanatum, incorporatumq;, qua ratione corpus & homo eſt; Patre minorẽ eſſe: quod ipſemet* Filius *aliquando pronunciauit dicens.* Pater maior me eſt. *Damaſc.(lib. 1. cap. 9.)dixit. Filium minorem eſſe Patre: quia Pater principium, & cauſa eſt* Filij. *Non eſt aſpernanda ratio; quam(lib. 9. de Trin.)S. Hilarius attulit; cur in humanis agens* Filius *Patrem maiorem ſe dixerit. Ea autem eſt. Quoniam* ab eo eſſet gloriam Filius reſumpturus; apud quem, & in quo eſſet glorificandus; non nouello honore; ſed priſtino; neque alieno,

alieno, ſed quem apud eum habuit. Si verò quód ab eo glorificatur, auctoritas eſt; patrē maiorem in glorificandi auctoritate cognoſce. Glorificaturus filium pater maior eſt; glorificatus patre filius minor non eſt. Maior pater eſt, dum gloriam aſſumpto homini rogatur, vt reddat; filius minor non eſt, dum apud patrem gloriam reaſſumit. *Aequalis eſt ergò in omnibus filius patri, & pater filio. Id ipſum de Spirituſancto ſentiendum eſt. qui cum à patre ſimul & filio procedat; per eandem rationem, nullo modo patre & filio minor, ſed æqualis procedit. Aut enim (ſi minorem ſpirarunt) voluerunt ſpirare æqualem, & non potuerunt; aut potuerunt, & non voluerunt. Si primum, infirmos & inualidos facis patrem & filium: Si ſecundum, inuidos; ſed abſit tanta blaſphemia. Neque dicas, minus poſſe Spiritumſanctum; cum ab eo nulla diuina perſona procedat: quoniam illamet potentia, qua Pater generat, Filius generatur; & Spiritusſanctus ſpiratur; quia eſt eadem penitus in tribus eſſentia; quæ & generationis, & ſpirationis vniuerſæ eſſentiale principium eſt. ratione cuius maximæ idenditatis, atque vnitatis. & pater in filio, & filius in patre eſſe dicitur. Ioan. 14.* Ego in patre, & pater in me eſt. *nec non eodē prórſus modo pater et filius in Spirituſancto sũt, & Spiritusſanctus in patre et filio eſt: quæ tres perſonæ sũt vnus Deus. cui omnis gloria, honor, & imperium Amen.*

Libri primi finis.

# PROMPTVARII THEOLOGICI,

## IVLII CARRARII SYRENII, De Brixia Hieronymiani,

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

# Liber Secundus.

## *IN QVO DE CREATVRA AGITVR.*

### Libri Secundi Scopus.

### CAP. I.

CVM *libro ſuperiore, de Deo, qui rerum omnium creator eſt, pro compendij ratione, ſatis dictum fuiſſe, credamus: ſequitur, vt de rebus ipſis, quæ conditæ ſunt, preſenti libro compendiò diſſeramus. Omne namque quod eſt, aut creator, aut creatura eſt. creator vnus eſt, qui Deus eſt. Non enim aliqua Deus, aliqua angelus creauit; aut Deus ſimul & angelus aliqua creauerunt; ſed Deus vnus creauit omnia, etiam angelum, in mundanæ conſtitutionis*

*tutionis principio; ſicut in primis verbis conteſtata eſt ſancta Scriptura cum ait.* In principio creauit Deus cœlum & terram. *quibus verbis errores quattuor eliduntur. Vnus, quód mundus ſit æternus. Alter, quód ſit factus ex præcedente materia. Tertius, quód angeli ad creationem faciant aliquid. Quartus, quód ſint duo prima principia. Primus tollitur verbo [ in principio ] æterna namque carent principio ſui eſſe. Secundus verbo [ creauit ] quòd non creentur; quæ ex præcedente materia fiunt. Tertius verbo [ Deus ] abſque angeli mentione aliqua. Quartus verbo [ cœlum & terram ] ideſt vtramq; creaturam ſpiritualem, & corporalem. ſanè qui duo ſtatuerũt principia; ſpiritualiũ rerũ vnum, corporalium alterum ſtatuerunt. De creatore, pro ingenij mei tenuitate, in libro ſuperiore dictum eſt; Supereſt, vt de creatura in præsẽti dicamus. Non eſt creatura vna, ſicut eſt Deus unus, ſed multiplex eſt: & licet quodammodo innumerabilis ſit; in certum tamen numerum diſciplinæ gratia cogi poteſt. In vniuerſum igitur loquendo creatura duplex eſt, ſubſtantia, & accidens. Sed et ſi accidens creatura eſt; non tamen per ſe creatum eſt: non quia à Deo accidentia multa per ſe creari non potuerint; Omne fermè quod propriam, & à ſubſtantia abſolutam eſſentiam obtinuit; & exiſtentiam propriam obtinere potuerat; vt obtinent accidentia panis, & vini in ſacroſancto altaris myſterio; ſed quia voluit Deus imbellem creaturam, qualis eſt accidens, de ordinaria poten-*

*tia loquendo per validiorem, vt pctè per ſubſtantiam ſuſtẽ tari; à patribus propterea concreari dicitur accidens magis quàm creari. ſubſtantia autem ſiue ſimplex, ſiue compoſita eſt illa quæ per ſe creari dicitur: quòd ipſa per ſe terminus ſit creationis. Subſtantiam ſequuntur in creatione accidentia; et hæc varia pro varietate creatæ ſubſtantiæ. Subſtantia, quã per ſe terminũ eſſe creationis diximus, duplex, imò triplex eſt: merè ſpiritualis, vt angelus; merè corporalis, vt lapis; & partim corporalis partim ſpiritualis, vt homo. de quarũ omnium creatione nunc à nobis compendioſiſſimè dicendum eſt; potiſſimum autem de angeli creatione, & hominis. primùm autem, de creatione ipſa breuibus diſſeremus.*

## De creatione. Cap. II.

IN *primis antequam de creatura aliqua dicamus, dicendũ eſt quid ſit ipſa creatio.* Creare (*dicunt patres*) eſt de nihilo aliquid facere. *hoc eſt de nullo intrinſeco principio rem à non eſſe ad eſſe producere. Principia quattuor sũt; quæ communiter cauſæ quattuor appellantur. Finis, efficiẽs, forma, materia; quorum duo principia extrinſeca ſunt, finis & efficiens; duo intrinſeca forma & materia. De nulla materia, & de nulla intrinſeca forma creatio eſt; non autem de nullo efficiente, aut fine extrinſeco. Quilibet effectus à cauſa ſua producitur; quæ, niſi temeraria fuerit, finem intendit. pro duci*

*duci autem poteſt, quod producitur, trifariam, aut creatione, aut generatione, aut motu. Differunt inter ſe creatio, generatio, & motus; creatio nullam præſupponit materiam; generatio præſupponit quidem, ſed quæ habeat eſſe tantum in potentia, motus verò materiam, quæ ſit in actu, & ſubiectum in actu præſupponit. Creatio, & generatio, & motio vno nomine factio ſiue effectio dici poſſunt. Eſt enim facere nō modo de materia in actu, vel in potētia aliquid operari; ſed etiā de nihilo. Dicimus enim Deum, & creatorem, & factorem cæli, & terræ. Quemadmodum autem tria (in vniuerſum loquendò) effectionum ſunt genera, & ſimiliter tria genera factorum, ita efficientium ſunt tria genera. Ars, Natura, & Deus. Ars eſt, quæ ſupponit materiam in actu; Natura materiam in potentia; Deus nullam ſibi de neceſſitatē ſupponit materiam; ſed illam, cum vult, ſibi facit, ſicut fecit in principio cum cælum, & terram condidit. Ex dictis ſequitur; quód creatio non eſt naturalis, ſed voluntaria; & quod opus naturæ creatio non eſt, ſed voluntatis diuinæ; itē quód non eſt creatio aut creatura de ſubſtantia Dei, nec Deo coæterna; ſed à Deo ex tempore de creata ſubſtantia facta. Poteſt tamen eatenus creatio opus naturæ dici; quatenus uoluntas diuina ſecundum rem (vt in ſuperiore libro dictum eſt) idem eſt, quod natura diuina; vel etiam quatenus proprium eſt diuinæ naturæ, creare. Sequitur ſecundò, quód generatio non eſt opus niſi nature. Nam & ſi Socratem Sophroniſcus*

phroniſcus genuit; opus tamen ipſum generationis non eſt Sophroniſci, ſed naturæ. Sequitur tertiò, quòd & ſi principium motus ſit à natura, imò ad quorundam ſeculi ſapientum doctrinam, natura ipſa eſt principium motus; ipſe tamen motus dici poteſt, & à natura, & ab arte eſſe; ab arte inquam vel naturali, vt eſt aranearum motus in tela facienda, vel voluntaria ſiue ſpontanea vt hominis in domo fabricanda, vel naturali ſimul & ſpontanea, vt canis in lepore ſequendo, & ouis in lupo fugiendo.

## A tota Trinitate creatio eſt. Cap. III.

QVAMVIS vna perſona diuina procedat ab alia (vt ſuperiore libro declaratum eſt) Filius eſt à ſolo Patre, Spiritusſanctus à Patre & Filio; nulla tamen creatura eſt, quæcunque ſit illa; quæ vel à ſolo Patre eſſe ſuum habeat, vel à ſolo Filio, vel à ſolo Spiritusſancto; aut quæ ſit à duabus perſonis, vt à Patre et Filio tantum; aut tantũ à Patre & Spiritusſancto; aut tantum à Filio & Spiritusſancto: ſed ſicut omnis creatura à Deo eſt creatore, hoc eſt à Patre, Filio, & Spiritusſancto; ita nulla eſt, quæ ab vna diuina perſona ſit creata, aut à duabus tantum; vt ipſam etiam Patris vocem ſiue in monte, ſiuè in baptiſmo ſuper Filio; & ipſam etiam humanæ naturæ aſſumptionem, quam ſolus Filius operatus fuiſſe videtur; Trinitas tota ſit operata; et tota

*Trinitas ſoli Filio humanam naturam vniuerit, & vocem Patri appropriatam effuderit. Scripſit aliquandò ad Euodium S. Auguſtinus; quod (lib. 2. de Trin. cap. 10.) idem fuſius declarauit.* Indiuiſibilia eſſe opera Trinitatis. *Adde, quod creatio (vt dictum eſt) à voluntate diuina eſt; voluntas autem diuina in tribus perſonis vna penitus eſt. Non eſt autem voluntas ab intellectu ita ſeiuncta; quin idem in Deo re ſit voluntas et intellectus; vt quod vult Deus, ratione ſapientiſſima velit, & virtute potentiſſima operetur. Dei bonitas Mundum creauit, ſapientia diſpoſuit, potentia perfecit. Eſt autem in tribus perſonis eadem prorſus bonitas, eadem ſapientia, eadem potentia. Quamobrem à tribus ſimul perſonis eſt omnis rei, quæcunque ſit illa, ipſius etiã mundi creatio. Notandum mundum trifariã dici. Eſt mundus archetypus; qui idem eſt quod Deus. Eſt mundus maior; qui cæleſtibus & ſubcæleſtibus corporibus conſtat. eſt mundus minor homo ipſe. Io. 1. [ In mundo erat ] ecce archetypum. [ & mundus per ipſum factus eſt ] ecce mundũ maiorem. [ & mundus eum non cognouit ] ecce minorem. Mundus primus increatus eſt. Quoniam autem inter creata omnia rationalis creatura, & inter rationales creaturas angelus primum nobilitatis, & excellentiæ obtinet locum, ab angelo propterea (paucis de creatura rationali in vniuerſum præmiſſis) ordiendum eſt.*

De

## De Creatura rationali. Cap. IIII.

INTER *creaturas omnes, rationalem conſtat nobiliorem eſſe, ac præſtantiorem. Hæc duplex eſt, vna ſpiritualis, quæ in puritate ſua ſpirituali permanet, Angelus: altera ſpiritualis, quæ corpori iungitur, Anima: corpus autem & anima ſimul ſumpta, & vnita, humanam naturam conſtituunt. Quamobrem in incorpoream & corpoream naturam rationalis creatura diſtinguitur; incorporea, angelus eſt; corporea homo. Fecit Deus ipſam creaturam, ex ſua bonitate, S. Auguſtinus ( Enchi. cap. 9. ) inquit.* Credamus rerum creatarum cœleſtium, terreſtrium, viſibilium, inuiſibilium cauſam non eſſe, niſi bonitatem creatoris; qui eſt Deus vnus, & verus. *Fecit creaturam rationalem, & propter ſuam bonitatem, & propter ipſius rationalis creaturæ vtilitatem. Ideò loco citato ſubdit Auguſtin.* Cuius tanta eſt bonitas, vt ſummè bonus beatitudinis ſuæ, qua æternaliter beatus eſt; alios velit eſſe participes. Fecit quippè Deus rationalem creaturam, quæ ſummum bonum intelligeret; intelligendo amaret, amando poſsideret, poſsidendo frueretur. *Ad Deum laudandum facta eſt rationalis creatura, ad ſeruiendum ei, ad fruendum eo: in quibus omnibus proficit ipſa, non Deus. Vt Dei bonitas*

*ſimul,*

*ſimul, & creaturæ rationalis vtilitas, creationis finis oſtenderetur. Quemadmodum autem vt Deo ſeruiret (cui ſeruire, regnare eſt) facta eſt rationalis creatura, ita, vt rationali creaturæ ſeruiret; factus eſt mundus, & ea, quæ in mundo ſunt, omnia: & reflueret totum ad bonum hominis, et quod accepit, obſequium, & quod impendit. Sed de homine in ſequentibus opportunius dicendum erit. Nunc autem de angelis conſiderationem faciamus.*

## Quando, & vbi creati ſunt Angeli. Cap. V.

LEGITVR (*Eccl. cap. 1.*) Prior omnium creata eſt ſapientia. *hoc eſt, ante omnem creaturam creati ſunt angeli. Nam de ſapientia illa, quæ Deus ſiue Dei filius eſt, quia creata non eſt, exponi illa ſcriptura commode non poteſt. Prius autem aliquid aliquo eſſe multis quidem, ſed nūc duobus modis intelligere poſſumus, duratione ſiue tempore, et natura. Ex ſanctis patribus nonnulli putaſſe videntur, duratione ſiue tempore, ante omnem aliam creaturam, angelum fuiſſe creatum. Quam opinionem B. Gregorio Nazianzeno (lib. 2. Orthod. fid. cap. 3) Ioan. Damaſcenus aſcripſit; cui etiam ipſe ſubſcripſit. Unde (ſuper Epiſto ad Titum cap. 1.) ſcripta reliquit hæc verba Gregorij diſcipulus B. Hieronymus.* Sex millia necdum noſtri orbis implen-

tur annis & quantas prius æternitates, quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe, arbitrandum eſt: in quibus angeli, throni, dominationes, cæteræq; virtutes ſeruierint Deo; & absq; temporum vicibus, atquè menſuris Deo iubente ſubſtiterint. *Alij rectius non duratione, ſed natura fuiſſe ante alia omnia angelum creatum dixerunt: quia cæteris eſt altior, ac præſtantior angelus creaturis. Quod enim nobilius eſt; illud etiam prius eſſe dicitur. Quapropter patres quidam egregij quattuor fuiſſe ſimul tempore creata ſapientiſſime dixerunt, materiam, tempus, cœlum, angelum; quæ coæquæua etiam appellarunt; de quibus, inter alios, Albertus cognomento Magnus tractatum edidit, cui titulum de quattuor coæquæuis affixit. Quibus cōcordat ſcriptura libri Gen.* In principio creauit Deus cœlum, & terram. *Et (ps. 101.)* Initio tu Domine terram fundaſti; & opera manuum tuarum ſunt cœli. *Et in decretali de sūma Trin. & fid. Cathol. cap. Firmiter. legitur.* Vnum vniuerſorū principium; creator omnium viſibilium, & inuiſibilium, corporalium, & incorporaliū: qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis, vtramq; de nihilo condidit creaturam, ſpiritualem, & corporalem; angelicam videlicet, & mundanam: *creati ſunt igitur angeli non in tempore, ſed cum tempore. Creati autem fuerunt non in cœlo ſed cum cœlo;*

*quoniam*

*quoniam cœlum ſupremum ſimul & creatum eſt, & angelis repletum. Ita ſuper Gene. ſcriptum reliquit Vener. Beda.* Hoc ſuperius cœlum, quod à volubilitate mundi ſecretum eſt; mox vt creatum eſt, ſanctis angelis impletum eſt: quos in principio cum cœlo, & terra conditos teſtatur Dominus dicens: vbi eras cum me laudabant aſtra matutina: & iubilarent omnes filij Dei? *Affirmant multi patres in cœlo empyreo creatos fuiſſe angelos: quod cœlum angelorum ac beatorum locus dicitur. Empyreum uocatur* ἀπὸ τοῦ πυρὸς *hoc eſt ab igne: non quia ignea ſit naturæ; ſed quia præ alijs corporibus ſplendidum, illuſtreq́ exiſtit: conforme ardenti charitati, non eorum omnium, qui in eo creati ſunt; ſed qui in eo perſeuerare, & habitare dicuntur, hoc eſt beatorum. forte etiã conforme naturæ angelorum omnium, necnon naturali, quæ tunc omnibus inhærebat, charitati. à qua illi, qui defecerunt; à loco etiam illo depulſi ſunt.*

## Angeli quales creati ſunt. Cap. VI.

QVALES *autem creati, & effecti à Deo fuerunt angeli; declarauit magnus theologus Ioan. Damaſc. quando (lib. 2. Orthod fid. cap. 3.) ita Angelum diffiniuit, ſiue circumſcripſit potius.* Angelus eſt ſubſtantia intellectualis, ſemper mobilis, ſuæ poteſtatis, in-

corporalis, Dei miniſtra, per gratiam non natura immortalitatem conſequuta, cuius ſubſtãtiæ ſpeciem, & terminum ſolus creator agnouit. *Hanc diffinitionem, quo angelorum naturam melius intelligamus, explicabimus. Angelus & ſi (vt inquit S. Gregor. Papa Homil. 34. in Euang.) nomẽ officij eſt, non naturæ; hoc loco tamen naturam ſignificat, & pro natura à ſanctis ſcripturibus ſæpius vſurpatur. Dicitur* [ ſubſtantia intellectualis ] *quia non tantum eſt intellectu præditus, vt homo; ſed eſt inſuper lumen ſecundum à primo lumine, quod eſt Deus, productum: quoniam in ſua cognitione, & intelligentia à magis noto ad minus notum nequaquam diſcurrit, vt facit homo; qui propterea rationalis dictus eſt, quòd ratiocinetur, atque diſcurrat; ſed mira celeritate, & mentis acumine, omnia, quæ vult, exactiſſimè intelligit. Duplicem autem à patribus dicitur Angelus habere cognitionem. matutinam in verbo, veſpertinam in rebus. Addiderunt aliqui meridianam in aperta Dei viſione ſiue in eſſentia diuina, quid autem differat meridiana in angelo à matutina non ſatis illi declararũt; multi propterea patres meridianã ab angelo cognitionem negauerunt, & illam ſoli Deo attribuerunt. Cum à Deo primo lumine illuminationem proximus angelus ſuſcipit, reliquis pro diuina voluntate lumen demandat, & ordinata quadam ratione lumen illud quod à prima luce deſcendit, diſtribuitur, atque hoc modo ſine ſermonis prolatione,*

*tione, ſeu intern (ſit dixerim) conceptus demonſtratione, ſuas voluntates angeli inuicem inſinuant: & quid quiſque velit alteri, cui vult, innoteſcit, & qui ſuperiores ſunt, inferioribus, quod volunt, communicant; quæ communicatio à patribus loquutio, & illuminatio eſt appellata. Dicitur* [ſemper mobilis] *tum quia inferiores (vt dictum eſt) à ſuperioribus, & omnes à Deo illuminantur: tum quia non intelligunt omnia ſimul, ſed vnum poſt aliud; nec volũt hoc ſimul & illud. tum tertio quia ſuapte natura agiles ſunt; et ad diuinam implendam voluntatem ita prompti, vt vbiq; cõfeſtim inueniantur, naturæ agilitate, vbicunq; diuinus iuſſerit nutus, Dicitur* [ſuæ poteſtatis] *quoniam arbitrij libertas eſt rationalis creaturæ, atque intellectualis naturæ comes indiuidua. quæ quidem libertas in creatura & ad bonũ & ad malum eſt: quòd omnis creatura, quia ex nihilo eſt; ſuapte natura in vtrumq; vertibilis ſit. ſola autem increata voluntas eſt inuertibilis. Dicitur* [incorporea] *quoniam corpore craſſo & nobis ſenſibili abſque dubitatione non grauantur angeli. An verò corpore omni penitus careant; eſt aliqua inter patres diſputatio. Io. Damaſc. (vbi ſupra) videtur dicere, quòd corpore omninò non careant: ſed ad nos quidem comparati carent corpore, ad Deum autem ſunt corporei: quòd omne ad Deum collatum, craſſum, & materiale comperiatur. Et B. Auguſt. (lib. 3. ſuper Geneſi cap. 10.) inquit.* Dæmones dicuntur aeria animalia; qui cor

porum

porum aereorum natura vigét. *Sed Auguſtinus Apu lei, & Platonicorum alludit forſitan opinioni; qui dæmones corporeos tradiderunt; ideò inquit.* [ *Dicuntur* ] *Vt dicere poßimus, angelos eſſe ſimpliciter, ac penitus incorporeos. Dei autem comparatione, & ſecundum quid, corporei dici poſſunt; quoniam potentiam includunt, & ab actu puro plus minus ſinguli diſtant. Sed & ſi natura incorporei ſunt; ſumunt tamen aliquando corpus aliqui eorum; ſi ad implendũ miniſterium, quod illis à ſuperioribus angelis, aut etiam à Deo demandatur, opus fuerit. Dicitur* [ Dei miniſtra ] *nõ quia angelorũ miniſterio ad rerũ omniũ, et ipſius mũdi adminiſtrationẽ, et prouidentiã Deus indigeat; qui nullius indigus eſt; ſed quia, ad ipſorũ dignitatem, aliquã rerũ adminiſtrationẽ eis Deus impertitur. Adminiſtrãt quippè multi res ſingulorũ hominũ. (Matth.cap.18.) ait Dominus.* Angeli eorum ſemper vident faciem patris. *quo loci S. Hieronymus inquit.* Magna dignitas animarum eſt; vt vnaquæq; habeat ab ortu natiuitatis in cuſtodiam ſui angelum delegatum. *Multi patres affirmare non dubitant.* Vnumquemq; bonum vnum angelum ſibi ad cuſtodiam deputatum, & vnum malum ad exercitium habere. *De bono angelo ad cuſtodiam nobis deputato non eſt dubitatio. de malo nõnulli dubitant; uel quia illi nos tentant, qui nos tentare permittantur, quicunque illi ſunt: vel quia fomes concupiſcentiæ, qui in nobis etiam*

poſt

*poſt baptiſmum permanet, ad hominis tentationem, & rui nam abundè ſufficere videtur. Multi etiam angeli rerum publicarum, & prouinciarum curam habere dicũtur. Apoc. 1.* Septem ſtellæ angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum illarum; quarum erat illis cura demandata. *Et (Dan. 10.) legitur:* Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus; & ecce Michael, vnus de principibus primis, venit in adiutoriũ meum; & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarũ. *Dicitur.* [per gratiam non natura immortalitatem conſecuta] *quoniam omnis creatura de nihilo eſt. quod autem eſt de nihilo, quantum de ſe eſt, in nihilum verti poteſt. Omne namq́, quod incæpit, poteſt deſinere: quòd ſi non deſinit, ex diuina gratia eſt, non ex ſua natura. quippè.* Solus Deus (*2 Tim. 6*) immortalitatem habet. *Dicitur deniq́.* [cuius ſubſtantiæ ſpeciem & terminum ſolus creator agnouit] *An ſint tot angelorum ſpecies, quot angeli; an potius ſint omnes eiuſdem ſpecificæ naturæ; ſolus Deus reuera nouit. Homines coniectura iſtud venari contendunt. quibuſdam placuit ſingulos eſſe ſpecie diſtinctos; nonnullis alijs eos tantum, qui ſunt alterius hierarchiæ; alijs eos, qui ſunt alterius ordinis; mihi placuit ſemper (ſine præiudicio melioris ſententiæ) eſſe omnes eiuſdem ſpeciei: nihil autem in hac diſputatione poſſumus cum demonſtratione, ſed tantum per reuelationem, determinatè dicere. probabili ex*

*ratione*

*ratione ductus, in libello ſeorſum Bononiæ impreſſo opinionē meam ſuperioribus annis expoſui. Et de angelorum natura hactenus. Quoniam autem eiuſmodi (vt dictum eſt) creati ſunt angeli: quattuor propterea ſunt illis initio ſubſiſtentiæ ſuæ à patribus attributa; eſſentia ſimplex ideſt indiuiſibilis, & immaterialis, perſonalis diſcretio, intelligentiæ perſpicacitas, & libertas arbitrij.*

## De caſu Angelorum. Cap. VII.

QVONIAM *angeli de nihilo facti ſunt; vertibilis naturæ exiſtunt; & ad bonum & ad malum natura ſua flecti poſſunt. Omnes à Deo & boni, & beati facti ſūt, bonitate, atque beatitudine naturali. Agnouerunt ab initio conditionis ſuæ, ſe eſſe factos de nouo, factorem ſuum fuiſſe Deum, cum quibus virtutum ornamentis facti ſunt: talibus ſanè vt & ſi proficere, & mereri gloriam æternam de ſe non poterant. (Non enim eſt meritum ſine gratia; quam in creatione non habuiſſe, eſt patrum multorum ſanior opinio) poterant tamen in eo, in quo ſunt conditi, ſtatu perſiſtere; & per donum gratiæ gloriam operando promereri. Perſtiterunt aliqui, aliqui non perſtiterunt; ſed moræ impatientes, & de ſeipſis præſumentes nimium, dum elati aſcendere conati ſunt; ipſa elatione corruerunt. Dixerat Lucifer (Iſa. 14.)* Aſcendam in cœlum, & exaltabo ſolium meum,

um, & ero ſimilis altiſsimo. *Dixit Ieſus (luc. 10.)* Videbam Sathanam tanquam fulgur de cœlo ca dentem. *Et (Io. 8.)* Ille homicida erat ab initio, & in veritate non ſtetit. *ideſt in vera, quam de ſe ipſo, & de Deo naturaliter habebat cognitione, & in recta, in qua creatus fuerat, conditione, non perſeuerauit. Caſus angeli duplex fuit. Vnus ſpiritualis, quo de ſcientia ad ignorantiã, de innocentia ad culpam, de dilectione ad odium, de luce ad tenebras cecidit. alter localis, quo de cœlo ad terram, de para diſo ad infernum, ſiue ad aerem caliginoſum pulſus eſt. Illi qui corruerunt, malo ſemper ita obſtinatè adhærent; vt et ſi bonum aliquod aliquando velint, aut faciãt; benè tamen illud velle, aut facere non norunt. In Euangelio propterea Dominus increpabat Dæmones; & non ſinebat eos loqui; quãuis veritatem dicerent. Quod nonnulli patres dubitant. An boni creati ſint in gratia, mali in ſua malitia, vel in puris naturalibus. An interceſſerit mora inter creationem et gloriam, vel lapſum. An boni meruerint ſuam beatitudinem, ante, vel poſt eiuſdem aſſecutionem. An mali in infernum, vel in aerem hunc caliginoſum omnes, vel aliqui ſint detruſi. Et alia id genus; relinquenda nunc ſunt. piè autem credamus, et bonos & malos in creatione pares extitiſſe. abſit, vt credamus, Deo auctore, malam eſſe creaturam. Inter creationem, & lapſum quorundam, & aliorum gloriam, moram interceßiſſe; & vt malos ſuam damnationem, ita bonos ſuã bea-*

*titudinem ante meruiſſe, ſine pertinacia, credere poſſumus. An verò boni per plures actus charitatis, vel magis per unũ mirificè intenſum, æternam fœlicitatem ſint promeriti: aut in quem locum ſint mali detruſi; ſapientiori iudicio relinquamus. Nobis ſcire ſat eſt, quód ſi non omnes, multi certè sũt in hoc aere caliginoſo; aduerſus quorum inſidias nos armatos ſtare (ad Eph. 6.) hortatur Apoſtolus. cum perpetuum nobis ſit bellum,* aduerſus principes, & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harũ, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus. *Quemadmodũ autem mali, in malo ita ex ſe firmati ſunt; vt nulla violentia extrinſeca, ſed intrinſeca tantum propria voluntate, benè agere, aut benè velle nõ poſſint: Ita boni in bono ſic à Deo confirmati ſunt; vt nulla externa vi, ſed interna tantum propria voluntate màle agere, aut malè velle non queant. Natura namquè ſpiritualis ſemel tantum vertibilis eſt, vel in bonum, vel in malum: verſa autem, in oppoſitam partem redire non nouit: quoniam ob ſuã ſimplicitatem tota ſe conuertit, ad id quod eligit. Confirmatio in malo, eſt quædam cæcitas mentis; qua bonum cognoſci, & malum euitari non poteſt. In bono autem confirmatio eſt quædam mentis illuminatio; qua bonum exactè à malo diſcernitur; & intensè vnum appetitur, aliud contemnitur. Et eſt confirmatio in bono gratia gratis data; in malo autem pœna debita. Si quis dubitet, an plures ceciderint, quàm ſteterint; vel cõtrà. legat*

*cap.*

*cap. 12. libri Apocalyp. vbi legitur, quòd* cauda Draconis trahebat tertiam partem cœli; & miſit eos in terram. *& ſibi ipſi quæſtionem diſſoluet.*

## De Angelorum differentia. Cap. VIII.

DVBITARE *aliquis poteſt, ſi data de angelo diffinitio ſiue deſcriptio angelis omnibus æquè conueniat, vt hominis ratio, Animal rationale mortale, hominibus vniuerſis æquè conuenire dicitur. Patres illi, qui ſpecies angelorum plures fatentur, non poſſe æqualiter omnibus illã conuenire, fateri coguntur: ſed maximam eſſe inter eos in naturæ eſſentia, in mentis perſpicacia, in ſui agilitate, in arbitrij poteſtate, & in Dei ſeruitute differentiam. Qui verò vnam in eis admittunt naturam et ſpeciem: facilè tueri poſſunt illa omnia (quantum ad aptitudinem, et naturæ conditionem) in angelis eſſe paria; & ſi quantum ad actum, in eis aliqua diſparitas exiſtat: vndè ordinum, & ierarchiarum numerus & ordo ſumi poßit. Cæterùm eadem eſt (vt à nobis alibi dictum fuit) omnium eſſentialis ratio, vt in hominibus vniuerſis eſt par ratio riſibilitatis, aut etiam (dixerim) rationabilitatis: & ſi omnes actum ridendi, aut ratiocinandi non æquè exerceant. Qui autem actu rationis & mente alios excellunt, alijs in ordinata republica præferuntur. Vndè vt inter homines diuerſi quaſi ſtatus erecti ſunt, vt ſunt ſtatus*

*laicorum, & clericorum; & in vtroque ordine ſtatus multi; ita inter angelos tres Ierarchias, & in qualibet Ierarchia tres ordines ſancti patres conſtituerunt. In ſuprema ſunt Cherubim, Seraphim, & Throni; primi bonitatem, ſecundi veritatem, tertij æquitatem Dei conſiderant, eamq́ maxime imitari dicuntur. In media Dominationes, Principatus, & Poteſtates: primi angelis, ſecundi populis præſunt, tertij coercent poteſtatem dæmonũ. In infima Virtutes, Archangeli, Angeli; primi operantur miracula, ſecundi maiora annunciant, tertij minora nunciant, ſingulareſq́ homines cuſtodiũt. Hæc nomina ſunt angelis propter nos, hoc eſt ad doctrinam & inſtructionem noſtram tradita: quæ omnia, dona gratiæ illis in quadam eminentia collatæ, nobis indicant. In aliqua namquè gratia eorum aliqui excellenter quidem abundare dicuntur, non autem ſingulariter; ita vt aliquis aliquam gratiam, quàm alter nõ habeat, obtinere dicatur. In illa enim cæleſti curia, vbi boni plenitudo eſt; licet quædam ſint data excellenter: nihil tamen ab aliquo poßidetur ſingulariter. Omnia enim dona, omneſque gratiæ in omnibus & angelis, et beatis ſunt; & ſi non æqualiter. (Homil. 34. in Euang.) inquit S. Gregor.* In illa ſumma ciuitate quisq; ordo eius rei cenſetur nomine; quam plenius accepit in munere. *Fuſius autem, atque exactius de ierarchia dicere, & de ordine angelorum nunc mittamus. Lib. de cæleſti Ierarchia cap. 3. à B. Dionyſio iſtud latius explicantur.*

*Vgo de S. Victore inquit.* quòd in eo quod illuminãtur angeli, fiũt gratiæ participes; in eo verò quod illuminant, efficiuntur poteſtatis conſortes. conſtat his duobus ierarchia, & perficitur gratia & officio, virtute & miniſterio. De eſsẽtia Ierarchiæ tria ſunt, ordo, ſcientia, & actio. *In quolibet angelo tria ſunt, eſſentia, virtus, & operatio. operatio autem eſt triplex purgare, illuminare, perficere. vt in angelis quoque te uertas trinitatem intuearis. De angelis hactenus.*

## De rerum corporalium creatione. Cap. IX.

QVONIAM *non cœlum tantum, ideſt naturam angelicam in principio creauit Deus; ſed terram etiam, ideſt naturam corporalem; quæ ex materia ſimul & forma conſtat. Ideò reſtat, vt de ipſa corporali natura nunc, expedita iam ſpirituali, verba aliqua faciamus. Naturæ corporalis materiam Moyſes quandoque appellauit terram; ſiue quòd in omnibus fermè corporatis rebus cæteris elementis terra prædominetur; ſiue quòd inter elementa terra minus ſpecioſa, & quaſi ſine forma eſſe videatur, ſicut deformis materia eſſe intelligitur. eandem quandoquè aquam appellauit; quo nomine antiqui etiam quidam philoſophi materiã appellauerunt. quòd ratione humiditatis omnem formam facile*

*cile aqua recipiat. Vndè legitur.* Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas. *quomodo ſuper auro aurifex, & ſuper ligno faber lignarius, & ſuper ſua materia artificis ſpiritus ferri dicitur. Appellauit etiā materiam quandoque abyſſum, ideſt illud chaos, quod à poetis poſitum eſt; in quo confuſa, & indiſtincta finxerunt omnia. quia nullam materia habet propriam formam; formarum autem omnium receptaculum eſt; vndè tenebræ etiam, ideſt obſcurum quid et ignotum dicta eſt. Materia namq̃ de ſe ignota eſt; cognoſcitur autem per analogiam ad formam. Poſita materia (illa namquè artificis operi præſupponitur) primum quod ad operationem neceſſarium eſſe videtur artifici, lumen eſt. Quid namque ſine lumine artifex rite agere poterit? Deus, qui cuncta operaturus & creaturus erat, ad artificis ſimilitudinem, Omnium namque eſt artifex, poſt materiam lucem condidit.* (Dixit fiat lux, & facta eſt lux) *& parti materiæ conditæ lucem ingentem impreſſit, reliquam tenebroſam reliquit; vndè dies reſultauit & nox. Facta hæc ſunt (inquit Scriptura) die vna. Altera die diuiſa eſt vniuerſa iſta materia, quam antè, terram, aquam, abyſſum, tenebras appellauerat Moyſes, in duas præcipuas partes; & ex vna, puriori videlicet, cœleſtia ex altera minus purgata, ſubcœleſtia corpora Deus fabricauit. Cœleſtia vocauit omnia vno nomine firmamentum, duplici de cauſa, vna, quia ſedem illa non mutant; ſed in quo loco fuerunt primitus condita, permanſe-*

*manſerunt; & in eodem, motibus, atque operationibus ſuis funguntur: altera, quia peregrinas tranſmutationes, quæ illa corrumpant, non recipiunt. poſſet addi tertia, quia ſtellæ in cælo fixæ ſunt; & non in cælo mouentur, quomodo piſces in aqua. quarta etiam, quia cælum primum, quod patres empyreum à ſplendore dixerunt, nullo agitatur motu; ſed firmũ, & immobile permanet. Dicitur autem firmamentum diuidere aquas ab aquis, & in aquarum medio eſſe factum; quia natura peruia & diaphana, qualis eſt aqua, inter luminoſa & opaca corpora, qualia ſunt cælum et terra, medium obtinet locum. Tertia dies tota eſt circa elementorum conſtitutionem occupata; aquas in ea Deus collegit, ac eas ab alijs elementis ſegregauit: quibus ſegregatis terra arida, ideſt ſuapte natura ſicca viſa eſt. Aquarum multitudini congregatæ impoſitum eſt nomen mare, terra herbis virentibus, uirgultis, & fructiferis arboribus repleta apparuit: ſingulis vim, ſeminalemq́ quandam rationem Deus indidit; qua à terra, & vitam, & perpetuam in ſpecie ſua conſeruationem haurire poſſent. Cælo, aqua, & terra in eſſe ſuo naturali conſtitutis, eorum ornamenta vates ſanctus proſequitur. Cæli ornamentum quarta die aggreſſus eſt Dominus; quod ſtellarum, luminumq́ ingentiſsima, numeroſiſsimaq́ multitudine abſoluitur, in primis ſole, & luna duobus maximis luminaribus, potiſsimum autem ſole: qui ſuo motu diem peragit & noctem; diem dum ſupra orizontem, noctem dum infra eundem moue-*

*tur;*

*tur; aliorum etiam temporum vices miniſtrat veris videlicet, & æſtatis, dum in ſignis Zodiaci ſeptentrionalibus, autumni, & hyemis dum in meridionalibus defertur. In principio arietis, & libræ noctes vbique terrarum diebus adæquat. In principio cancri longiſsimum diem, in principio capricorni longiſsimã noctem, nobis quidem efficit aliquibus vero oppoſitum facile euenire poteſt. Quin etiam horas, dies naturales, menſes, & annos motu ſolis nos dimetimur; annos præſertim, quia menſes motu lunæ, dies naturales motu ſtellati cœli magis reuera metimur: quàm motu ſolis. In die quinta aerem auibus, aquam piſcibus omnis generis exornauit. Sexta autem dies tota expenditur in illis creandis animalibus: quæ non in vno tantum elemento degunt, vt faciũt piſces, aut degere poſſunt plurimum, vt aues; ſed in duobus terra & aere perpetuò de neceſsitate conſiſtunt; terræ innitũtur, aerem vero ad refrigerium inſpirant, vt ſunt iumenta, animalia quæ facilè aggregantur; quæ ad iuuandum hominem apta ſunt; beſtiæ ſoliuagæ, atq; reptilia: quæ ad terræ ornamentum mirificè conducunt omnia. Poſthæc autem hominem Deus ad ſui imaginem cõdidit; maſculum prius, poſteà ex maſculo femellam. de homine autem paulo poſt dicendũ erit. Die autem ſeptimo ab omni opere quieuit Deus: ſabbatum propterea ideſt quies, eſt dies ille appellatus, benedictus, & ſanctificatus à Domino. Hic dies ſine nocte in litera ponitur: quia animarum in paradiſo quietem denotat: que ſine fine, æterna futura eſt.*

## Creata omnia ſimul. Cap. X.

SED *cum tradant phyſici, & non contemnendis rationibus ( lib. 6. de Phyſico auditu ) Ariſtoteles diffuſè oſtendat, à virtute mouente cum medij reſiſtentia, tarditatem in motu, & velocitatem pendere: vt virtus maior et velocius, & breuiori tempore moueat idem mobile per idem ſpatium; quàm moueat virtus minor. Sit autem ( vt ſuperiore libro oſtenſum eſt ) Deus infinitæ virtutis: ad quem modum tot dierum interualla poſuit in opere Dei S. Moyſes? Adde, quód ( Eccl. cap. 18. ) legimus.* Qui viuit in æternum creauit omnia ſimul. *Et ( Iob. 40. )* Ecce Beemoth quem feci tecum. *hoc eſt angelum ſimul cũ homine creaui: ſi angelus in principio creatus eſt; quomodo homo die ſexta creatus legitur? Si homo ſimul cum angelo creatus eſt, igitur omnia, quæ medio tempore creata legũtur, ſimul creata ſunt. Poſſunt ad hanc difficultatem plures afferri piæ & catholicæ reſponſiones. Vna, quam ſequitur doctiſſimus B. Hieronymus; quòd creauit Deus omnia completè, & diſtinctè opere ſex dierum, & ſi virtute infinitus eſt; quia non pro ratione virtutis, ſed pro arbitrio optimæ ſuæ voluntatis creauit. poſſunt nihilominus omnia ſimul dici creata; quia materiam rerum corporalium omnium à principio creauit Deus, licet informem: aut ſi formatam ( vt patres aliqui*

*exiſtimauerunt) cum tali forma illam creauit; quæ eſſet in potentia ad alias omnes materiales formas. Ad quem modum formæ elementorum ad alias formas, aut vegetatiua embrionis ad ſenſitiuam, potentiam aliquam, ad quorundam opinionem, quoquo modo habere dicuntur. Altera eſt, quam ſequitur S. Auguſtinus lib. 1. de Geneſi ad literam cap. 13. & aliquot ſequentibus; quo loci diſtincta, & in ſuis ſpeciebus abſoluta fuiſſe creata omnia, doctiſſimè oſtendit; non autem informem materiam formatas res præceſſiſſe, niſi natura, & origine; quod pulcherrimo adhibito exemplo declarauit. ſed & exemplum, & ſententiam ſuam ſuis verbis explicemus.* Non quia informis materia formatis rebus tempore prior eſt; cum ſit vtrumq; ſimul cõcreatum, & vnde factum eſt, & quod, factũ eſt. Sicut enim vox materia eſt verborum, verba verò formatam vocem indicant; non autem qui loquitur, prius emittit informem vocem, quam poſſit poſtea colligere, atquè in verba formare; ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam; & eam poſtea per ordinem quarũcumq; naturarum, quaſi ſecunda conſideratione formauit. Formatam quippè creauit materiã; ſed quia illud, vnde fit aliquid, & ſi non tempore, tamen quadam origine prius eſt; quàm illud, quod inde fit. potuit diuidere ſcriptura loquendi

tempo-

temporibus, quod Deus faciendi temporibus nõ diuiſit. Quamobrem cum ſimul vtrumq; Deus fecerit, & materiam, quã formauit, & res, in quas eam formauit: & vtrumq; ab ſcriptura dici oportuerit; nec ſimul vtrumq; dici potuerit: prius illud vnde aliquid factum eſt; quàm illud, quod inde factum eſt; dici debuiſſe, quis dubitet? *Hactenus S. Auguſtinus; qui verbis nihil obſcuris ſententiam ſuam explicauit. Idem ſentit Vgo Victorinus, qui (lib. 1. de Sacram. parte p.ª cap. 6.) ita ſcriptum reliquit.* Nàm ꝙ illa rerum omnium prima materia in principio temporis, vel potius cum ipſo tempore exorta ſit, conſtat: quandiu autem in hac informitate, ſine confuſione permanſerit, ſcriptura manifeſtè non oſtendit. Mihi autem videtur (quantum ego conijcere valeo) inter creationem, & diſpoſitionem rerum, ordinem quidem temporis, ſed nullam fuiſſe moram interiectam; ita vt verè quidem dici poſſit, hoc poſt illud factum fuiſſe; ſed inter hoc factum & illud, nullam omninò dilationem interueniſſe. *Verbum illud* [ ordinem quidem temporis ] *exponendum eſt pro ordine originis: cum nullam ponat interiectam moram, intet materiam & res materiatas. quibus omnibus ad difficultatem eſt manifeſta ſolutio; creata videlicet ſimul cuncta fuiſſe.*

## In operibus ſex dierum eſt ordo naturæ. Cap. XI.

SVBORITVR *alia difficultas, ſi diſtincta & formata creata ſimul ſunt omnia; Vnde inter creatas res ordo ſumendus erit; ſex diſtinctis diebus à Moyſe deſcriptus? Nam prima die facta eſt lux; ſecunda factum eſt firmamentum; tertia congregatæ ſunt aquæ, propter quod terra apparuit; quarta facta ſunt luminaria; quinta piſces, & volucres; ſexta iumenta, beſtiæ, reptilia, nouiſſimè homo. Quæ poteſt reddi ratio, cur illa prius, iſta poſterius creata eſſe dicantur? Dicerem (cum omni modeſtia, & ſine melioris ſententiæ præiudicio) inter iſta ſex dierum opera naturæ ordinem reperiri: ſi præſertim, myſtico omni relicto, literalem ſēſum proſequamur. Præcedit materia ſuapte natura vniuerſum opificium (ad rerum ſpiritualium creationem nunc literam Moyſi non extendimus) quæ quidem materia in primis verbis deſcribitur.* In principio creauit Deus cœlum & terram. [*Cælum*] *antè expoſuimus naturam angelicam; nunc dicimus vtroq; verbo* [*cælum & terram*] *materiam ſignificari. Eſt autem cælum triplex. Vnū, quod à patribus cælum ſanctiſſimæ Trinitatis appellatur. Hoc eſt quod appetebat lucifer.* (*Iſai. 14.*) Aſcendam in cœlum &c. *ad quod* (*vt multi patres affirmant*) *raptus fuit*

*Paulus*

*Paulus (2. Cor. 12.)* Scio huiuſmodi hominem raptum vſquè ad tertium cœlum. *Alterum, quod ſuper omnia elementa quattuor conſtitutum eſt; quod ſecunda die factum eſſe legitur; quod cœlum æthereum dicitur. Tertium & infimum ſunt elementa terræ circunfuſa, aqua, aer, & ignis; ſed aer potiſſimùm. Unde legitur.* Volucres cœli, *hoc eſt cœlum, de quo vt de ſecundo, exponi poteſt ſcriptura. quod in principio factum eſt: hoc autem eſt materia, ex qua elementa conſtant, & corpora tam cœleſtia, quàm ſubcœleſtia, terra videlicet & cœlum, ideſt aqua, aer, & ignis: ſed aeris aut ignis non meminit Moyſes, rudi populo ſcripturus: qui vix manifeſta ſenſibilia apprehendebat. Iacto naturæ fundamento, quod eſt materia, quæ ſi non tempore, natura ſaltem res formatas præcedit; ſequitur lux; forma nō à materia penitus abſoluta; ſed inter materiales formas valdè ſpiritualis. Operaturus mundum Dominus rem optimam atq́ pulcherrimam; fecit imprimis lucem. Boni namq́ artifices præparatam materiam ad lucem pro ratione formæ introducendæ diſponunt (Io. 3.)* Omnis qui malè agit odit lucem. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifeſtantur opera eius: quia in Deo ſunt facta. *Poſt lucem factum eſt cœlum ſecundum ſiue æthereum ex materiæ parte purgatiore, quam aquæ nomine intelligere poſſumus: quæ præceſſerat, non quidem tempore, ſed natura. Poſt cœli ſecundi ſiueætherei conſtitutionem, ſequitur conſtitutio.*

*tutio cœli extremi, hoc eſt formatio & diſtinctio quattuor elementorum. Aquæ namq́ congregatæ ſunt, hoc eſt formatæ, & diſtinctæ; quibus formatis, & congregatis diſtinctio terræ & aeris, quaſi conſequio quodam reſultauit: ſed aerem aquam appellat Moyſes, vel quia aer non videtur, vel quia aer, quem habitamus, craſſus eſt, & veluti aqua purior. Purus namq́ aer, & in ſua naturali diſpoſitione conſtitutus ineptus eſt reſpirationi animalium, atquè (ſic dicam) infrigidationi viuentium. His cœlo videlicet, aqua, & terra, pro eorum natura, loco, & diſpoſitione primum conſtitutis, ad eorũ deinde ornamenta explicanda accingitur S. Vates; & primo cœli (vt par erat) ornamenta, ſtellas ſcilicet, & luminaria deſcribit die quarta: poſteà in quinta die aquæ ornamenta piſces & volucres: quod elementum inter cœlum & terram collocatum eſt: deinde die ſexta & vltima diuinæ operæ, ornamenta terræ poſuit, iumenta, beſtias, reptilia; & poſtremo hominem. Eſt enim terra elementorum infimũ & vltimum. In ijs igitur operibus omnibus ordinem naturæ conſpeximus; ſecundũ quem, literã ſanctã abſque aliqua tẽporis inter ipſa opera interiectione cõmodè exponere poſſumus.*

## Suborientium quarundam dubitationum ſolutio. Cap. XII.

VERVMENIMVERÒ *adhuc in illis ſex dierum operibus, aliquæ nouitij & tironis animum dubitationes pulſant.*

*pulſant. Vnà, ad quem modum lucem præceſſere tenebræ; cũ priuationes habitus ſuos non præcedant, ſed ſequantur. Dicendum, quòd habitum ſuum poteſt priuatio præcedere impropriè. hoc eſt non quatenus priuatio eſt, ſed quatenus negatio habitus dicitur. imò neq; quatenus habitus negatio eſt (cum negationem ſecundum logicos affirmatio præcedat) ſed quatenus ipſius habitus non poſitio eſt. In omnibus etenim rebus, Deo vno excepto, non eſſe præcedit eſſe. Cum de nihilo facta ſint omnia. Etenim non videre viſionem præcedit, non autẽ cæcitas, nec habitus negatio, ſed eius non eſſe. Altera. quid ſibi vult illud verbum.* Dixit Deus fiat &c. *quomodo loquitur Deus, qui ore, palato, lingua, dentibus, gutture caret; quibus vox ipſa formatur inſtrumentis. Reſpondeo. Dicere Dei nunc aliud nihil eſt, quàm velle Dei: velle autem Deum, eſt facere. nullo ſanè inſtrumento, ſed voluntate tantum facit Deus, quod facit. Vndè ſenſus illorum verborum* Dixit Deus fiat lux, *eſt. Deus ſua voluntate ſiue (quod idem eſt) velle ſuo, lucem creauit. Omitto nunc dicere de æterno Dei verbo, per quod facta ſunt omnia; quod lux eſt increata; lux (inquam) de luce, lumen de lumine. de hoc enim in libro tertio dicendum erit. Tertia dubitatio. Cum cœlum ſecunda die ſit factum, ornatum autem luminaribus ſole præſertim quarta die. A quo primæ diei artificialis, aut etiam ſecundæ, vel terniæ diſtinctionem deſumemus? Dici poteſt à motu materiæ lucidæ; quæ facta lucida eſt, in ipſa lucis creatione;*

*tione; ſicut poſteà à motu ſolis dierum diſtinctio ſumpta eſt. Non quòd idem ſit dies, aut annus, quód motus ſolis, ſed quia ſol ſuo motu ſignum eſt diei, & anni, imò & menſis, & horæ. In qua autem materia lux facta fuerit, & de ea quid factum fuerit ſole formato, & an ex ea ſol conſtitutus ſit, variæ ſunt opiniones, de quibus alibi dicendum eſt. Nunc creata fuiſſe omnia formata, & diſtincta dicere ſufficiat. Quarta dubitatio. Cur terræ conſtitutio tertia die, cum aliquo hoc eſt plantarum ornamento facta, poſita eſt inter cœli conſtitutionem, quæ fit ſecunda die, & eius ornamentum, quod quarta die ſtellis & maioribus luminaribus abſoluitur. Meliori iudicio ſine contentione ceſſurus dicerem, cœlum trifariam conſiderari poſſe, ratione ſubſtantiæ, ratione motus, & ratione figuræ. Cœlum quidem terram præcedit ratione ſubſtantiæ; tum quia ſubſtantia eſt præſtantior; tum quia in terram influit; tum tertiò quia ab eo aliquo modo illa dependet. ratione autem motus, aut figuræ, contrà terram cœlū præcedere dicere poſſumus. ratione quidem motus; quia terra immobile illud eſt, cui motus cœli innititur. Omnis enim motus (vt libro de progreſſu animaliū demonſtrauit Ariſt.) immobili cuipiam de neceſſitate innititur. ratione etiam figuræ, quam motus oſtendit; cœlum terra præcedit; quia eſt eius centrum; centro autem circumferentiæ ductus de neceſſitate innititur. quippè ſi circini pes in centro non ante perſtiterit, deſcribi ſphæricam circumferentiam impoſſibile erit.*

*Duobus*

*Duobus namque centris ſphæra cœleſtis innititur. Vnum mi-nus circumferentia, quod eſt terra; cui & motum, et figurā cœleſtis corporis inniti dicere poſſumus. alterum maius, quod eſt Deus; cui & motus, & figura, & ſubſtantia, & omnis eius virtus de neceſsitate innixa eſt (ps. 31)* Verbo Domini cœli firmati ſunt; & ſpiritu oris eius omnis virtus eorum. *Quinta & vltima dubitatio. cur hominis conſtitutionem vltimo loco poſuit S. Scriptura, qui cū animalium ſit præſtantiſsimum, ante piſces, & volucres, & cætera animalia; imò etiam ante arbores, & plantas naturæ ordine ponendus eſſe videtur. Dicendum, quòd quamuis dignitate, & præſtantia, animalia cætera, & plantas imò etiam cœlum ipſum, & mundum vniuerſum homo præcedat: non tamen natura, id eſt nō ordine productionis. Quippè quæ perfectiora ſunt, natura, ſiue generationis ordine ſunt poſteriora. Vndè (lib. 9. Metaphyſ. tex. 15.) dixit Ariſtoteles.* Priora generatione ſunt poſteriora perfectione. *Inter viuentia, naturæ & productionis ordine, primum id eſt infimum & poſtremum locum tenet planta: quæ ſolo vegetatiuo viuit; medium locum tenet animal; quod ſenſitiuo tantum & vegetatiuo viuit; vltimum & ſupremum locū tenet homo; qui intellectiuo, ſenſitiuo, & vegetatiuo viuere conſpicitur. Quamobrem cum ſit animal præſtantiſsimum, poſt reliqua omnia naturæ ordine homo plaſmatus eſt. Adde, quia homo eſt, propter quem mundum vniuerſum*

*Deus creauit, vltimo loco tanquam totius vniuerſitatis finis meritò creandus erat. Eſt namque homo etiam ſecundum Ariſtotelem (lib. 2. Phyſ. 24.) quodāmodo finis omniū. Rurſum, quia piſcibus, volucribus, beſtijs, & vniuerſæ terræ dominus præficiendus erat; æquum fuit; vt poſt omnia formaretur; & veluti poſt præmiſſum ſatellitium regiam ſuam princeps ingrederetur. de homine igitur ſequitur, vt dicamus.*

## De Homine ad imaginem Dei facto. Cap. XIII.

HOMO *igitur poſt alia omnia factus legitur, ad Dei imaginem, & ſimilitudinem. Ita namquè dicit S. Scriptura.* Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram. *Quibus verbis tria ſignificantur. Perſonarum diuinarum pluralitas. verbo* [ faciamus ] *Deitatis vnitas. verbo* [ noſtram ] *&) hominis ad Dei imaginem, & ſimilitudinem formatio. Cauſam ſuam effectus quilibet aliquo modo referre dicitur. quælibet creatura, quia vna eſt, Dei, qui eius cauſa eſt, vnitatem refert; Deus autem, quia in perſonis trinus eſt; in qualibet creatura trinitatis veſtigium aliquod dereliquit. quod in alijs rebus veſtigium tantum, in creatura autem rationali etiam imago dicitur. Etenim in vnaquaq; re eſt ſubſtantia, ſpecies, et figura,*

*vt*

*Vt in pomo caro, color, rotunditas. Item eſt numerus, pondus, & menſura, vt in pomo ipſo; eſt ordo, quem tenet, ordo autẽ refert numerum: eſt locus, in quo iacet, hic pondus, eſt delectatio ſiue vtilitas quam infert, vtilitas eſt rei menſura. Item eſt virtus, ſpecies, & vtilitas. Item eſt eſſentia, virtus, et operatio; & alijs multis modis veſtigium iſtud exprimitur. In creatura rationali, hoc eſt in ipſa ratione & mente non ſolũ veſtigium eſt; quod eſt rei, cuius eſt veſtigium, obſcura quædam repræſentatio; vt eſt pedis veſtigium ad bouem repræſentandum; ſed eſt etiam imago, hoc eſt expreſſior quædam rei, cuius imago eſt, ſimilitudo; vt in picta tabula, aut etiam in ſpeculo bouis imago, conſpicitur. In humana anima eſt memoria, intellectus, & voluntas. Memoria patrem, intellectus filium, voluntas Spiritumſanctum repræſentat; & omnia ſimul imago quædam eſt trinitatis. (lib. 14. de trinit. cap. 8.) inquit S. Auguſtinus.* Licet humana mens nõ ſit eius naturę, cuius Deus eſt; imago tamen illius, quo nihil melius eſt; ibi quærenda & inuenienda eſt; quo natura noſtra nil habet melius, id eſt in mente. *Et paucis interpoſitis.* Ecce enim mens meminit ſui, intelligit ſe, & diligit ſe; hoc ſi cernimus, cernimus trinitatem; nondum quidem Deum, ſed imaginem Dei. *In mente namq; eſt memoria, intelligentia, & voluntas ſiue dilectio; in intelligentia, eſt memoria, atque voluntas; in voluntate memoria, & intelli-*

*gentia. Hæc autem tria vnum ſunt, quia ſunt vna vita, vna mens, vna eſſentia: eò autem tria ſunt, quo ad ſe inuicē referuntur. Memoria hoc loco nihil aliud eſt, quàm obiecti intelligibilis apud intellectum præſentia; unde originem ducit intelligentia, quam vult, & diligit voluntas. Pater filiū producit, patrem autem, & filium nectit Spiritusſanctus. Idcirco capiuntur à ſingulis ſingula, & à ſingulis omnia.* Memini enim (*inquit Auguſt.*) me habere memoriam, & intelligentiam & voluntatem: Et intelligo me intelligere, & velle, atquè meminiſſe. Et volo me velle, & meminiſſe, & intelligere. *Sunt qui faciant differentiam aliquam inter imaginem & ſimilitudinem; vt illa ſit in ſubſtantia animæ; hæc verò in imitatione per benè moratas, & charitate informatas operationes; aut etiam per illud, quod ſuper cæteris rebus habet homo dominium. Sunt etiam qui aduertant verbum [ad imaginem] tum ad Deum, qui eſt exemplar; tum ad mentem humanā, quæ eſt exemplum, referri poſſe. Quamobrem homo & imago, & ad imaginem ſanctiſſimæ Trinitatis, à Deo effectus eſt, penes ſupremam animæ partem; quæ ratio, mens, intellectus, vita nuncupari poteſt. Aduertendum quòd filius Dei dicitur in ſancta Scriptura imago patris. nullibi tamen in ea legitur, quód ſit ad imaginem, quoniam perfectiſſimè, & pleniſſimè exprimit exemplar, quod eſt Deus pater: creatura vero eius, nonniſi imperfectiſſimè Deum repreſentat; vt ad*

*ad imaginem facta non autem imago niſi valde impropriè dici poſſit.*

## De anima. Cap. XIIII.

ANIMA *hominis viſa fuit aliquibus de ſubſtãtia Dei creata. quia dicit Scriptura.* Formauit Dominus Deus hominem de limo terræ; & inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ; & factus eſt homo in animam viuentem. *quaſi de ſpiritu & ſubſtantia Dei fuerit illud vitæ ſpiraculum; quo factus eſt homo in animã viuentem, ideſt facta eſt Anima Adæ. Fuit iſte Manichæi, & multorum hæreticorũ nefarius error. Scribit Moyſes rudi populo; idcirco de Deo tamquam de homine loquitur; de cuius ore ſpiritus quandoque exſufflari conſpicitur. Sed quemadmodum ſpiritus expiratus vel inſpiratus non eſt de hominis ſubſtantia ita, voluit Moyſes, intelligi non eſſe animam de diuinitatis ſubſtantia; & non eſſe præterea, de limo terræ; hoc eſt non de materia, aut de ſemine animam hominis educi; ſed à Deo, organizato prius, & diſpoſito corpori illam infundi. Quam rem modo aliquo olfeciſſe videtur etiam Ariſtoteles theologus ethnicus; quando (lib. 2. de Gener. animalium cap. 3.) ex aliquot ante dictis intulit,* Reſtat igitur, vt mens ſola extrinſecus accedat; eaquè ſola diuina ſit. *Inſpirare autem Deum, ſiue ſufflare, aliud*

*aliud nihil eſt, quàm flatum ideſt animam facere; quomodo* (*Iſai. 42.*) *legitur.* Dans flatum populo, qui eſt ſuper terrā. *ideſt creans animas populorum. Ante animæ inſpirationem, & infuſionem, corpus organizatum eſt. ante inquā non tempore, ſi de Adamo loquamur, ſed natura. quòd ſtatim organizato illa infundatur. Ante ſimiliter creata eſt, quælibet humana anima, quam infuſa, natura videlicet non duratione. Tempore namq́ ſimul creatur, & infunditur; quia creando infunditur, & infundendo creatur. Vt abigenda ſit procul eorum opinio: qui animas ante ſua corpora ſimul cum angelis creatas demādari in corpora tamquam in carceres putauerunt. De ipſius animæ quidditate & natura, & de potentijs eius potentiarumque diſtinctione videndum eſt alibi. Illud vnum tantùm dicam, animas aliarum animantium educi de potentia materiæ, & de ſeminali virtute; animam verò hominis non educi, ſed à Deo creari. quæ humana anima ad quorundam philoſophantium opinionem triplex eſt, ideſt tres ſunt in quolibet homine animæ vegetatiua, ſenſitiua, intellectiua; ad aliorum quorundam duæ tantum ſenſitiua, & intellectiua; quarum vna de materia educitur, & corruptibilis eſt, ſenſitiua videlicet; altera deforis venit, & incorruptibilis eſt. ſecundum veritatem autem vna eſt; quæ incorruptibilis eſt per gratiam, & perpetua: quæ à Deo creatur ſimul atque corpori infunditur. An verò ſint animæ omnes æquales à Deo creatæ, curioſa quæſtio eſt. poſſumus* (*ſine tamen*

tamen pertinatia ) vtramq; partem tueri. mihi placet opinio, quæ aſſerit animas omnes in eſſentia æquales eſſe creatas; diſtare tamen operationibus inuicem ex diuerſa corporis diſpoſitione. Extra terreſtrem paradiſum homo creatus eſt, poſtmodum in paradiſo eſt poſitus; vt paradiſi cœleſtis gloriam, etiã ſi in innocentia perſtitiſſet, non per naturam, ſed per gratiã adepturum fore hominem, ſignificaretur. Vbi autem ſit ille terreſtris paradiſus verè neſcitur; nec à ſancta Scriptura declaratur.

## De Eua. Cap. XV.

EVA, quæ non de nihilo, ſed de iam præiacente materia non de limo terræ, ſed de coſta Adæ ædificata eſt; poſt Adam formata eſt. Ad quem modum autem in tantam quantitatem creuerit parua coſta illa, curioſa magis quæſtio eſt; quàm vtilis. ſatis ſit nobis ſcire à Deo hoc eſſe factum; à quo panes quinq; ( Matth. 14. ) ſic aucti ſunt; vt de eis præter mulieres & paruulos, quinque hominum millia ſatiarentur; & de illis, quæ ſuperfuerunt, fragmentis duodecim cophini impleti fuerint. Tanti nempe atq; tam mirabilis augmenti ( quod mirabile eſt, & creatam potentiam excedit ) vt miraculorum aliorum tota ratio eſt potentia facientis. Credendum eſt autem, & Adam & Euam in virili, & magis florenti, & perfecta ætate factos fuiſſe. quoniam Dei ( dicit

Scri-

*Scriptura*) perfecta ſunt opera. *Non de capite aut de pede, ſed de viri coſta, hoc eſt, de viri latere facta eſt mulier; vt intelligeret Adam, non fuiſſe factam illi dominam., aut ancillam, ſed ſociam. Fabricata fuit non extra paradisũ ſicut Adam, ſed in paradiſo: vt datam intelligeremus ſociã viro, non ad quodcunq́ opus, aut ad indecentem uoluptatem, & ad turpidinem; ſed ad opus bonum tantum, & ad honeſtatem; qualis paradiſum decet. In malo namq́ opere non poteſt eſſe vera ſocietas. Myſticè Eccleſia intelligitur; quæ ex ſacrameutis à Chriſti latere effluentibus ædificatur; necnõ ſceleribus expurgatur;* vt exhiberet (*ſicut ad Eph. 5. ſcripſit Apoſt.*) Ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam.

## Qualis fuiſſet homo innocentia ſeruata. Cap. XVI.

CREATO *homini, & illo in paradiſum omnis generis arboribus conſitum euecto, ac conſtituto præcepit Dominus dicens.* Ex omni ligno paradiſi comede; de ligno autem ſcientiæ boni & mali ne comedas. In quacũquè enim die comederis ex eo, morte morièris. *Sunt patres multi, qui credunt comedere de omni ligno paradiſi, teneri Adam ſub præcepto. boc autem permiſſio mihi magis videtur, quàm præceptum. An autem lignũ ſcientiæ*

*boni & mali, ſit arbor, vel potius per metaphoram ſit præceptum, quod Adæ datum eſt, ex cuius quidem obſeruatione ſcientia id eſt experientia boni, ex contemptu verò ſcientia id ex experientia mali erat futura, proprio cuiuſq; iudicio de relinquitur, modo neutræ parti cum pertinacia adhæreat. Nempè ex obedientia immortalitas, & gloria perpetua, ita futura erat; quemadmodum ex inobedientia mors, & damnatio perpetua ſequuta eſt, & morborum aginina. Datum eſt præceptum viro, muliere nondum exiſtente; vt mulier à viro de diuinis mandatis doceretur. Apoſtolus (1. Cor. 14.) inquit.* Si quid diſcere mulieres voluerint; domi viros ſuós interrogent. *Factus eſt homo mortalis quidem per naturam (non enim aliam, ab ea, quam poſt peccatum, aut quam nos habemus, naturam Adam ante peccatum habuit) immortalis verò per gratiam; immortalitate, non qua, non poſſet non mori; ſed qua, ſi obediens fuiſſet, potuiſſet non mori. Hoc modo immortales in terreſtri paradiſo ſine mala concupiſcentia, & ſine aliqua macula genuiſſent filios; ſi in obedientia permanſiſſent parentes; qui ad certam ætatem cum perueniſſent longæui, in cœleſtem gloriam aſſumpti fuiſſent. Erat enim in illa paradiſo lignum vitæ, id eſt arbor ædens fructus tam delicati ſucci (quicunque illi fuerint) vt reſtaurarent quidquid vitæ, ideſt humidi illius, in quo vita tanquam in radice poſita eſt, ante conſumptum fuiſſet: vt non ſolum in vita, ſed in florenti etiam, &*

N vegeto

*vegeto ſtatu per ſucceſsiuum illius arboris eſum fuiſſet homo ſeruatus, quomodo per ſucceſsiuam aliquam medicinam, ab aliquo morbo aliquis homo præſeruatur. Non fuiſſent autem homines illi omnes geniti; qui geniti ſunt vel fuerunt: cum multos ex mala concupiſcentia, & ex illicito ac innocentiæ ſtatui repugnante concubitu quottidie generari conſpiciamus. Fuerunt, qui concubitum ante peccatum, & in innocentia permanentibus parentibus in paradiſo fieri non potuiſſe dixerunt. quibus obſtat (lib. 8. ſuper Gen. cap. 3.) S. Auguſt. inquiens.* Emiſsi quidem de paradiſo conuenerunt & genuerunt: ſed potuerunt in paradiſo eis eſſe nuptiæ honorabiles, & thorus immaculatus, ſine ardore libidinis, ſine labore pariendi. *Non coierũt in paradiſo, quia creata muliere mox tranſgreſsio facta eſt; & de paradiſo eiecti fuerunt. Filij nati fuiſſent paruuli, pro materni vteri magnitudine: ſed nati membrorum officijs vti potuiſſent: quod in multis mox natis animalculis contingere conſpicimus. Eam præterea rerum cognitionem, quæ ad vitam degendam, & ad Dei obſequium obeundum neceſſaria foret, habuiſſent. Sine fame et ſiti, quæ pœnam aliquam ingererent; quod, ad corporis ſuſtentationem ſatis fuiſſet; et comediſſent, & bibiſſent. In hac vita bonis corporalibus pro naturæ neceſsitate vſi fuiſſent, in qua æterna ſpiritualia bona ſibi promittebantur. Quoniam primum eſt quod eſt animale, deinde quod eſt ſpirituale. Temporale & viſibile bonũ*

*prius*

*prius dedit; inuiſibile autem & æternum promiſit. Animã dedit ratione præditam, qua inter bonum & malum diſcernere poterat. Præceptum addidit obedientiæ, per cuius obſeruantiam, & id, quod datum erat, non perderet; & quod erat promiſſum, obtineret: Vt per temporaneum meritum ad præmium perueniret æternum.*

## De peccato. Cap. XVII.

DIABOLVS, *qui ingenij perſpicacitate, per obedientiæ humilitatem hominem illuc poſſe aſcendere intelligebat; Vnde per elationem, & ſuperbiam iam ipſe deſcenderat, atquè corruerat; inuidit illi; & eidem ad lapſum, qui non niſi per inobedientiæ peccatum fieri poterat, parauit inſidias. Nouerat enim peccatum eſſe tranſgreſſionem diuini præcepti: tentauit propterea de tranſgreſſione, & de inobedientia mulierem; quòd deceptu eſſet illa facilior. Præceptũ fuerat Adæ à Domino.* de ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas. *ſubnectitur inobedientiæ pœna.* Quacunq; hora comederis, morte morieris. *negat Diabolus iſtud futurum, quod Dominus affirmauerat. Et in dubio conſtituitur mulier. Ait Dominus moriemini niſi pareatis. dicit mulier. præcepit ne comederemus, ne fortè moriamur. dicit Diabolus nequaquam morte moriemini. & addit; quò ad peccandum mulierem magis alliciat (dum ſanè*

*in dubio eſt animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.)* Scit Deus quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri; & eritis ſicut Dij, ſciẽtes bonum & malum. *Dubitando mulier à Deo receßit, & diabolo appropinquauit: appropinquanti multa mendax atquè mendacij pater diabolus & magna pollicetur. pollicitationibus allecta Eua de ligno vetito comedit, & comedendum viro tradidit: qui ne ſociam ſuam, & vxorem contriſtaret; inconſideratius quàm par erat, comedit. Vetito fructu ab vtroque comeſto ſtatim aperti ſunt oculi amborum; quia mox cognouerunt ſuam nuditatem, heu quæ & quanta nuditas iſta eſt; facti ſunt ſicut dij, Quomodo? quia operari quidem cæperunt, ſed multo aliter quàm operatus fuerat Deus, id eſt non creando.* Fecerunt namq; præ ſuæ nuditatis erubeſcentia ſibi perizomata. *boni & mali habuerunt ſcientiam, id eſt bonorum & malorum experientiam adepti ſunt. heu quæ ſcientia? vel potius quæ ignorantia? quæ cæcitas? quæ deitas? corruerunt parentes noſtri; et cum eis humanum genus vniuerſum. Eiecti ſunt de paradiſo ſpoliati ſunt gratuitis maximis atque ampliſſimis donis, truduntur in hanc vallem lachrimarum, & pœnis perpetuis, ac acerbiſſimis traditi ſunt cum omni ſua poſteritate. quippè* per vnum hominem (*ait Apoſtolus*) peccatum in hunc mundum intrauit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſijt, in quo

omnes

omnes peccauerunt. *Hoc Adæ peccatum peccatorum omnium, necnon omnium malorum homini fuit initium. Peccatum præceßit tentatio; quòd ſine tentatione aliqua mortale peccatum homo non perpetret. Tentatio in vniuerſum triplex eſt bona, mala, & indifferens. De bona (Gen. 22.)* Tentauit Deus Abraham *(Exod. 16.) ait Dominus.* Vt tentem eum, vtrum ambulet &c. *De indifferenti (3 Reg. 10.)* Regina Saba venit tentare Salomonem in ænigmatibus. *Et (1. Cor. 10.)* Tentatio vos non appræhendat niſi humana. *De mala (Matth. 4.) Ieſus tentatur à diabolo, Et (cap. 12.) ait Dominus.* Quid me tentatis hypocritæ? *Et (Act. 5.)* Cur tentauit Sathanas cor tuum? *Mala tentatio duplex eſt, externa vna, quando malum nobis, vel mali occaſio per ſenſum aliquem cogitationi ita obijcitur; vt mens circa illud conſiderare incipiat: & dicitur ſuggeſtio. Interna altera, et hæc duplex, vna quando de malo cum delectatione cogitamus; & hæc quædam eſt ad peccandum maior vel minor, pro delectationis ratione, præparatio. Altera quando illud, quod cum delectatione cogitauimus, malum patrare iam appetimus; & appellatur conſenſus, & peccatum debet dici magis quàm tentatio; quia tamen peccatum adhuc imperfectum eſt, quouſque in opus extrinſecum veniat, tentatio dici poteſt; ſi autem in opus exeat; ab opere furtum, vel homicidium, vel aliud appellabitur: & tunc perfectum peccatum*

&

*& completum dicetur. Si vero non appetimus malum illud, quod cogitabamus, nec ei præbemus aſſenſum; ſed illud abhorremus prorſus; tentatio, id eſt exercitium ſalutiferum dici poterit. Carnis tentatio,* Inter tentationes omnes difficillimè vincitur; quia interius oppugnans de noſtro contra nos roboratur. *Tria igitur quodam ordine ad peccati complementum veniunt, ſuggeſtio, conſenſus, & operatio; ſiue verbum, cogitatio, & opus. Et quia peccatum Adami, de quo quomodo patratum ſit, in vniuerſum dictũ eſt, originale peccatum nuncupatur; ſequitur; vt de peccato ipſo in genere, & de peccato originali in ſpecie aliqua diligentius percurramus.*

## Peccatum quid. Cap. XVIII.

MVLTVM *ad rem theologicam facit peccati cognitio; quod ab inobedientia Adami traxit originem; ideo patrum veſtigijs innixi, quid peccatum ſit explicare iam adnitamur. Notandum autem tria iſta peccatum, vitium, & crimen (vt notauit S. Bon. in 3. diſt. 3.) in eo differre inuicem, quód peccatum, culpam; vitium, culpæ ſequelam; crimen culpæ magnitudinem dicat. Apoſtolus propterea non ſcripſit ad Timot. oportere Epiſcopum eſſe ſine peccato, ſed ſine crimine; quoniam vix peccatum vitari poteſt. Vgo (lib. 1. de Sacram. parte 12. cap. 10.) ait, differre peccatum, & delictum,*

*delictum,quia hoc eſt non facere, quod debet fieri: illud verò eſt facere,quod fieri non debet. Peccatum innumeris modis à patribus diffinitur. Singulorum autem diffinitiones afferre eſſet compendij modum excedere: pauciſſimas igitur adducemus. S. Thomas (in prima p. q. 63. Et prima 2. q. 21. & 22. q. 162. & alibi) ita diffinit.* Peccatum eſt actus deuians ab ordine debiti finis; contra regulam naturæ, rationis, & legis æternæ. *S. Auguſtinus quamplures attulit de peccato diffinitiones, iſtam inter alias (lib. de Duabus animabus.)* Peccatum eſt auerſio ab incommutabili bono, & conuerſio indebita ad commutabile bonum. *Idem dixit (in 2. diſt. 43.) Ioan Scottus.* Peccatum eſt auerſio à Deo, & conuerſio ad creaturam. *Alibi S. Auguſt.* Peccatum eſt dictum, vel factum, vel concupitum contra legem Dei. *Sed inter omnes mihi maximè placet illa D. Ambroſij lib. de Paradiſo.* Peccatum eſt præuaricatio legis diuinæ; & cœleſtium inobedientia præceptorum. *Adhuc magis illa D. Ioannis,* Peccatum eſt iniquitas. *de qua paulo poſt dicendum erit. Ex omnibus & ſingulis peccati allatis diffinitionibus patere poteſt, cur libera voluntatis corruptela à patribus peccatum dicatur. In voluntate namque corrumpit modum, ſpeciem, & ordinem, cum ſit contra naturam, rationem, & Deum. quod dicunt allatæ omnes peccati diffinitiones ſiue deſcriptiones. Peccatum*

*tum diuiditur in mortale, & veniale. Mortale animam occidit; ideſt priuat illam diuina charitate & gratia, quæ vita eſt animæ; & æternæ mortis peccantem reum facit. non ſic veniale, quod remittit tantum charitatem, non aufert. Mortale duplex eſt, actuale, & originale.* Actuale eſt voluntaria, & actualis commiſsio, vel omiſsio contra rectam rationem. *Hoc namque eſt, quod omnes prius de peccato aſsignatæ diffinitiones explicare intendunt, in primis illa B. Thomæ. Originale autem diuerſimode diffinitur, vt paulo poſt proprio capite declarabitur. Ex ijs omnibus peccati deſcriptionibus colligi poteſt; peccatum formaliter aut nihil eſſe, aut eſſe tantum priuationem; cum ſit tranſgresſio, cum ſit contra regulam naturæ, cum ſit contra legem diuinam, cum deuiet ab ordine, cum ſit inobedientia, cum ſit contra rationem, cum ſit iniquitas. Nihil quippe eſt aliud iniquitas, quàm priuatio æquitatis ac iuſtitiæ, atq; illius erga Deum rectitudinis, quam in homine condito ſtatuerat Deus; quæ in nobis eſſe perpetua debebat: & quam à nobis exigit ipſe Deus. Hoc quippe eſt tranſgresſio, eſt obliquatio legis, eſt inordinatio, eſt inobedientia. Eſt igitur peccatum priuatio, & nihil, & boni tantum corruptio, quæ ſi à S. Thoma actus dicitur, hoc ideo eſt, quia omnis priuatio alicui enti poſitiuo innititur.* Tribus modis (*inquit S. Gregor. lib. 25. Moral. cap. 11.*) peccatum perpetratur, aut ignorantia, aut infirmitate, aut ſtudio: Et grauius quidem

dem infirmitate quàm ignorantia; ſed multò grauius ſtudio, quàm infirmitate peccatur. *Et (in vndecima interrogatione ad Auguſtinum inquit idem Gregorius) Tribus modis impletur omne peccatum, videlicet ſuggeſtione, delectatione, conſenſu. Suggeſtio quippe fit per diabolum; delectatio per carnem; conſenſus per ſpiritum; quia cum primam culpam ſerpens ſuggeſſerit, Eua velut caro delectata eſt, Adam velut ſpiritus conſenſit. Dixerunt patres quidam eruditi; peccati vnum eſſe principium, ſuperbiam; duas eſſe radices, timorem malè humiliantē, et amorem male accendentem, tria eſſe fomenta, concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, & ſuperbiam vitæ. In ſanctis literis peccata remittere Deum, legitur, & tegere, & auertere, et obliuiſci, & transferre. quæ omnia cum pietate ſunt intelligenda. remittit, cum reatum tollit & pœnam debitam; tegit, cum non imputat ad pœnam; auertit, cum miſeretur; obliuiſcitur, cum non reſeruat ad damnationem; transfert, cum in ſe illud recipit, & parcit, & loco peccati dat gratiam. Peccatum dicitur clamare; quando vel genere, vel conſuetudine graue eſt nimis. (Gen. 18.) ait Dominus.* Clamor Sodomorum, & Gomorrhæorū multiplicatus eſt &c. *(Gen. 4)* Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra. *Peccatum menſurari dicitur (Deut. 25)* Pro menſura peccati erit & plagarum modus *Illius menſura à rectitudine illa ſumitur; quæ in actione eſſe deberet. Re-*

ctum namquè eſt iudex ſui & obliqui. Peccatum (Prou. 21.) lucerna impiorum dicitur. (pſ. 31. & Matth. 13) Spina delectationis (1. Cor. 15.) ſtimulus mortis, (Tren. 4) macula animæ. Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum. dicitur pollutio corporis, fætor vtriuſq;. Peccatum demquè hominem infernum facit. Etenim in peccatore eſt ignis auaritiæ, fætor luxuriæ, tenebræ ignorantiæ, vermis conſcientiæ, ſitis concupiſcentiæ, boni operis contemptus, mali pertinacia, Dei odium, Dæmon per effectum. Sed de peccato in genere hactenus. Sequitur vt de peccato primi parentis diſſeramus.

## De peccato Adæ. Cap: XIX.

ADAM à Deo factus eſt; & quia Dei opera omnia (vt dicit S. Scriptura) perfecta ſunt. factus fuit Adam homo perfectus. perfectus (inquam) non ſolũ in ijs, quæ corporis ſunt, vt in ſtatura, ætate, ſanitate, complexione, ſenſu, & omni corporali diſpoſitione: ſed in ijs etiã, quæ ad animum pertinent: vt in ratione, iudicio, notitia rerũ humanarum & diuinarum (quantum homini in ſtatu tam nobili ac ſublimi ſat erat) mente, contemplatione, & alijs eiuſmodi. Quamobrem etiam atque etiam mirandum eſt, ad quem modum à tanta, in qua conditus fuerat, perfectione, & ſapientia, & (dixerim) fælicitate, in tantam tamq;

turpem

*turpem imperfectionem, fœditatem, et miſeriam lapſus fuerit Adam. quomodo à Deo creatore ſuo, quem & Deum, & creatorem ſuum eſſe, & ab eo ſe totum pendere agnoſcebat; tam cito, tamq́ turpiter defecerit. cum præſertim nulla eorum, quæ nouerat ante peccatum, in eo præceſſerit obliuio, aut ignorantia; à qua trahit originem mala concupiſcentia; quæ (Iacob. 1.)* Cum conceperit parit peccatũ. *Ignorantia namq́ in pœnam peccatum ſequuta eſt, non præceſſit; alioqui prius eſſet Vltor Deus, quam homo eſſet peccator; quod nullo modo dicendum eſt. Mulier conſenſit Diabolo, Vir mulieri, Vterque conſenſus malus fuit; ſed Vnde conſenſus malus ſi ſine Vitio erant, & Vir, & mulier, & ipſa denique hominis natura? Quid, oblitus ne erat Adam præcepti Domini? raptus ne effreni concupiſcentia mulieris? ſi ſine mala cõcupiſcentia erat, quomodo auertit ſe à Domino (hoc namque peccare eſt) et conuertit ſe totus ad creaturam, & ad commutabile bonum? Dicerem ego, cum omni humilitate, & abſque melioris ſententiæ præiudicio. quod cum Eua poſt tranſgreſſionem dominici præcepti ſe Verè, hoc eſt corpore, Vt prius, credebat, Viuere, et mortuam non eſſe; quia corpore Viuebat animæ autem mortem non percipiebat; facta audacior, lignum Vetitum Viro ſuo, cum aliqua fortaſſis ſuadela, porrexit. qui, inconſideratius quàm opus fuerat, exiſtimans fortè minas Domini ad terrorem aliquem incutiendum magis, quàm ad mortem inferendam factas eſſe; quia*

*Euam poſt eſum vetiti, & poſt mandati tranſgreſsionem viuam aſpiceret; de diuina miſericordia confiſus; mulieri ſociæ, & uxori vetitum præbenti, & ad manducandum hortanti, ne vel in minimo triſtitia illam afficeret, conſenſit. Non carnali victus concupiſcentia, quam non dum ſenſerat, ſed amicabili quadam beneuolentia, qua plerumq. fit, ut offendatur Deus, ne offendatur amicus. Hinc illæ orbis terrarum vniuerſi lachrymæ, hinc dolores noſtri, hinc miſeriæ noſtræ. Peccatum in Adamo non præceſſit tentatio, vt in Eua; non elatio qualis in Eua; quia non putauit verum, quod Diabolus Euæ ſuggeſſerat; alioqui & ipſe ſeductus fuiſſet; quod negat Apoſtolus. non auerſio à Deo præceſſit qualis in Eua; non conuerſio ad rem commutabilem ſicut in Eua: ſed in Adamo peccatum præceſſit inconſideratio quædam tum diuini præcepti, tum periculi, cui ſe tranſgrediendo obijciebat: quæ quidem inconſideratio & ſi peccatum mortale nõ erat: erat tamen diſpoſitio quædam ad peccandum; vt mirandum non ſit, quód inde peccatum inſequutum fuerit: & præuaricator Adam factus ſit. Ita (Rom. 5.) ſcribit Apoſtolus:* In ſimilitudinem præuaricationis Adæ. *Quapropter Euæ peccatum grauius cenſeri poteſt; vt ſunt aliqua alia peccata Adami peccato grauiora; ſi peccandi cauſas in ipſis perſonis peccantibus attendamus. dixit propterea Apoſt. ad Timot.* Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit. *Par etiam exiſtimari poteſt*

*peccatum*

*peccatum vtriusq; ſi vtriusq; excuſationem aduertas. Adam in mulierem, mulier in ſerpentem, omnem reijcit ſui peccati culpā; et neuter peccatū ſuū humiliter (vt par erat) cōfitetur.* Impar *inquit Auguſt. (lib. 11. ſuper Gen. cap. 35)* fuit ſexus; ſed par faſtus atq; ſuperbia. *pariter ergo ſuperbierunt, & pariter peccauerunt. At ſi tantæ poſteritatis, quāta erat futura, infectionem conſideres (quoniam peccante muliere, ſi vir non peccaſſet, humanum genus minimè peccatis corruptum fuiſſet) maximum, grauiſſimumq; peccatum illud Adami dicemus.* Per vnum hominem (*inquit Apoſtolus*) peccatum intrauit in mundum, & per peccatum mors *id eſt, in vniuerſos toto orbe diffuſos homines ex Adami peccato, & peccatū, & mors ſubintrauit, et eos perdidit. Si dicas, voluntas peccatum præceſſit (Non enim eſt peccatum, quod non eſt voluntarium) non fuit igitur tantum ex inconſideratione Adami peccatum, vt ante dictum eſt; ſed ex deliberata etiam voluntate. Reſpondeo. peccatum illud & in voluntate Adami, & in actu (eo modo intelligendo, quo actus peccato attribui poteſt) conſiſtit: & voluntas mala actum illum præceſſit; ipſam autem voluntatem non alia mala hominis, ſed diaboli tantum mala voluntas præceſſit. Ex diaboli namquè voluntate mala, et callida perſuaſione, & ex ipſius Adami arbitrio, mala illa ſua voluntas, quæ fuit ante peccatum, prodiuit: humanarum iniquitatum omnium origo, atq; colluuies; quæ ſine aliqua deliberatione non*

*ne non fuit. Si quæras; quod peccatum fuit iſtud Adami. Dubitandum nō eſt, quin ſuperbia fuerit. (Eccl. 10) legitur.* Initium omnis peccati eſt ſuperbia. *Verum eſt, quòd plura in hoc vno intelligi poſſunt peccata. Scriptum reliquit (Enchir. 45.) S. Auguſtinus.* Poſſunt intelligi plura peccata in vna tranſgreſsione Adæ; ſi in ſua quaſi membra diuidatur. Nam & ſuperbia eſt illic; quia homo in ſua potius eſſe, quam Dei poteſtate voluit. Et ſacrilegium; quia Deo non credidit. Et homicidiū, quia ſe in mortem præcipitauit. Et fornicatio ſpiritualis; quia integritas mentis humanæ ſerpētina ſūaſione corrupta eſt. Et furtum; quia cibus prohibitus vſurpatus eſt. Et auaritia; quia pluſquàm ſufficere illi debuit, appetiuit; & ſi quid aliud in hoc vno peccato inueniri poteſt.

## De peccato originali. Cap. XX.

PECCATVM *Adæ (de quo præcedenti capite dictum eſt) non tantum Adæ fuit; ſed omnium noſtrum vniuerſique humani generis; quod in ipſo tunc Adamo, vt in radice pomum, continebatur. Etenim quia fuit Adæ peccatum perſonale ſiue actuale dicitur; quia fuit omnium noſtrum, peccatū originale; quòd ab eo originem omnes ducamus, appellatur;*

latur; ſed ſiue perſonale, ſiue originale ſit, peccatum dicitur. Peccatum autem inquit Ambroſ. (vt dictum eſt) lib. de Paradiſo eſt præuaricatio legis diuinæ, & cœleſtium inobedientia præceptorum. Vel breuius cum Apoſtolo Ioanne dicamus. Peccatum eſt iniquitas. quæ peccati diffinitio (qualis qualis diffinitio exiſtat) omni peccato, qua peccatum eſt, conuenit; non ſecus quàm animalis diffinitio, omni animali, qua animal eſt, conuenire dicitur. Actuale, & originale ſpecies peccati ſunt: quæ ſuo generi aliquid addunt. quoniam genera in ſpecies, per differentias (eſt autem differentia illud, quod ſpecies addit generi) deſcendunt. Actuale appellant patres, quod per actum peccantis aliquem patratur: qui actus (fuſius actum ſumendo) duplex eſſe intelligitur, commiſſionis videlicet, & omiſſionis. Nam & qui omittit, omittendo, aliquid agere dici poteſt. Actus quia induiduorum & ſuppoſitorum ſunt; neceſſariũ eſt; vt peccatum actuale ſiue commiſſionis exiſtat, ſiue omiſſionis certi ſit et determinati ſuppoſiti; quod peccare dicatur. Hucusq; patres omnes communi conſenſu deuenerunt. Ex ijs ſequitur quòd peccatũ originale (quia poſt Adam non eſt ab eo, in quo eſt, ſed à ſuperiore, et à generante deſcendit) peccato actuali (quod in eo eſſe dicitur, à quo deriuat) cõtradiſtinguatur. Et hoc patres omnes admittunt. Cum autem peccati originalis naturam & diffinitionem afferre illi voluerunt; in diuerſa proceſſerunt. Primùm peccatum ipſum innumeris

verborum

*verborum modis diffinierunt (vt antè cap. 18. dictum eſt) Deinde peccatum originale, quod actuali contradiſtinguunt, non paucioribus modis circumloquuti fuerunt. Quidam dixerunt.* Peccatum originale eſt quod à noſtra vitioſa origine trahitur. *Sed ſi trahitur ab origine, præceſſit originem. lapis, qui trahitur, motum præceſſit, quo trahitur; ut non ſit iſta damnanda diffinitio. Multi ſolennes Doctores vt D. Thom. Alex. & alij dicere videntur.* Peccatum originale eſſe carentiam iuſtitiæ originalis cum vicio concupiſcentiæ. *Ita diffiniunt, quia peccatum originale cauſa extitit priuationis originalis iuſtitiæ: quam inordinata partium animæ diſpoſitio ſequuta eſt. ſumpta eſt ex B. Anſelmo iſta deſcriptio libro de conceptu uirginis cap. 26. quo loci hanc videtur de peccato originali attuliſſe diffinitionem.* Peccatum originale eſt carentia originalis iuſtitiæ debitæ ineſſe. *Originalis autem iuſtitia, rectitudo illa naturalis eſt, in qua hominem Deus condidit; per quam ſenſus rationi, ratio Deo ſubiecta erat, & perpetuò ſubijci deberet. Sed meo iudicio, iſta iuſtitiæ carentia pœna eſt magis quàm peccatum; & eſt quid, quod peccatum ipſum originale ſequutum eſt, non autem præceſſit; neque ſimul natura, & ſi tempore ſimul cum peccato extitit; & eſt ſine dubitatione inuoluntaria; quis eſt, qui hac iuſtitia velit caruiſſe? peccatum autem, vt voluntarium ſit, eſt omnino ex Auguſtino neceſſarium. Non igitur originalis peccati naturam,*

*ram (ſic dixerim) iſta diffinitio explicat. Multas alio-
rum patrum miſſas facimus deſcriptiones. Pater Ambroſ.
Catar. (in ſua de peccato originali ædita ſummula cap. 5.)
ita peccatum originale non multum ineptè deſcripſit.* Pecca
tum originale eſt commiſſum ipſius Adam volū-
tarium, contra diuinum mandatum; quatenus
Adam origo noſtra eſt, & pater noſter. *declarat
quod ait.* [quatenus origo noſtra eſt, & pater no-
ſter.] *hoc eſt, (inquit) vt principium omnium noſtrùm,
& vt continens nos omnes in vi mandati in ſeipſo. Ad ve
ritatem certè multum acceſſiſſe iſta diffinitio videtur. Ego,
ſine aliquo melioris ſentētiæ præiuditio, ita peccatum origina
le deſcriberē.* Peccatū originale eſt iniquitas huma-
næ naturæ. *Dicitur* [iniquitas] *quia peccatū eſt iniquitas.
In prima Ioan. (cap. 3.)* Omnis qui facit peccatum, &
iniquitatem facit. *Verbum* [iniquitas] *aliud nihil ſigni
ficat, quam priuationem æquitatis. æquitas autem eſt illa iu-
ſtitia, & operationum noſtrarum rectitudo; quam nobis in
creatione contulit, & quam à nobis requirit Deus. quam ap-
pellant patres originalem iuſtitiam; quam in Adamo ami-
ſimus per tranſgreſſionem diuini mandati. dicitur* [huma
næ naturæ] *quia Adam peccando (vt antè dictum fuit)
duplicem rationem habuit, tum perſonæ propriæ: & hac ra-
tione peccatum fuit actuale, ſiue perſonale, & voluntariū;
cui pœna, & damni, & ſenſus æterna debetur. tum com-*

*munis naturæ, non ſolum quia Adam dictus eſt origo, et pater omnis humanæ poſteritatis; ſed multo magis, quia tota tunc ſpecies humana, quando à Domino obedientiæ mandatum habuit, in vno Adamo continebatur: ad quem ferè modum in vno ſole totam ſolaris ſpeciem contineri dicimus. et hac ratione peccatum fuit originale, quòd ab Adamo iſto iã ſcelere infecto humana poſteritas originem traxit; & per originationem infecta eſt vniuerſa; quæ ex eius ſemine orta eſt; non autem voluntarium & perſonale; cui in ipſa poſteritate pœna tantum damni æterna debetur: quæ ſola eſt diuinæ viſionis carentia. Peccatum namq; hoc modo conſideratum peccatum naturæ dici poteſt: quia natura humana iſto peccato vitiata fuit; tum quia priuata fuit multis muneribus ipſi Adamo collatis, in primis autem originali iuſtitia; per quam, ſine carnali concupiſcentia aliqua, potentia inferior regebatur imperio ſuperioris; tum quia hominis politia, in qua pacata hactenus fuerant omnia, peccato illo ſubuerſa eſt, ſenſus rationi rebellis et contumax effectus eſt; vndè peccatorum omnium colluuies ortum habuit. ipſa quoque carnis aduerſus ſpiritum, & ſpiritus aduerſus carnem concupiſcentia. quæ quidem mala concupiſcentia non tantum peccatum eſt (ſi eſt peccatum) ſed pœna etiam eſt ipſius originalis peccati. per quam diffinire originale peccatum nonnulli conati ſunt, vt (lib. 1. de Peccatorum mer. & remiſſ. cap. 9. et 38.) dixerit S. Auguſt.* Peccatum originale eſſe carnalem

nalem concupiſcentiam in genitis ab Adam; qua veluti occulta quadam tabe, tabificauit in ſe omnes de ſua ſtirpe venientes. *quem modũ dicendi, (lib. 2. diſt. 30.) ſequutus videtur Magiſter. Et quia inter peccatum & pœnam intercedit reatus, ſiue pœnæ debitum, peccato namque debetur pœna. Fuerunt etiam patres nonnulli (vt lib. 2. diſt. 30. habetur à Magiſtro) qui dixerunt peccatum originale eſſe illum pœnæ reatum; quo addicti ſumus ex peccato primi parentis. Omnes eiuſmodi deſcriptiones, ſi non ipſum originale peccatum, aliquid certè ad originalis peccati cognitionem faciens, tetigere; ea autem quàm ego attuli diffinitio, & ſi ſcopum (ni fallor) maximè, & originalis peccati naturam (dicere liceat) tetigiſſe mihi videtur: eam tamen peritiorum correctioni (ſi minus recta fuerit) ſubiectã volo. Multis ſine dubitatione litium anfractibus, & difficultatibus ita diffiniendo liberamur. Nulli autem mirum videatur, ſi humanam naturam peccaſſe dicimus. peccare namq; ille dicitur, qui peccato fœdatur; at quàm fuit peccato Adami fœdata humana natura? ſi non fuiſſet humana natura peccatis onuſta, quomodo clamaret Iſaias.* Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit? *Chriſtus videlicet. aut quomodo (ad Epheſ. 2.) diceret Apoſtolus.* Eramus natura filij iræ? *Si autem aliquod eſt humauæ naturæ peccatum; quod illi aſcribemus magis quàm originale? tum quia peccatum eſt* Adami, *ideſt*

*originis noſtræ; tum quia trahimus illud ab origine noſtra; tum quia nos omnes priuauit originali iuſtitia, & multis humanæ naturæ ſuperadditis gratuitis ornamentis. Ex dictis corollario ſequitur. Et perſonam corrupiſſe naturam: quod manifeſtum eſt in Adamo. Et naturam corrupiſſe perſonā: quod in reliquis abundè patet, quot quot de ſemine Adami originem trahunt.*

## De eodem. Cap. XXI.

QVONIAM *originale peccatum diximus peccatum eſſe humanæ naturæ; non ita velim intelligas, quaſi ipſi naturæ per ſe conſideratæ actio aliqua conuenire poßit. Non enim actio (quia iſta eſt ſuppoſiti) ſed modus agendi naturæ conuenit in ſuppoſito exiſtenti. Peccatum non eſt actio ſed modus imò modi defectus in actione. eſt enim vitiū, & priuatio aliqua rectitudinis in actione. quod quidem vitium (ſi de peccato originali loquamur) humanam naturam vniuerſam, ſi de actuali cuiuſque particularem naturam hoc eſt ſuppoſita illa quæ peccant, vitiat, atq; deturpat. peccata namque ſingula propriam peccantium naturam deturpāt. Peccatum autem Adæ non propriam tantum, ſed vniuersā etiam humanam naturam vitiauit. Quoniam autem natura humana vniuerſa in Adam vitiata eſt; quæ propagatione transfunditur: peccatum propterea, quod origine vnum eſt,* propa-

*propagatione in omnibus carnali concupiſcentia ab Adam genitis ita transfuſum eſt; vt natura eſt ipſa transfuſa* (*ps.* 50.) Ecce in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea. *Et* (*ad Epheſ.* 2.) Eramus natura filij iræ, ſicut & cæteri. *Vt fruſtra inquiratur ab aliquibus per quas rimas veniat hoc peccatum; cum anima à Deo munda creetur, caro autem ſine anima nõ ſubdatur peccato. Non enim à carne inanimata eſt, non ab anima non incorporata, ſed à natura ipſa, quæ anima & corpore conſtat, & ab ipſa animæ cum corpore coniunctione id eſt à carne animata, & ab anima incorporata hoc peccatum eſt; non quatenus à Deo eſt, aut à natura condita; ſed quatenus natura ipſa id eſt anima & caro iam eſt in Adamo à recto ordine obliquata ac vitiata, & in ſingularibus hominibus ita propagata; vt infantulus prius pollutus ſit, quàm natus. Dices fortaſſe, baptizatus caret peccato originali; igitur proles eius illo ſimiliter carere debet. Sed argumentum nullum eſt. Non enim homo generat vt mente renatus, ſi vt carne natus eſt. videmus circunciſi prolem habere præputium, & granum mundum paleam germinare. Sed notandum eſt; quod & ſi natura Adami peccato vitiata eſt, non tamen eſt corrupta. Qua namq; ratione in homine, qui per diabolum tentatus peccauit, corruptam dicemus naturam; ſi in angelo ipſo, qui à nullo fuit tentatus; qui eo grauius peccauit, quo excellentioris conditus fuit naturæ; natura (quod doctißimus,*

*mus, & ſanctiſsimus Areopagita dixit ) integra permãſit ? Semiuiuus à latronibus remanſit Samaritanus ( Luc. 10.) quia relicta mortali & naturali vita, immortalem vitam, quæ et eſt à diuina gratia, & eſt ipſa diuina gratia, peccatũ abſtulit. quæ longè præſtantior erat ; quàm fuerat originalis iuſtitia. Nempe per originalem iuſtitiam ſtare tantum Adã poterat, & non labi in deterius ( Non enim rationi inſultabat ſenſus ) per gratiam autem gratum facientem, non tantum ſtare, ſed etiam per merita ad æternam gloriam proficere valebat. peccatum vtrumq; abſtulit & gratiam & originalem iuſtitiam ; vt non ſolum non proficere, ſed nec ſtare aliquandiu ( niſi peccaſſe pœniteat ) homo peccator poſsit ; labi autem illum in deterius neceſſarium ſit. ( Homil. 11. in Ezechielem, & lib. Mor. 25.) S. Gregorius, ait.* Peccatum quod per pœnitentiam non deletur citius, ad aliud peccatum trahit. *Et ( homil. 2. in eundem. )* Omne peccatum graue eſt; quia non permittit animam ad ſublimia eleuari. *Poteſtas autem humani arbitrij, quæ cum originali iuſtitia diu, hoc eſt quantum volebat, in ſtatu ſuo recto perſiſtere poterat, & cum diuina gratia proficere ; diuina gratia per peccatum deſtituta, languet adeò, & iacet ; vt ad benè & meritoriè operandum erigere ſe nequaquam poſsit : ſi diuinæ gratiæ auxilium non accedat. Hoc autem non eſt, quia ſit ( vt multi patres alioqui doctiſsimi exiſtimarunt ) in naturalibus vulnerata arbitrij poteſtas :*

*poteſtas: ſed qua illius naturalis infirmitas tanta eſt; vt & ſi in bonum naturale, & (dixerim) morale aliquid poteſt; in ſupernaturale tamen nihil omninò naturaliter poßit: alioqui ſupernaturale bonum non eſſet; ſi naturaliter illud homo conſequi poſſet; ſed quidquid in illud poteſt, eſt ex diuina gratia.* Omnis namque (*2. Cor. 8.*) ſufficientia noſtra ex Deo eſt.

## De libero arbitrio. Cap. XXII.

QVADRVPLEX *à patribus notatur ſtatus liberi arbitrij, quadruplexq́; poteſtas; quin dicamus potius ipſius hominis, cuius eſt liberum arbitrium, liberiq́; arbitrij poteſtatis, ſtatus eſt quadruplex; ante peccatum, poſt peccatũ ante reparationem gratiæ, ſub reparatione ſiue ſub gratia ante confirmationem, & ſub gratia conſummata atque gloria poſt confirmationem. Ante peccatum, ad bonum operandum nil impediebat, ad malum nil impellebat; ſine errore ratio iudicare, ſine difficultate voluntas bonum appetere poterat. Poſt peccatum ante gratiæ reparationem, concupiſcentia homo premitur, & ſæpius vincitur. infirmus enim eſt, non habet vim ad bonum meritorium, & diu in bono morali ſtare non poteſt; quia diu non peccare, & non labi in deterius non poteſt. Poſt reparationem ante confirmationem à concupiſcentia premitur quidem, non autem facilè vincitur, infir-*

*mus adhuc eſt, ſed gratiam habet in bono, vt peccare poßit propter infirmitatem, poßit etiam non peccare, & peccato cõſtans reſiſtere propter gratiam adiuuantem, & vtrumq́ poteſt propter arbitrij libertatem. Poſt confirmationem infirmitate conſumpta, & gratia conſummata, nec vinci poterit à mala concupiſcentia, nec premi; & tunc illud fœliciſsimũ obtinebit, quod eſt, non poſſe peccare. quod habet Deus optimus ex natura; angeli & beati omnes ex gratia. Nec propterea minus liberi ſunt beati, quàm viatores, quia illi peccare non poſſunt, quod poſſunt iſti. imò magis ſunt illi liberi. Eſt namq́ libertas triplex, à neceßitate, à peccato, à miſeria. A neceßitate omnis voluntas ſemper libera eſt; quia illa nunquam (in quocumq́ ſtatu homo vel etiam angelus fuerit) cogi poteſt.* Nihil (*inquit S. Auguſt.*) tam eſt in poteſtate voluntatis, quàm ipſa voluntas. *A peccato libertas illa eſt, de qua (2. Cor. 3.) Apoſtolus.* Vbi ſpiritus Domini ibi libertas. *Et Dominus. (Io. 8.)* Si filius vos liberauerit; verè liberi eritis. *Hanc libertatem homo peccando amiſit. Quippè* qui facit peccatũm ſeruus eſt peccati. *de hac intelligendus eſt in Enchir. (cap. 30.) Auguſt.* Homo malè vtens libero arbitrio, & ſe perdidit, & ipſum. *de hac intelligendus Apoſtolus (Rom. 9.)* Velle adiacet mihi, perficere autem bonum non inuenio. *quaſi diceret, habeo libertatem naturalem, non autem gratuitam, per quam ſolam*

*in illud quod verè bonum eſt, poſſum. A miſeria non liberatur voluntas creata niſi per conſummatam gratiam, ſiue per gloriam. Hæc libertas omnium maxima eſt & vna alias in ſe omnes complectitur libertates; vt nulla in homine, aut in rationali creatura maior libertas eſſe poſſit.*

## De prima cauſa peccati, & de ſubiecto eius. Cap. XXIII.

QVONIAM *omnis miſeria humana ortum habuit à peccato, dicente Scriptura ( Prou. 14 )* Miſeros facit populos peccatum. *ante peccatum autem, erat tantum natura: ſequitur vt cauſa, & origo prima peccati bona res fuerit. Quid quæſo, ante primum Adami peccatum in homine mali erat, à quo malum, & peccatum hominis originem duceret? Angelus peccauit primus. quid ante peccatum in eo erat, niſi natura, quam in eo fecerat Deus? illa autem non erat mala, quòd mali non ſit auctor Deus. poſt angelum homo peccauit. at quid erat in homine ante peccatum eius, niſi natura hominis; quæ bona ſimiliter à Deo fabricata fuerat? Nullum igitur malum malam voluntatem primam præceſſit. Non potuit ergò mala voluntas, à qua & in angelo, & in homine ortum peccatum habuit, niſi à bono naturæ prouenire. Mala autem illa voluntas, quæ in angelo fuit, & in homine, quam naturæ vtriuſque bonitas præ-*

Q ceſſit

*ceſſit, & ab ea ortum duxit, cauſa extitit ( vt dictum antè fuit ) malorum omnium, id eſt malorum operum, & malarum ſubſequentium voluntatem ( Ench. 23.) legitur in Auguſtino.* Nequaquam dubitare debemus, rerum bonarum, quæ ad nos pertinent, cauſam non eſſe niſi bonitatem Dei; malarum verò ab immutabili bono deficientem boni mutabilis volũtatem, prius angeli, poſteà hominis. *Prima ergo origo, & cauſa peccati bonum fuit; quia bona voluntas fuit: ſecunda autem malum, quod ortum eſt ex bono; quia mala voluntas fuit ex bona. Et ſicut ortum habuit malum ex bono; ita eſſe mali ( ſi tamen malo eſſe aſcribamus ) non niſi in bono, hoc eſt in natura bona, hoc eſt in voluntate, quæ bona natura eſt, eſſe intelligitur. Malum enim non niſi corruptio boni eſt, & priuatio: vbi autem bonum non eſt, corruptio, vel priuatio boni eſſe non poteſt. Bonum minui, malum eſt: ſed quantũcumq; diminuatur, neceſſe eſt, vt aliquid eius remaneat, ſi adhuc natura eſt. Hoc autem in malis id eſt in morbis corporalibus experimur. qui dum perſiſtunt, corpus ſubiectum neceſſarium eſt exiſtere; corrupto autem prorſus animato corpore, & ægroto iam vita functo, nullus remanet morbus. Bonum, quod omni eo malo, quod eius naturæ contingere poteſt, penitus careat; bonum in ſua natura integrũ appellari poteſt. bonum verò, quod malo non caret, bonum vitiatum, & naturam vitiatam dicere poſſumus. Quamobrem*

*obrem mirandum eſt naturæ ingenium, imò (vt verius dicam) Dei optimi ſapientiam: qui malum quodcunque voluit ſemper alicui bono inhærere: vt diaboli etiam ingentem malitiam bonitati naturæ ſuæ coniunctam eſſe voluerit. Et duo iſta contraria malum & bonum ita coniunxit; vt non ſolum ſimul eſſe poſſent; ſed mala ſine bonis, & niſi in bonis omnino eſſe non poſſent: vt ſi bonum non fuiſſet, in quo malũ exiſteret; nec malum eſſe potuiſſet. Sed obijciet nobis quis illud, quod (Iſa. 5.) legitur.* Veh his, qui dicunt bonũ malum, & malum bonum. *Si malum (vt fuit oſtenſum) non eſt ſine bono; quomodo non poſſumus dicere, omne malum bonum, quin etiam bonum aliquod malum, illud videlicet quod cõmixtum malum habet? Determinat hoc Auguſt. (Enchir. cap. 13. & 19.) quòd intelligendus eſt propheta de ipſis rebus; quibus homines mali ſunt. Vt in eum, qui dicit adulterium bonum, cadat prophetica deteſtatio: aut in eum; qui iniquum hominem dicit bonum, ea ratione qua iniquus eſt: quia ille iniquitatem commendat vt bonum. Iniquus certè homo, cuius lucerna peccatum eſt, dicit bonum malum, & malum bonum, cum ſeipſum, qui iniquus eſt, bonum exiſtimat. Sed (Prou. cap. 21.) legitur.* Omnis via viri recta ſibi videtur: appendit autem corda Dominus.

## Trium dubitationum ſolutio. Cap. XXIIII.

SVperſunt *tres dubitationes, quas præſenti capite breuiſsimis diſſoluemus. Vna eſt, An ſicut peccato primi parentis vniuerſa poſteritas fœdata eſt; ita peccatis aliorum parentum eorum poſteritatem fœdari, dicendum ſit; præſertim cum ſcriptum ſit (Ierem. 31.)* Patres noſtri comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt. *Et Dominus ad Moyſem (Exo. 20.) ait.* Ego ſum Deus fortis, zelotes, viſitans iniquitates patrum in filios vſq; in tertiam, & quartam generationem, his qui oderunt me. *Sed quàm grauis, & importabilis eſſet ſarcina peccatorum, qua paruuli non baptizati grauarentur; ſi illis parentum ſuorum peccata imputarentur? Ad dubitationem aperta reſponſio eſt in Ezechielle (cap. 18.) quo loci ait Dominus.* Quid eſt, quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium iſtud, dicentes. Patres comederũt vuam acerbam, & dentes filiorum obſtupeſcunt? Viuo ego (*dicit Dominus.*) ſi erit vobis vltra parabola hæc in prouerbium in Iſrael. Ecce omnes animæ meæ ſunt; vt anima patris, ita anima filij mea eſt: & anima, quæ peccauerit, ipſa morietur. Filius non portabit

bit iniquitatem patris; & pater non portabit iniquitatem filij. Iuſtitia iuſti ſuper eum erit; & impietas impij erit ſuper eum *Et B. Hieron. (ad caput 16. Ezechielis) inquit.* Ne lex & prophetæ ideſt Exodus & Ezechiel, immò ipſe Deus qui & hic & ibi loquutus eſt, in ſententia diſcrepare videantur; attendamus finem illius auctoritatis Exodi. dicto enim. Reddo iniquitates patrum in filios. addit. Hijs qui oderũt me. per ꝙ euidenter oſtendit; nõ ideo puniri filios, quia peccauerunt patres; ſed quia eis ſimiles quodam hæreditario malo Deũ oderunt. *Idem ſentit B. August. (ſuper pſ. 108.) De filijs namq; peccata patrum imitantibus dictum illud exponit. Et S. Greg. (lib. 15. Mor. cap. 31.)* Quiſquis primi parentis iniquitatem imitatur; etiam ex eius delicto conſtringitur. *(in 2. diſt. 33.) dubitat Magiſter, & ſoluit ijs verbis.* Quare tertiam, & quartam generationem tantum commemorauit; cum in qualibet generatione rei teneantur; qui peccata patrum imitantur? Et quare patres commemorauit; cum & illi omnes mali ſint; qui quorumlibet malorũ peccata imitantur? *Soluit inquiens.* Sed ideo patres ſpecialiter nominauit; quia maximè patres filij imitari ſolent; quos præcipuè diligũt. Et tertiam, & quartam generationem ideò com-

memo-

memorauit; quia ſolent parentes interdum tamdiu viuere; donec filios tertios, & quartos habeant: qui patrum iniquitates videntes, eorum impietatis hæredes per imitationem efficiuntur. *Altera dubitatio eſt. An peccatum ſuum primis parentibus dimiſſum fuerit. Ad iſtam lib. Sap. (cap. 10.) reſpondetur, vbi ſic legitur* Hæc (*ſapientia videlicet*) illum, qui primus formatus eſt à Deo, pater orbis terrarũ, cum ſolus eſſet creatus, cuſtodiuit; & eduxit illũ à delicto ſuo. *Eſt igitur primis parentibus noſtris peccatũ ſuum dimiſſum. Tertia eſt. Si proprijs ſuis viribus atq; operibus peccati ſui remiſsionem illi à Domino meruerint? Dicendum, quod per obedientiam ſuam, & ſui precioſiſsimi ſanguinis effuſionem Dominus Ieſus Chriſtus & nobis, & patribus veteris teſtamenti, & ipſi etiam Adamo, & omnibus deniq;, illis exceptis, qui peccant in Spiritum ſanctum, id eſt, qui ſine aliqua peccatorum ſuorum pænitentia decedunt, meruit peccatorum omnium remiſsionem (quod ſequẽti libro declarabitur) (in libro de Baptiſ. paruul.) S. Auguſtinus inquit:* Sicut illi primi parentes, poſteà iuſtè viuendo creduntur, per Domini ſanguinem, ab extremo liberati ſupplicio, &c. *Ad Chriſtũ igitur, in cuius nomine ſaluamur, per bona opera noſtra ſanguine ſuo aſperſa, hoc eſt fide, ſpe, et charitate decorata humiles cõfugiamus; vt cũ eo, et patre, et Spiritusãcto, et per eũ ſempiterna gloria tandem potiri mereamur.* Secundi libri finis.

# PROMPTVARII THEOLOGICI, IVLII CARRARII SYRENII, De Brixia Hieronymiani.

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

## Liber Tertius.

## *IN QVO DE CHRISTO AGITVR.*

### De quibus dicendum. CAP. I.

DVÆ *ſunt viæ, quibus neceſſe eſt hominem poſt lapſum Adæ proficiſci. Vna eſt, quam peccati (ſi tamen via illa appellanda eſt, & non rupes potius et præcipitium) altera, quam gratiæ viam appello. De peccato, & per conſequentiam de peccati via, quæ ducit ad æternam mortem libro ſuperiore dictum eſt; ſupereſt, vt de via gratiæ, ſiue de ipſa gratia dicamus. Gratia ad modum aquæ habet fontem, qui aquam demandat; habet alueum, qui vniuerſã*

*aquam*

*aquam recipiat; & habet riuos, quibus ſingulis aquæ portio huc vel illuc demandatur. Fons Deus eſt.* (*ps.* 35.) Torrente voluptatis tuæ potabis eos, quoniam apud te eſt fons vitæ. *Et* (*ps.* 41) Sitiuit anima mea ad Deum fontem viuum. (*Prou.* 18.) Torrens redundans fons ſapientiæ. *Alueus eſt Dominus Ieſus Chriſtus, vt homo, in quo tota diuina gratia recipitur.* (*ad Coloſſ.* 1.) *de Chriſto Apoſtolus inquit.* In ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare. *Et* (*cap.* 2.) In Chriſto inhabitat omnis plenitudo diuinatis corporaliter. *Riui ſunt ſacramenta fidelibus per ſacerdotes adminiſtrata,* (*ps.* 103) Qui emittis fontes in conuallibus, inter medium montium pertranſibunt aquæ. *Chriſtus quoniam Deus eſt, eſt fons gratiæ; quoniam homo eſt Deo in ſuppoſito vnitus, alueus eſt, in quo eſt vniuerſa gratia; & quoniam ex eius pectoris latere ſanguis fluxit & aqua, alueus talis eſt; à quo riui, id eſt ſanctiſsima ſacramenta, per medium montium id eſt per manus apoſtolorum, & ſacerdotum fluere dicuntur. Dicendum eſt igitur primum de Chriſto, à quo omnis gratia nobis fidelibus exhibetur. Secundo de ſacramentis, quibus homini demandatur gratia. Quoniam autem homini gratia non datur niſi propter gloriam; tertio, & vltimo dicendum erit de gloria.*

Chriſtus

## Chriſtus Filius Dei incarnatus. Cap. II.

VT *à peccato Adæ, quo æternæ mortis vinculo humanum genus vniuerſum tenebatur, liberaremur; per quod, Deum, patrem, et Dominum, tantumq́; benefactorem noſtrum in Adamo omnes offenderamus; Deus hominem fieri dignatus eſt, humanam naturam aſſumendo, per quã à peccato humanum genus vniuerſum liberaret. Ita ſcripſit (Gal. 4) Apoſtolus.* Cum venit plenitudo temporis, miſit Deus filium ſuum factum ex muliere, factum ſub lege; vt eos, qui ſub lege erant, redimeret; & adoptionem filiorũ Dei reciperemus. *miſsio iſta nihil aliud eſt, quàm verbi & filij Dei incarnatio. Solus namquè filius, non autem pater, aut Spiritus ſanctus humanam naturam aſſumpſit. Mitti debebat, qui eſt ab alio, vt eſt filius; non autem qui à nullo eſt, vt eſt pater. Ab illo autem congruè mittitur verbum; cuius eſt verbum. Miſſus eſt etiam poſt filium Spiritus ſanctus, & cum filius baptizatur, in columbæ ſpecie; & in die Sancto Pentecoſtes, in forma ignitæ linguæ. ſed non vniuit ſibi naturam aliquam in vnitate ſuppoſiti, nec ignem, nec columbam. Aſſumpſit naturam humanam filius; vt non alius eſſet filius hominis in humanitate, & alius filius Dei in diuinitate; ſed*

*idem, qui in diuinitate erat filius Dei; eſſet in humanitate filius hominis. Pater ſi humanitatem aſſumpſiſſet, idem eſſet & pater, & filius; in diuinitate pater, in humanitate filius. S. Auguſtinus (lib. de Eccleſ. dogm. cap. 2.) inquit.* Non pater carnem aſſumpſit; neq; Spiritusſanctus; ſed filius tantum; vt qui erat in diuinitate Dei filius; ipſe fieret in homine hominis filius; ne filij nomen ad alterum tranſiret; qui non eſſet æterna natiuitate filius. *(æterum ſicut filius hominem aſſumpſit; ita pater, ita Spiritus ſanctus aſſumere poterat, & filius aliũ hominem; uel aliunde quàm de genere Adam, vel etiam muliebrem ſexum aſſumere potuiſſet, vt nulla impoſſibilitas, aut difficultas, ſed ſola congruentia cauſa fuerit incarnationis ſolius verbi, & aſſumptionis virilis ſexus de genere Adam, & de puriſſimis Mariæ Virginis ſanguinibus. Ad quam nihilominus incarnationem & humanitatem filiõ Dei vniendã pater, filius, et Spiritusſanctus æqualiter ſunt operati; veluti ſi tres (dictum ſit exempli cauſa, quamuis ab ipſa re exemplum multum deficit) Petrus, Iacobus, & Ioannes eandem pariter nauim ad vnum ipſorum trium, vt ad Petrum traherent. (lib. de Fide ad Petrum cap. 2.) S. Auguſtinus inquit.* Recõciliati ſumus per ſolum filium ſecundum carnem; ſed non ſoli filio ſecundum deitatem. Trinitas enim nos ſibi reconciliauit per hoc, quod ſolum verbum carnem ipſa

ſa trinitas fecit. *Et ( lib. 1. de Trinit. cap. vltimo.)* eruilem formam à ſolo filio ſuſceptam tota trinitas fecit. *Totam ergò hominis naturam animam videlicet & carnem, & horum proprietates vniuit trinitas filio; am autem ſibi aſſumpſit filius Dei, qui Deus eſt. de qua aſſumptione ( lib. 3. Orthod. fid. cap. 6.) Ioan. Damaſc. ait.* Omnia, quæ in natura noſtra plantauit Deus; verum aſſumpſit, ſcilicet corpus & animam intellectualem, & horum idiomata. Totus enim totum aſſumpſit me; vt toti mihi ſalutem gratificaret. Quod enim inaſſumptibile eſt; incurabile eſt *Immediatè aſſumpſit animam, mediante anima corpus. Simplicißima namquè diuina eſſentia corpori de limo terræ formato vniri non erat congruum, niſi mediante ſpirituali eſſentia; quæ anima rationalis eſt; quæ inter Dei puritatem, & corporis craßitiem quaſi media eſſe dicitur. Tempore ſimul vtriq; vnitum eſt verbum; quemadmodum & ſimul in vtero Virginis virtute Spiritus ſancti concepta caro eſt, & aſſumpta.* Angelo nunciante ( *inquit S. Gregorius* ) & ſpiritu adueniente, mox verbum in vtero; mox intra vterum, verbum caro. *Et Aug. ( lib. de fide ad Petrum, cap. 18 )* Firmiſsime tene; non eſſe carnem Chriſti ſine diuinitate conceptam in vtero Virginis, priuſquam ſuſciperetur à verbo. *Aſſumpſit verbum naturam humanam, id eſt animam et corpus;*

*ſed ab omni prorſus peccato mundam illibatamque; quòd non virilis ſeminis effuſione, non carnis libidine; ſed ſuperuenientis Spiritus ſancti operatione beatiſſima Virgo conceperit. quemadmodum verba angeli in Euangelio docent.* Spiritus Sanctus ſuperueniet in te; & virtus altiſsimi obumbrabit tibi: quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur filius Dei. *Non eſt exiſtimandum aut minus veram carnem humanam aſſumpſiſſe verbum: quia (Rom. 8.) dixit Apoſtolus.* Deus filium ſuum miſit, in ſimilitudinem carnis peccati. *Et (ad Philip. 2.) de Chriſto inquit.* In ſimilitudine hominum factus: *aut eſſe filium Spiritus ſancti, quòd in Euangelio legatur.* Quod in ea natum eſt; de Spiritu ſancto eſt. *quia non de ſemine viri, ſed virtute Spiritus ſancti fabricatam carnem aſſumpſit. Duo namq; in humana natura conſiderari poſſunt, peccatum, & pœna. Verbum pœnam aſſumpſit, non peccatum. ideò caro Chriſti non fuit peccatrix, vt aliorum hominum; ſed peccatrici ſimilis, propter pœnam. alioqui verus homo fuit, veram carnem aſſumpſit. quæ & ſi de Spiritu ſancto eſt, non tamen Spiritus ſancti filius dicitur. capillus (vt Auguſtini vtar exemplo) aut pediculus filius hominis non dicitur, quãuis ſit de homine. Adde, quod ineffabili Dei charitate (quæ Spiritui ſancto appropriatur) verbum caro factum ſit. Dicit Auguſtinus* Quando vnus triũ in aliquo opere nominatur; vniuerſa operari trinitas

nitas intelligitur. Incarnatum eſt ergo (*vt inquit lib. 3 cap. 7. Ioan. Damaſc.*) verbum & à propria incorporalitate non exceſsit; & totum incarnatum eſt; & totum incircumſcriptum, minoratur corporaliter, ac contrahitur; & diuinè incircumſcriptum eſt, non coextenſá carne eius cum incircumſcripta diuinitate.

## In Chriſto duæ naturæ. Cap. III.

DVÆ *ſunt* (*vt ex dictis patere potuit*) *naturæ in Chriſto diuina videlicet, & humana, & vnum ſuppoſitum; quod diuinum eſt, diuina namque natura alio ſuppoſito ſuppoſitari non poteſt, quàm diuino & proprio. quo vno ſuppoſito* (*vt lib. 3. cap. 9. ait Damaſc.*) *vnaquaq; natura diuina videlicet & humana ſubſiſtit. Non potuerunt duo ſuppoſita ſimul ita vniri; vt ex duobus ſuppoſitum vnū coaleſceret; quoniam ſuppoſitum quodlibet; eo ipſo quòd ſuppoſitum eſt; à quolibet alio ſuppoſito ita eſt diſtinctum; vt cum alio coniungi, & vniri in vnitate ſuppoſiti ſit penitus impoſsibile. Eſſet enim vnum ſuppoſitum, & duo, ideſt vnū & non vnum; duo & non duo; quod implicat. Non potuerunt ſimiliter in vna natura duæ naturæ ita vniri, vt vna prorſus, & eadem natura fieret ex vtraque. tum quòd quælibet vna natura, quatenus vna natura eſt; ſit à quacumq; alia*

alia natura ita diſtincta, vt vniri cum alia in vnitate naturæ propter abſurditatem eorum quæ ſequerentur ſit impoſsibile. eſſet enim vna & non vna, duæ & non duæ. Si quis mulum obijciat, qui ex equina natura conſtat & aſinina, dicemus naturas illas non ita admiſceri, vt vtraq; incolumi reſultet natura tertia.

Obijcies fortaſſe humanam naturam, quam duplici natura corporali videlicet, & ſpirituali conſtare manifeſtum eſt. Sed aduertendum eſt, duas iſtas naturas vnam fieri coniunctione tantum. Non enim corpus fit anima, aut anima corpus, ex vtriuſque autem coniunctione fit homo. Trifariam namque ex multis fieri poteſt vnum, per mixtionem vt ex quatuor elementis, vnum compoſitum: per coniunctionem vt ex corpore, & anima intellectuali homo. per vnionem, vt ex Deo & homine Chriſtus. Hoc modo tertio neque duo ſuppoſita, neque duæ naturæ vnum aut vnam fieri poſſunt.

Adde quod diuina natura, tum quia ſimpliciſsima, tum quia eminentiſsima nec miſceri cum altera natura potuit, nec in alteram conuerti. Quoniam autem in Chriſto vnitæ fuerunt duæ naturæ, ex dictis conſequens eſt, ſuppoſitum diuinum non aſſumpſiſſe humanum ſuppoſitum. aut humanum diuinum. nec naturam diuinam aſſumpſiſſe naturam humanam, aut contra, humanam naturam, diuinam, in vnitate naturæ: ſed tantum diuinum ſuppoſitum (quod à diuina natura

*na natura ſeparari prorſus impoßibile eſt) aſſumpſiſſe huma nam naturam, hoc eſt illam ſibi in vnitate ſuppoſiti copulaſſe, atq; vniuiſſe. Ex quo ſequitur vtramq; naturam vnitam eſſe in vnitate diuini ſuppoſiti, quod eſt Chriſtus. Rurſum quoniam humana natura corpore conſtat & ſpiritu, qui eſt anima intellectiua; ſequitur, vt ſicut in Deo vna natura eſt, & tria ſuppoſita; ita in Chriſto contrà vnum ſuppoſitum eſt & tres naturæ, corpus, anima, & diuinitas. ſecundum diuinitatem eſt genitus; ſecundum animam eſt creatus, ſecundũ corpus eſt factus; de virgine temporaliter natus. Ex ipſa autem duarum naturarum ſuppoſitali vnitate ſequitur quarundam propoſitionum veritas; quæ alioqui abſurdæ eſſent, & impoßibiles, vt illius (Io. 1.)* Verbum caro factum eſt. *cuius ſenſus eſt: non quòd diuina natura verſa ſit in humanam (eſt enim diuina inuertibilis penitus) ſed quòd filius Dei carnem aſſumpſit, ſiue perſona, & hypoſtaſis diuina quæ eſt filius, humanam ſibi naturam vniuit. Eodem modo multas alias exponimus. Vt, Deus eſt homo. Homo eſt Deus. Deus eſt filius hominis. Homo eſt filius Dei. quia verbum (qui eſt Deus) homo & filius hominis ſine ſui tranſmutatione, factum eſt. non autem quòd ipſa deitas homo ſit facta, aut incarnata, aut humanata; ſed hypoſtaſis deitas, quæ eſt filius, illa eſt, quæ incarnata, & humanata eſt. Chriſtus vt Deus, & homo eſt; ita præter peccatum habet omnia quæ Adam primus homo ante peccatum habuit, & habet præte*

*rea*

*rea omnia quæ Deus habet. Ex hoc autem ſequitur; vt ſuppoſitum vnum, quod eſt Chriſtus, habeat omnia, quæ vtrique naturæ diuinæ videlicet, & humanæ conſentanea ſunt. habeat (inquam) duos naturales intellectus diuinum videlicet & humanum, duas naturales voluntates diuinam, & humanam; duas naturales operationes; duas naturales ſapientias, & cognitiones; & eiuſmodi alia. Ipſius ſunt miracula; ipſius ſunt paßiones. Vult tamen, & agit, atq; operatur, quæcunque vult & operatur non diuiſè per ſingulas naturas; ſed per vtramq; ſimul naturam coniunctè & vnitè; cum alterius tamen (ſi opus eſt) diſpenſatione. In diuina autem diſpenſatione, ex differentia actionum, operationum, & voluntatum, naturarum differentiam apprehendimus. Volens (inquit Damaſcenus) ſecundum vtramq; naturam Dominus noſter, & agens noſtram ſalutem, non ipſarum naturarum diuiſionem inducit; ſed ipſarum magis cuſtodiam, atque conſeruationem. Dixit quidem Chriſtus (Luc. 5.) vt homo, volo, mundare; mundauit autem vt Deus humano verbo opus diuinum connectens. Panes fregit (Matth. 14) vt homo; multiplicauit vt Deus. puellam mortuã (Matth. 9.) manu tenuit, & erexit vt homo; viuificauit vt Deus. Lachrymauit Lazarum (Ioan. 11.) vt homo, ſuſcitauit vt Deus. Diuina namquè ſigna diuinitas in Chriſto operabatur; ſed non ſine carne & humanitate. humilia ſimiliter & humana caro operabatur, ſed non ſine diuinitate. Illa*

*utem omnia, quæ vt Deus operabatur, non ſine patre, & Spiritu ſancto operabatur: ſicut quæ operabatur pater, non ſine filio operabatur* ( *Io. 5.*) Pater meus vſquè modo operatur, & ego operor. *Et Io. Damaſc.* ( *lib. 3. cap. 15.* ) *ex interprete.* Et ſi ex illa extrema, & ſublimi conceptione nihil imminutum fuit ex vtraq; forma; ſed vnius perſonæ omni tempore actiones vtriuſq; formæ fuerunt: tamen ea, quæ inſeparabiliter fiebant, nullo modo cõfundimus; ſed quid cuius fuerit formæ, ex operum qualitate intelligimus. *Et* (*cap. 19.*) Non diuiſas dicimus actiones, neque diuiſè agentes naturas; ſed vnitè, vnamquamque cum alterius communicatione agentẽ id ipſum, quod proprium habuit. Neq; enim humana humanè operabatur ( quandoquidem non nudus erat homo ) neq; diuina ſecundum Deum ſolum ( nam non erat nudus Deus ) ſed Deus ſimul & homo. *Hoc eſt quod dicit Damaſcenus Beatum Dionyſium dixiſſe; Chriſtum nouam quãdam* θεανδρικὴν *id eſt diuinam ſimul & humanam, deiuiramque actionem adminiſtraſſe, patiebatur, fameſcebat, ſitiebat, laſſabatur, vincitur, ducitur ad Pilatum, irridetur, ceditur, crucifigitur, perforatur, moritur deniquè Deus & filius Dei, vt homo. In ijs omnibus in quibus humana patiebatur vt homo; diuina id eſt humani generis ſalutem vt Deus operabatur. In ſuffe-*

*rendo omnia, egit magnum illud & admirabile opus ſalutis, diſſoluens mortem, donans* (*ad Coloß. 2.*) Omnia delicta; delens quod aduerſus nos erat chirographũ decreti; quod erat contrarium nobis; & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. &c. *Patitur vt homo, agit vt Deus. idem qui & homo & Deus eſt. non diuiſè ſed vnitè* Diuina (*inquit Damaſc. lib 3. cap. 18.*) eius volente voluntate, & permittente, renuebat mortem, agonizabat, & pauebat: & quando voluit diuina eius voluntas, vt humana ipſius voluntas eligeret mortem; voluntaria ipſi paſsio facta eſt. Non enim ſecundum quod Deus ſolum voluntariè ſeipſum tradidit in mortem, ſed & ſecundum quód homo.

## In Chriſto defectus humanæ naturæ. Cap. IIII.

QVONIAM *igitur Chriſtus homo eſt & Deus; idiomata propterea, ac proprietates vtriuſque naturæ, id eſt hominis & Dei huic vni ſuppoſito, ſuperiori capite conuenire diximus. Proprietates nunc Dei appellamus, non quibus conſtituuntur perſonæ diuinæ, vel diſtinguuntur, paternitas, filiatio, ſpirátio paßiua; ſed quæ vni Deo conueniunt, vt ſunt, omnipotentia, omnium rerum etiam futurarum ſciẽtia,* immor-

*mortalitas, immenſitas, & id genus alia: proprietates au*
*hominis, anima, corpus, & defectus illi omnes eſſe di-*
*tur: qui ſunt in homine natutaliter, id eſt qui ſine pecca-*
*ſunt; aut eſſe poſſunt: & non peccatum ipſum, ſed corpus,*
*animam, et quod ex illis conſtat conſequũtur. Cum enim*
*catum ſit contra naturam (omne namque peccatum, vt*
*eriore libro dictum eſt, contra naturæ legem eſt) non de-*
*at naturæ auctorem peccatum aſſumere; aut quid alıud,*
*od ipſe in homine non prius effecerat, ut ſunt infectio, mem*
*alicuius imminutio, ignorantia, ægritudo, cupiditas, diffi-*
*ltas, & eiuſmodi. Quippè vt probaretur verum corpus*
*bere, ſuſcepit defectus corporis, famem ſitim, &c. vt ve-*
*m animam, ſuſcepit defectus animæ, triſtitiam, dolorem,*
*c. Auguſtinus ſuper Geneſi.* Suſcepit Chriſtus ſi-
t veram naturam homnis; ita & veros defectus
ominis, ſed non omnes. Aſſumpſit enim defe-
us pœnæ, ſed non culpæ; nec omnes defectus
œne; ſed quos homini eum aſſumere expedie-
at; & ſuæ dignitati non derogabat. Suſcepit de
oſtro; vt de ſuo nobis tribueret: ſuſcepit no-
ram vetuſtatem; vt ſuam nobis ınfunderet no-
tatem. Simplam ille accepit vetuſtatem, id eſt
œnam: vt noſtram duplam conſummeret, id eſt
œnam, & culpam. *Multa ſunt ægritudinum genera,*
*corporis vitia, à quibus immunis omnino dominus exti-*

 *tit.*

*tit. Quòd defectus, quos habuit, vel ad manifeſtationem ue ræ humanitatis, vel ad impletionem operis ad quod venerat, ſuſceperit, non conditionis ſuæ neceſſitate, ſed miſerationis vo luntate. Sed & ſi veros, vt nos, defectus habuit; non tamen ex eadem cauſa. Nos ex peccato originali, Chriſtus autem ex ſola noſtri miſeratione illos ſuſcepit. Veram carnem quã nos habemus, accepit; ſed vt ſine culpa illam accepit; ita abſquè omni infirmitate accipere potuit.*

## An Chriſtus vt homo ſit ſuppoſitum. Cap. V.

M*vlta de Chriſto dubitare patres peritiores ſolét; quorum aliqua, illa videlicet, quæ ad rem theologicam propoſitam magis opportuna videbuntur, afferemus, & diſſoluemus.*

*Vna dubitatio eſt, An Chriſtus ſecundum quod homo ſit perſona ſiue ſuppoſitum ſubſiſtens. uidetur eſſe ex ipſa diffinitione perſonæ, quam (lib. de duabus naturis & vna perſona Chriſti) attulit Boetius, quæ eſt.* Perſona eſt rationa lis naturæ indiuidua ſubſtantia.

*Dicendum. quód in Chriſto vtraq; natura & diuina et humana ſubſiſtens quidem eſt; ſed diuina, ſubſiſtentia proprij ſuppoſiti ſubſiſtens eſt; humana autem & ſi non ſubſiſtit ſubſiſtentia proprij, et humani ſuppoſiti, ſubſiſtit nihilominus*

*minus ſubſiſtentia verbi, & ſuppoſiti diuini; & ideò vt homo etiam quoquomodo Chriſtus dici poteſt perſona, nòn humana, ſed diuina, humanata tamen, atquè incarnata, & in corporata: quòd verbum diuinum caro factum ſit, id eſt nō ſibi & diuinæ naturæ humanam naturam, vt cumque verbum vniuit, ad quem modum aliquando ad idem plauſtrū trahendum bouem & equum, aut plura grana ad vnum modium vniri conſpicimus; aut etiam quomodo columbinam naturam ſibi aliquando Spiritumſanctum vniuiſſe legimus. ſed in vnitatem perſonæ, & ſuppoſiti ſibi illam vniuit, quādo illam aſſumpſit. quia ſe inuicem naturas patres cum Ioanne Damaſceno immeare affirmant: & ſi immeatio (dixerim) ex naturą diuina procedit; quæ pertranſit omnia, & permeat (vt vult) omnia; omnibusq; rebus quomodo vult illabitur. per ipſam verò (cum ſit rerum ſimpliciſſimarum omnium ſimpliſſima) nihil. Quamobrem (lib. 3. cap. 11.) ex Cyrillo, & Leontio Bizantio Damaſcenus, ſecundum quod homo, ſuppoſitum ijs verbis Chriſtum aſſeruit.* Verbum carnem eſſe factum, eſt ipſam verbi hypoſtaſim inuertibiliter factam eſſe carnis hypoſtaſim. *Videas, quàm apertè dicat, Verbi hypoſtaſim factam eſſe carnis hypoſtaſim. Et ante (cap. 9.) dixerat.* quę hypoſtaſis indiuiſibiliter ſemper, & inſeparabiliter eſt vtriusq; naturæ hypoſtaſis. Et non quandoq; huius naturæ hypoſtaſis, quandoque illius;

aut

aut ſecta, & diuiſa partem quidem ſui huic diſtribuens, partem illi; ſed tota huius, & tota illius inſeparabiliter, & pleniſsimè exiſtens. *Eſt igitur Chriſtus & humanæ & diuinæ naturæ hypoſtaſis & ſuppoſitū, non tamen duo ſuppoſita, ſed vnum tantum ſuppoſitum in vtraque natura, quod diuinum eſt, & quo humana illa natura ſubſiſtit.*

## An Chriſtus ſit filius adoptiuus. Cap. VI.

ALTERA *dubitatio eſt. An Chriſtus vt homo ſit Dei filius adoptiuus. Reſpondit (in 3. diſt. 10.) Magiſter his verbis.* Chriſtum non eſſe adoptiuum filiũ aliquo modo, ſed tantum naturalem; quia natura filius Dei eſt, nõ adoptionis gratia. Adoptiuus filius non eſt; quia non prius fuit, & poſtmodum adoptatus eſt in filium; ſicut nos adoptiui filij dicimur; quia cum nati fuimus filij iræ, per gratiam facti ſumus filij Dei. Chriſtus verò numquã fuit non filius Dei; & ideo non eſt adoptiuus filius. *Non enim idem eſt dicere filius natura, & Deus natura. quòd non eo ſit filius, quo Deus, quia proprietate natiuitatis filius, natura diuinitatis Deus eſt. Eandem autem in duabus ſuis natiuitatibus, quarum vna æterna, altera temporanea eſt.*

*eſt, proprietatem retinet filius. naturalis igitur non adoptiuus eſt filius.*

*Si obijciat quis, Chriſtus eſt filius Virginis. aut igitur gratia eſt filius Virginis, aut natura, aut vtroque modo. Si natura filius virginis eſt, aut diuina natura, aut humana; non diuina (vt manifeſtum eſt) igitur aut humana natura, aut nō natura aliqua eſt filius virginis, ſiue hominis. Si natura humana, aut ſi nulla natura eſt hominis filius: erit per gratiā hominis ſiue virginis filius; erit ergò filius naturalis æterni patris, & adoptiuus filius temporalis hominis; & ita virginis & hominis filius eſſe dicetur, non per naturam ſed per gratiam tantum, non erit igitur hominis naturalis filius, ſed adoptiuus tantum.*

*Reſpondet ad dubit. Mag. vbi ſupra (3. diſt. 10.) Chriſtum filium eſſe virginis & natura & gratia, non tamen adoptiuum: natura, quia de ea corpus naturale ſumptum eſt; gratia non autem adoptione; quia non per adoptionem, ſed per vnionem filius virginis dicitur, eo quòd in virgine hominem accepit in vnitatem perſonæ; quod fuit gratiæ, non naturæ. Super Ioan. (cap. 2.) inquit S. Auguſtinus.* Quòd vnigenitus ſit æqualis patri, non eſt gratiæ, ſed naturæ. quòd autem in vnitate perſonæ vnigeniti aſſumptus eſt homo, gratiæ eſt non naturæ. *Eſt ergò Dei natura tantum filius Chriſtus, hominis autem natura, & gratia, neutrius vero adoptione (lib. 3. de Trin.) Hilarius*

*rius inquit de Chriſto.* Hic enim verus & proprius eſt filius origine, non adoptione; veritate, non nuncupatione; natiuitate, non creatione. *Et Ambroſ.* (*lib. 1. de fide cap. 9.*) Chriſtus filius eſt nō per adoptionem, ſed per naturam.

## An Chriſtus ſit creatura. Cap. VII.

TERTIA *dubitatio eſt. An abſolutè loquendo, vera sit iſta propoſitio, Chriſtus eſt creatura.*

*Reſpondet (diſt. 11. lib. 3.) Magiſter; Si abſolutè quis Chriſtum eſſe creaturam dixerit; minus congrua erit loquutio; & nunquam erit ſimpliciter intelligenda propoſitio. Sanè Chriſtum non eſſe factum, & non eſſe creaturam (in 1. lib. de Trin. cap. 13.) oſtendit S. Auguſtinus inquiens.* In principio erat verbum; & verbum caro factū eſt; & omnia per ipſum facta ſunt. Neque dicit omnia, niſi quæ facta ſunt, id eſt, omnem creaturam. Vndè liquidò apparet, ipſum factum non eſſe, per quem omnia facta ſunt. Nam ſi factū ſubſtantia eſt; non omnia per ipſum facta ſunt. *Et* (*lib. 83. queſt. q. 67.*) Dicitur creatura quidquid fecit Deus pater per filium; qui non poteſt appellari creatura; quoniam per ipſum facta ſunt omnia. *Ambroſ.* (*lib. 1. de fide cap. 6.* Probamus creatu

ram

ram non eſſe Dei filium. Audiuimus enim in Euā gelio Dominum mandaſſe Diſcipulis prædicare Euangelium vniuerſæ creaturæ; qui vniuerſam creaturam dicit, nullam excipit; & vbi ſunt, qui creaturam Chriſtum appellant. Nam ſi creatura eſſet, ſibi mandaret Euangelium prædicari; & ſu biectus eſſet vanitati; quia teſtante (*ad Rom. 6.*) Apoſtolo. Omnis creatura vanitati ſubiecta eſt. *Poteſt tamen cum aliqua determinatione dici Chriſtum eſſe creaturam, & eſſe factum; vt dicamus Chriſtum ſecundum carnem eſſe factum* (*ad Rom. 1.*) Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundum carnem. *aut eſſe creaturam ſecundum quod eſt homo. Auguſt.* (*in 1. lib. de fide cap. 6*) Non Deus factus eſt; ſed Deus Dei filius na tus eſt; poſteà verò ſecundum carnem ex Maria homo factus eſt.

## An Chriſtus ſapientia profecerit. Cap. VIII.

QVARTA *dubitatio occurrit in verbis Euangelij.* (*Luc. 2.*) Ieſus proficiebat ſapientia, & ætatę, & gratia apud Deum, & homines. *qui fieri poßit, vt hoc verum ſit; cum Chriſtus, ſecundum quod homo eſt; ab ipſa ſui conceptione, gratiæ plenitudinem receperit; cui ſpi-*

*ritus (inquit Apoſtolus) ad menſuram datus non eſt; in quo plenitudo diuinitatis corporaliter habitat. Quoniam vt ad Dardanum ſcribit S. Auguſt.* ipſe eſt caput, in quo sũt omnes ſenſus; ſancti ſunt membra, in quibus vnus vel alter ſenſus ineſt, non omnes. *Accipiunt autem ſancti de illius gratiæ plenitudine. Vt dicit S. Ioan. (cap. 1.)* Et de plenitudine eius nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia.

*Ad difficultatem communis eſt patrum reſponſio; quòd ætate quidem proficiebat & reſpectu ſui, & reſpectu aliorũ; dum ab infantia ad pueritiam, & à pueritia ad iuuentutem, & ad virilitatem pro tempore properabat: ſapientia autem, & gratia non proficiebat reſpectu ſui, ſed reſpectu aliorum; pandendo videlicet ipſi mundo et gratiam pro ætatis ſuæ tempore, & ſapientiam ſuam. Proficiebat apud Deum, & homines; quia quantum ætate proficiebat; et quantum dona gratiæ, quæ ſibi inhærebant, & ſapientiæ, hominibus patefaciebat; tantum ad Dei laudem homines ipſos excitabat; & ad eum de Mundi vanitate euocabat; & hoc modo apud Deum & homines proficiebat. Ioannes Damaſcenus (in lib. 3. Orthod. fid. cap. 22.) Verba iſta Euangelij ita videtur interpretatus; vt quemadmodum Chriſtus aſſumpſit humanitatem; & defectus humanitatis ſuos fecit; ita & profectus hominum ſuos appellauit: & quia homo pius ſapientia, & gratia apud Deum, & homines proficit; idcirco & Chriſtus,*

*ſtus, cuius homo pius membrum eſt, dici voluit & gratia, & ſapientia proficere; non quia in ſe Chriſtus proficeret; ſed quia in Chriſto homo quilibet probus, bonus, & pius, qui nõ eſt Chriſtus, ſed membrum Chriſti proficiebat.*

*Poſſumus igitur expeditius dicere, proficere Chriſtum ſapientia, & gratia; non in capite; qui eſt ipſemet Chriſtus Deus, & homo, ſed in membris: ſunt autem Chriſti membra pij omnes, & ſancti viri; Et in ipſa Eccleſia; quæ Chriſti corpus myſticum à patribus omnibus appellatur.*

*Sed dubitabis (quoniam anima Chriſti verbo vnita, vt diximus, non proficiebat) an poterat proficere: quia ſi non poterat, erat ergo in ſcientia æqualis Deo, quod abſurdum eſt. (1. Cor. 2.)* Nemo nouit quæ ſunt Dei, niſi ſpiritus Dei. *Et Caſsiod. (ſuper verbis illis ps. 138.* Mirabilis facta eſt ſcientia tua ex me, & non potero ad eam) *inquit,* Veritas humanę conditionis oſtenditur; quia aſſumptus homo diuinæ ſubſtantiæ nõ poteſt æquari, vel in ſcientia, vel in alio.

*Reſpondet ad dubitationem Magiſter (lib. 3. diſt. 14.) Animam in verbo Dei cui vnita eſt, omnia ſcire, quæ Deus ſcit; non tamen eodem modo quo Deus; quia non ita perſpicuè vt Deus; & ideò creatori ſuo non æquatur in ſcientia. habuit tamen præ alijs animabus excelſiorem ſcientiam: quoniam (Ioan. 2.) ſine menſura habuit dona Dei. Et Apoſt. (ad Coloſ. 2.) de Chriſto inquit.* In quo ſunt omnes

theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.

*In alio etiam differentia eſt, inter Dei ſcientiam, & ſciẽtiam animæ Chriſti; quia id, quod nouit anima, nouit ab alio; quia à Verbo: Deus autem ex ſe omnia nouit. Quoniã autem non omnia nouit anima Chriſti eo modo, quo nouit Deus; nil mirum ſi anima Chriſti non eſt omnipotens, & creare non poteſt: quoniam non qualibet omniſcientia infert omnipotentiam; ſed illa tantum, quæ & clariſſima eſt, & omniſcienti (ſic dixerim) naturalis; non autem aduentitia, & gratuita.*

## An Chriſtus vt homo adorandus. Cap. IX.

QVINTA *difficultas; an Chriſtus ſecundum quod homo ſit cultu latriæ adorandus. Videtur quòd nõ; quia ſoli creatori cultum illum debemus; humanitas autem Chriſti creatura eſt.*

*Dicendum humanitatem Chriſti duobus modis poſſe conſiderari. Vno modo per ſe, et abſque Vnione ad diuinum uerbum; alio modo Vt in Vnitate ſuppoſiti verbo diuino Vnita eſt. primo modo caro, & homo ſimplex eſt à diuinitate ſeiũctus; qui etiam, ad quorundam patrum opinionem, peccare poteſt; & caro Viuificata tantum eſt, non autem Viuificãs; & hoc modo Chriſtus pura creatura eſt, homo ſimpliciter eſt, &*

*eſt, & nullo cultu ſiue latriæ, ſiue hyperduliæ, ſiue duliæ adorandus. Quippè quos duliæ, aut hyperduliæ cultu adoramus, non vt ſimpliciter homines ſunt; ſed vt alicui venerabili qualitati, inſigniq́ probitati, ac pietati coniunctam animam habentes veneramur, atquè adoramus. Secundo autem modo, & vt verbo eſt ipſa humanitas vnita, illam adoramus, ratione diuinitatis; cui in vnitate ſuppoſiti humana natura coniuncta & vnita eſt: propter quam vnionem & anima ita deificata eſt, & corpus; vt non tantum viuum corpus effectum ſit, ſed viuificans etiam; quòd non humanam tantum habeat illo modo naturam; ſed & diuinam. ideò & ſuper vndis Chriſtus ambulabat (Matth. 14.) Et per medium inimicorum (Luc. 4.) tranſiens inuiſibilis ibat. Et in monte (Matth. 17.) illuſtris & glorioſus apparebat, ex diuinitate humanitati coniuncta. ad quem modum ferrum candens non eſt ferrum tantum; ſed & ferrum, & ignis, id eſt ferrum ignitum. & licet vt ferrum à nobis tangi, atquè tractari poteſt; vt tamen ignis, ſiue vt ignitum, nec tractari à nobis, nec tangi eſt poßibile ſine læſione: Quamobrem (lib. 3. Orthod. fid. cap. 8.) Ioannes Dam. inquit:* Vnus eſt Chriſtus Deus perfectus, vt homo perfectus; quem adoramus cum patre, & ſpiritu vna adoratione, cum immaculata carne eius. Neque inadorabilē carnem eſſe dicimus. nam adoratur in vna verbi hypoſtaſi. Nequè creaturam colimus. nam non

vt-

vt nudam carnem adoramus; ſed continuam diuinitati. *Addit.* Timeo carbonem tangere propter ignem ligno coniunctum; adoro Chriſti *τὸ συναμφότερον hoc eſt diuinum, et humanũ, quod eſt in Chriſto,* propter carni coniunctam, counitamq́; diuinitatem. Et vnam perſonam confiteor Dei verbi, & carnis eius. *Et alibi S. Auguſtinus inquit.* Ego dominicam carnem, imò perfectam in Chriſto humanitatem ideò adoro; quòd à diuinitate ſuſcepta, & deitati vnita eſt: & non alium, ſed vnum eundemq́; Deum & hominem filium Dei confiteor. Deniq́; ſi hominem ſeparaueris à Deo, illi nunquam credo, & ſeruio; veluti ſi quis purpuram, vel diadema regale iacens inueniat, nũquid eam conabitur adorare? cum verò ea rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit; ſi eam quis cũ rege adorare cõtempſerit. Omnia (*inquit lib. 4. cap. 12. Damaſc.*) quæ Deo adiacuerunt, adoramus, ipſis reuerentiam, pietatisq́; cultum exhibentes.

*Sed dubitabis Si Chriſtus vt homo diuinitati coniunctus adorandus eſt; vt quid ipſe (Luc. 6.) duodecim Apoſtolos electurus, aut in prædicationem miſſurus diſcipulos, aut (Ioan. 11.) Lazarum reſuſcitaturus, aut (Matth. 26.) mortem paſſurus, aut aliud quid acturus ſæpius orauit; quod in Euangelio legitur?*

Reſpon

*Reſpondeo. Orauit Chriſtus, vt exemplum alijs daret orandi & à Deo impetrandi, quod ad animæ ſuæ ſalutem quisq; vtile exiſtimauerit.* Cum enim (*vt ait Damaſc. cap. 18. libri tertij*) Chriſtus totus eſſet Deus cum humanitate eius; & totus homo cum eius diuinitate; ipſe vt homo in ſeipſo, & per ſeipſum ſubiecit, quod humanum erat, Deo; formam nobis optimam, & exemplum relinquens, & obediens patri factus eſt. *Et* (*cap. 24*) Vnus eſt Chriſtus. Verùm noſtram in ſe exprimebat perſonam (*orando videlicet*) & typum; quod noſtrum eſt, in ſeipſo formabat, nobis factus exemplum; & edocens nos à Deo quærere; & ad ipſum attendere, & per ſanctum eius montem nobis ſternens viã ad aſcẽſum ad Deum. *Et S. Ambroſius* (*ediſſerens illud* Luc. *6.* Erat (*Chriſtus*) pernoctans in oratione Dei.) *inquit.* Orat Dominus, non vt per ſe obſecret; ſed vt pro me impetret; vt formam hominis impleret, obſecrandum patrem putat eſſe pro nobis; quia aduocatus eſt noſter; ſpecies tibi datur, forma præſcribitur, quam debeas æmulari.

## Chriſtus Saluator. Cap. X.

CHRISTVS *perfectus Deus, & perfectus homo paſſus eſt mortem vt homo; per ipſam autem mortem, libera-*

*liberauit nos, vniuerſumq́ ( quantum in ſe eſt ) genus humanum à peccato, & à morte perpetua, vt Deus. inquit Apoſtolus (ad Rom. 5.)* In ſãguine ipſius iuſtificati ſumus. *Et ( Apoc 1. )* Lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo. *id eſt à peccato abluti ſumus ; & per conſequentiã liberati ſumus à diabolo ; qui peccatorum vinculis implicitos nos detinebat. Liberauit autem nos Chriſtus per mortẽ, & precioſiſsimi ſui ſanguinis effuſionem. Quamobrem apparuit in nobis liberandis eximia Dei erga nos charitas ; quã in oblatione filij ſui ad mortem turpiſsimam vſque pro nobis illuſtriſsimè demonſtrauit. Ex hoc autem nos mouemur ( niſi ſimus ingrati nimium ) accendimurq́ tot tantorumq́ beneficiorum recordatione, ad Deum ſuper omnia diligendum, & ad ſeruiendum eidem, qui proprium, vnicum, & per quàm cariſsimum filium ad nos redimendos in mortem tradere non dubitauit. Vnde S. Bernar.* Super omnia te mihi reddit amabilem, bone Ieſu, calix quem bibiſti, opus redemptionis noſtrę. *per hoc autem id eſt per eiuſmodi noſtrum in Deum amorem ab ipſo Deo, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto, nos iuſtificamur; hoc eſt à peccato abſoluimur, & Deo grati reddimur. quippè per fidem mortis Chriſti, & per charitatem Dei in nos, & noſtram in Deum, à peccatis lauamur, mundamurq́. Quemadmodum olim in ſerpentẽ æneum in ligno erectum illi, qui aſpiciebant, à ſerpentum morſibus ſanabantur (quod legitur Num.*

*21.*

21.) Sic nunc recto fidei, & charitatis intuitu in Chriſtum (qui pro nobis pependit in ligno) reſpicientes, à vinculis diaboli, & à peccatis, diſſoluimur, & emundamur; & aduerſus diaboli inſidias & cautiores, & fortiores efficimur. Nam & ſi poſt Chriſti mortem ad peccandum perpetuus hoſtis prouocare nos tentat, quibus modis antè prouocabat; non tamen (ſi fide & charitate Chriſto adhæreamus) tam audacter tentare nos audet, & multo minus vincere nos poteſt, vt ante; qui nulla tunc nos fermè difficultate vincebat. Petrus namque qui ante mortem Chriſti ad ancillæ vocem territus Chriſtum ſemel, atquè iterum, & tertiò negauit; poſt mortem, regum, ac præſidum, principumq; iuſſa contempſit, & minas. Factus eſt propterea Deus homo mortalis; vt morte ſua, non ipſe diabolum vinceret; qui omnipotens eſt; & cuius voluntati nihil eſt, quod reſiſtere poſſit; ſed vt nos in ipſo diabolum vinceremus. Qui ſi homo non eſſet, qui diabolū vinceret, proſterneretq; homo, qui proprio abuſus arbitrio ſponte ſe illi ſubiecerat, ab eo violenter eripi videretur. Vt illum autem homo vincat, neceſſe eſt, vt in eo homine, qui vincit, ſit Deus; qui hominem ſolus à peccato immunè reddere, diſſoluere, atquè erigere poteſt; cum & homo, & angelus per ſe exiſtentes, & ſuis viribus confidentes facilè & victi, & vincti fuerint, atq; ceciderint. Qui namque peccatū habet, & eo aſtrictus eſt, non ſufficit ſibi, tantum abeſt, vt pro alijs ſatisfaciat. Adde quòd vterquè & angelus & pu-

*rus homo, eſto quòd naturam humanam ſumpſiſſet, finitæ naturæ atquè virtutis eſſet. non igitur pro culpa infinita (eſt enim infinita omnis mortalis culpa, vt in ſequentibus oſtendetur) condignam facere potuiſſet ſatisfationem. Si autem de nouo factus eſſet homo ille, & nullo pacto in lumbis Adæ extitiſſet, præter hoc quod finitæ virtutis fuiſſet, non habuiſſet carnem peccantis naturæ. Vbi autem nulla eſt in natura communicatio, nulla poteſt eſſe meritorum participatio. Nihil igitur nobis mereri ille potuiſſet; quo peccatorum vinculis abſolueremur: & à diaboli poteſtate liberaremur. Culparũ noſtrarum chirographa ſanguine ſuo Chriſtus deleuit, & illa ligno crucis affixit. quoniam vt omnem culpam, ita omnẽ pœnam in baptiſmo nobis prius debitam remittit. Nonenim (vt aſſerit diſt. 19. tertij Magiſter)* pœna illa, qua pœnitentes ligat, & ligando ſoluit Eccleſia, ad delenda peccata nobis ſufficeret; niſi Chriſti, qui pro nobis ſoluit, pœna cooperaretur. Vnde peccata iuſtorum, qui fuerunt ante aduentum Domini; in ſuſtentatione Dei fuiſſe vſq; ad mortem Chriſti dicit Apoſtolus (*Rom. 3.*) ad oſtenſionem iuſtitiæ eius in hoc tempore. *Chriſtus propterea ſolus mediator dictus eſt ab Apoſtolo (1. Tim. 2.)* Vnus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus *ratione ſcilicet humanitatis; per quam quaſi in medio inter Deum, & hominem peccatorem arbiter conſtitutus eſt; ad componen-*

*dam*

*dam inter Deum & hominem pacem; & ad reconciliandũ hominem Deo. Reconciliat dum peccata delet; quibus Deum offenderamus: delet autem peccata non ſolus filius, ſed & pater, & Spiritusſanctus, & ſi ſolus filius mediator eſt.* Deus enim erat in Chriſto (*2. Cor. 5.*) mundum ſibi reconcilians. *Deus autem non eſt medius inter Deum & homines: ſed* homo Chriſtus Ieſus. *ideſt Chriſtus inquantum homo.*

## Chriſti paſsio ſalus noſtra. Cap. XI.

DVBITANT *patres an alio modo quàm per mortem Chriſti poterat Deus à peccatis ſuis liberare hominem, atquè ſaluare? Reſpondent communi cõſenſu, innumeris alijs modis potuiſſe, ſi voluiſſet; cum ſint immenſæ diuinæ poteſtati cuncta ſubiecta; ſed ad miſeriam noſtram ſubleuandã ſanandamq;, non fuit iſto modus alius congruentior.* Quid enim (*inquit lib. 13. de Trin. cap. 10. S. Auguſtinus.*) tam neceſſarium fuit ad erigendam ſpem noſtrã, mentesq́; mortalium conditione ipſius mortalitatis abiectas, ab immortalitatis deſperatione liberandas; quàm vt demonſtraretur nobis quãti nos penderet Deus, quantumq́; diligeret? Quid verò huius rei tanto iſto indicio manifeſtius, atq́; præclarius; quàm vt Dei filius immutabiliter bonus,

in ſe manens quod erat, & à nobis, & pro nobis accipiens quod non erat, noſtrum dignatus inire conſortium, mala noſtra moriendo perferret? Commendat (*inquit Apoſt. Rom. 5*) charitatem ſuam Deus in nobis; quoniam cum adhuc peccatores eſſemus Chriſtus pro nobis mortuus eſt: multò magis iuſtificati nunc in ſanguine ipſius, ſalui erimus ab ira per ipſum.

*Sed & (cap. 12. eiuſdem libri, & aliquot ſequētibus,) aliam addit magis productam rationem, quam breuibus inſequentes Magiſtrum nos explicabimus. Quippè ſuperatus eſt hoc modo diabolus non potentia, & violentia; ſed humilitate, & iuſtitia. Permiſſum fuerat, Dei iuſtitia, genus humanum in poteſtatem, & tirannidem diaboli, peccato Adami in omnes ex origine tranſeunte (Deo namque permittente, peccati auctor hominem inuaſerat, in quo ius aliquod acquiſierat) innumeriſq; vinculis irretitum, illum à cæleſti patria quottidie per vitiorum abrupta longius abducebat; cuius tādem cæleſtis pater miſeratus; hominem, quem peccatū diabolo ſubdiderat; per ſanguinem filij ſui Dom. no. Ieſu Chriſti, veluti per omnis pœnæ pro peccato debitæ ſolutionem, à diaboli poteſtate liberauit; vt ſic, iuſtitia, quam ſupra modum oderat, vinceretur diabolus, non potentia. Quid? & ſi in Chriſto nihil morte dignū inueniens diabolus; occidit eum tamen. Iuſtum igitur erat, vt debitores, quos tenebat, liberi*

*dimit-*

*dimitterentur, in eum credentes; quem ſine vllo debito, & ſine vlla cauſa ille prius occiderat. diabolus enim, dum in eũ manus extendit, in quem nihil iuris habebat; in quos ius aliquod habebat, meritò poteſtatem amiſit.*

*Additur etiam à patribus tertia ratio. Placuit Deo nõ potentiæ ſuperbia, ſed iuſtitiæ, & mortis humilitate diabolum ſuperari; quia vitio peruerſitatis ſuæ, potentiæ ac ſuperbiæ amator eſt; deſertor autem & oppugnator humilitatis, & iuſtitiæ; vt eò & victoria magis eſſet odioſa diabolo; & homo, per iuſtitiæ humilitatem, ad Chriſti exemplum, diabolum ſuperare, cum opus foret, addiſceret. In reſurrectione vſus eſt Dominus potentia, qui in morte uſus fuerat humilitate, In morte autem neq; ab anima neq; à corpore ſeparata eſt diuinitas. Quod enim ſemel verbum aſſumpſit, nunquàm dimiſit. Anima tantũ à corpore fuit ſeparata; ratione cuius ſeparationis Chriſtus verè mortuus dicitur. Mors autẽ Chriſti et à Deo fuit, et à Iudæis, et a ſeipſo. A Iudæis quidem mortem illius procurantibus, et eius ſanguinem odioſo animo ſitientibus; à Deo autẽ, ita ipſo volente, ideſt Chriſti humanitatem, ad humani generis redemptionem, in manibus iniquorum permittente; a ſeipſo, quoniam* poteſtatem *(inquit Chriſtus Ioan. 10.)* habeo ponendi animam meam, & iterum ſumendi eam. Ego pono eam à meipſo. *Et ad Pilatum (Ioan. 19.) ait.* Non haberes in me poteſtatem vllam; niſi tibi datum eſſet deſuper. *Et*

*Iſa.*

*Iſa. (cap. 53)* Oblatus eſt quia ipſe voluit. *Quinimò quotieſcumq; Chriſtus aliquid paſſus eſt, ſiue in corpore, vt famem, ſitim, perſequutionem, & mortem: ſiue in anima, vt gaudium, triſtitiam, pauorem, & id genus alia; paſſio illa opus fuit Dei quoquo modo, quoniam ipſo ſic volente, non autem alio cogente, paſſus eſt.*

## De merito Chriſti. Cap. XII.

DVBITARE *quis poterit, primò An Chriſtus meruerit; 2. Si meruerit, An meruerit ſibi, vel nobis; 3. An in natiuitate, ſiue in incarnatione meruerit, vel in morte; 4. Si vtrobiq; an meruerit in paſſione, magis quàm in natiuitate. Sunt iſtæ ſuo ordine difficultates diſſoluendæ.*

*Quo ad primam. Non videtur Chriſtus meruiſſe: quia Deus, & Dei filius eſt; mereri autem Deum impoſsibile eſt, Deo namq; aliqua perfectio deeſſet, ſi mereri poſſet. Non igitur Deus eſſet: ſi Deus eſt (vt eſſe veriſsimum eſt) quo maius cogitari non poteſt.*

*Dicendum Chriſtum non eſſe Deum tantum, ſed etiam hominem. qua Deus quidem mereri vllo modo non potuit. qua homo autem mereri potuit; atque quàm maximè meruit.*

*Quo ad dubitationem ſecundam. Sibi Chriſtum non meruiſſe, illa videri poteſt: quòd Chriſtus ab ipſa conceptione, & in-*

*& incarnatione (ex quo homo factus eſt) plenus omniũ gratiarum, & omnium ſpiritualium chariſmatum fuit; ut in eis proficere, vel gratiarum aliquid ſibi promereri non potuerit. Non enim ipſius anima melior in dies fieri potuit, quàm ab initio ſuæ conditionis extiterit. In meritis igitur proficere non valuit. Unde (ſuper cap. 25. libri Exodi) Eſichius egregius Doctor inquit.* Non habuit omninò Chriſtus iuxta animæ meritum, quo proficere potuiſſet. *Sed huic obſtare videtur, quod (ad Philipp. 2.) ſcripſit Apoſtolus.* Chriſtus factus eſt pro nobis obediẽs vſque ad mortem, mortem autem crucis; propter quod & Deus exaltauit illum; & dedit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen. *In hac graui admodum difficultate, cum omni ſubiectione, & proteſtatione, dicerem pro reſponſione, meritum duplex eſſe eſſentiale, et accidentarium. Appello nunc eſſentiale meritum, actionem, ſiue paßionem illam, quæ à Deo immediate ad gloriam, tãquam ad eius præmium ordinatur. Accidentarium verò illã, quæ non ad æternam vitam, ſed ad gaudij æternæ vitæ amplitudinem quandam, & extenſionem per Deum dirigitur. Cum in primo inſtanti ſuæ conceptionis, humanitas Chriſti verbo fuerit in vnitate ſuppoſiti vnita, & per conſequentiã omninò beata fuerit; in eſſentiali merito proficere illa ſibi non potuit, ſed in accidentali tantum; quatenus corpus, quod erat mortale per ſanctißimã vnionem illam, et per reſurrectionem fieri*

*fieri meruit immortale; & anima, quæ ante mortem erat paſsibilis; facta eſt in reſurrectione penitus impaſsibilis; ſed & corpus ante reſurrectionem mortale erat, & anima paſsibilis, quia ita Chriſtus ipſe volebat; vt immortalitas iſta, & impaſsibilitas meritorum Chriſti extenſio quædam fuerit, nō noua adeptio. Vtrum autem impaſsibilis facta ſit anima; quādo eſt facta immortalis, in ipſo videlicet reſurrectionis momento; vel mox poſt carnis ſeparationem ante reſurrectionem; expreſſum in ſacris literis non habemus. Chriſtus igitur ſibi accidentaliter meruit, propterea quòd exaltatus eſt in corpore, et anima per impaſsibilitatis gloriam, quia eſt in utroque humiliatus per paſsionis obedientiam. Humilitas charitatis eſt meritū; charitas humilitatis eſt præmium. Sed quod ſibi aliquo modo & accidētario Chriſtus meruerit, hactenus.*

*Quòd autem nobis & vniuerſo humano generi meruerit Chriſtus, tanquam manifeſtiſsimum, & à patribus omnibus nemine diſcrepante, conceſſum derelinquitur. Sed dubitare quis poteſt; quid illud ſit, quod nobis meruerit? cui dicimus, innumera nobis bona Chriſtum meruiſſe; quæ vniuerſa ad duo capita, diſciplinæ gratia, cogere poſſumus. hæc autem sūt, gratia, & gloria. Meruit namq; nobis redemptionem à peccato; ſiue à culpa, à pœna, & à diabolo per gratiam. meruit nobis vitam æternam, & regni cœleſtis poſſeſsionem per gloriam (Gen. 3.) legitur. Peccantem Adamum* eiecit Dominus de Paradiſo voluptatis; & collocauit ante

ante paradiſum voluptatis cherubim, & flammeum gladium, atq; verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ. *quæ via poſteà aperta eſt per Chriſtum: et amota eſt ignea romphea, & flammeus gladius; vt liberè ad paradiſum nobis pateret adytus. Meruit (inquam) nobis Chriſtus iſta bona; ſi per virtutum exercitia, & in primis per fidem, per ſanctorum Sacramẽtorum vſum, præcipuè per ſacri baptiſmi ſuſceptionem, fieri eius membra, & corpori Chriſti myſtico incorporari ſtuduerimus. Illis nempè* quotquot Chriſtum receperunt, dedit (*inquit Ioannes*) poteſtatem filios Dei fieri. *Et* (*ad Galat. 3.*) Chriſtus nos redemit de maledicto legis. *Et* (*ad Titum 2.*) Qui dedit ſemetipſum pro nobis: vt nos redimeret ab omni iniquitate: & mundaret ſibi populum acceptabilem. *Et* (*Apoc. 5.*) Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, & feciſti nos Deo noſtro regnum. *Et* (*ad Gal. 4.*) Miſit Deus filium ſuum, vt eos qui ſub lege erant redimeret; & adoptionem filiorum reciperemus.

### An Chriſtus in morte plus meruerit, quàm in incarnatione. Cap. XIIII.

DVBITATIO *tertia fuit. Vtrũ plus meruerit in morte, an in incarnatione ſiue in natiuitate? Ad quam re*

*ſpondentes dicimus. Si teneamus illa, quæ anteà à nobis dicta ſunt, et ſi de eſſentiali merito loquamur, utrobique illũ æqualiter meruiſſe. Si autem de accidentario, plus meruit in morte, quàm in natiuitate ſiue incarnatione. Etenim et ſi per crucis paſſionem non plus ſibi eſſentialiter meruit, quàm per incarnationem; ita vt (quantum ad virtutem meriti) in tota vita ſua, qua corporaliter nobiſcum fuit, non profecerit: profecit tamen quantum ad numerum meritorũ. Plura quippè habuit merita in paſſione, quàm in natiuitate; maioris tamen virtutis non extiterunt, in merendo illa plura merita, quàm antea fuerint illa pauciora. Per obedientiam ſanè, & per humilitatem perfectam Chriſtus meruit; quam non tunc primo habuit, aut non tunc maiorem habuit, cum pati cœpit, aut mori. quippè perfectè obediens, & bonus ſecundũ hominem Chriſtus extitit, ex quo homo fuit, & homo eſſe cœpit.*

*Si dicas, cum ab incarnatione meruerit tantum (vt nũc dictum eſt) quantum in paſſione; quomodo veritatem tuebimur verborum Apoſtoli, quæ prius citauimus ex Epiſt. ad Philipp. aſſerentium, propter obedientiam ad mortem vſquè Chriſtũ exaltatum, & illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, donatum fuiſſe, &c.*

*Reſponderem (meliori iudicio ſine contentione ceſſurus) ſecundum tropum illum in ſcriptura ſatis vſitatum hoc eſſe ſuſcipiendum; quo dicitur, tunc res fieri, quando incipit factum*

*ſtum cognoſci. ad quem modum ad Abraam* (*Gen. 22.*) *ait Dominus.* Nunc cognoui. quòd timeas Deum, *ſenſus eſt, non quod aliquid addiſcere tunc Deus inceperit; qui de nouo addiſcere quidpiam non poteſt: Sed nunc incipie ris ab alijs cognoſci, te timere Deum. Illud nãque quod erat etiam ante paſsionem, ſed multis occultum, in euidenti ita poſitum eſt in reſurrectione; Vt & homines cognõſcerent, & dæmones: quoniam poſt reſurrectionem omnibus & angelis & hominibus euidentiſsimum illud factum eſt. Eò namque quod obediuit patiendo, exaltatus eſt reſurgendo. Eodem modo intelligendum, quod* (*Matth 28.*) *ait Dominus poſt reſurrectionem.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. *non quod tunc primùm eiuſmodi poteſtã tem acceperit Chriſtus: ſed, quam antè habebat, poteſtas manifeſtata tunc fuerit. Nobis autem multò magis in morte meruit, quàm in natiuitate; quòd noſtræ redemptionis pretium, preciosiſsimus Chriſti ſanguis effuſus tunc fuerit* (*Iſa. 53.*) Ipſe vulneratus eſt propter iniquitates noſtras; attritus eſt propter ſcelera noſtra; diſcipli na pacis noſtræ ſuper eum, & liuore eius ſanati ſu mus. Poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrùm. *Et in die ſabbati maioris hebdomadæ canit Eccleſia.* Qui pro nobis æterno patri Adæ debitũ ſol uit; & veteris piaculi cautionẽ pio cruore deterſit. Et. Nihil nobis naſci ꝓfuit, niſi redimi profuiſſet.

## De gratia virtutum, & hoc capite de virtutibus Cardinalibus. Cap. XV.

MERVIT *igitur nobis (vt dictum eſt) Chriſtus gratiam, & gloriam; nobis (inquam) benè pro poſſe operantibus, benè (inquam) naturaliter ſiue moraliter. Nobis ſanè bene pro poſſe naturaliter hoc eſt per virtutes naturales ſiue morales operantibus donat miſericorditer Deus virtutes ſupernaturales, & tandem gratiam; per quam nos primum Deo grati reddimur. deinde grata ita Deo redduntur opera noſtra; vt tanquam æternæ vitæ meritoria ab eo clementiſſimè ſuſcipiantur. de gratia igitur virtutum, ſiue de virtutibus ſequitur, vt dicamus: & prius de virtutibus moralibus, ſiue Cardinalibus: quia ad theologicas ſunt illæ tanquam diſpoſitiones. Morales virtutes multæ ſunt, principales autem à ſanctis Doctoribus quattuor enumerantur. Iuſtitia, fortitudo, prudentia, temperantia, quas etiam Cardinales appellant. de quibus (lib. 14. de Trin. cap. 9.) S. Auguſtinus inquit.* Iuſtitia eſt in ſubueniendo miſeris; prudentia in præcauendis inſidijs; fortitudo in perferendis moleſtijs; temperantia in coercẽdis prauis delectationibus. *Hæ quatuor virtutes Cardinales ideò appellantur; quòd hominum vita moralis, ſiue ciuilis & politica, in actionibus, & paßionibus ſuis, iſtis virtuti-*

*bus*

*bus ita regatur, atq; ſuſtentetur; quemadmodum valuæ ſiue portæ oſtium in motu ſuo cardinibus reguntur, voluuntur, & ſuſtentantur. Principales verò dicuntur, quoniam ad iſtas quattuor virtutes aliæ fermè omnes rediguntur: vt ad Iuſtitiam liberalitas, ad fortitudinem magnanimitas, ad prudẽtiam manſuetudo, ad temperantiam caſtitas atq; modeſtia. Eſt tamen hoc loco aduertendum, aliquas, apud huius ſeculi ſapientes, virtutes eſſe: quæ apud theologum chriſtianum uirtutes non ſunt. Similiter aliquæ ſunt apud theologum, quæ apud philoſophum virtutes non cenſentur. Magnificentia, quæ (4. Eth.) circa magnas expenſas, et publicas hoc eſt in publico factas, virtus egregia in ſeculo reputatur; à Chriſto Domino noſtro (Luc. 12.) tanquam vitium reprehenditur: & ei, qui magnifica extruxerat horrea, & palatia, atq; alia bona magnificè parauerat, & quieſcere, comedere ſplendidè bibere, & epulari ad multos annos exiſtimabat, dicitur.* O ſtulte, hac nocte animam tuam repetent à te: quæ autem paraſti cuius erunt? *Et (cap. 16.) Ille, qui & magnificos ſumptus faciebat, & induebatur purpura, & byſſo, & epulabatur quotidiè ſplendidè, tandem mortuus ſepultus eſt in inferno. Affabilitas ſimiliter & vrbanitas ſiue comitas ab Ariſtotele virtus putatur. At Dominus (Matth. 12.) inquit* Dico vobis quoniã omne verbum ocioſum, quod loquuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicij. *Contrà, virginitas,*

*ginitas, quæ apud philoſophum virtus non eſt (cum ſit extremum, non autem medium in carnalibus delectationibus) grandis atque iterum grandis virtus eſt apud theologum, & Deo perquamgratiſsima, vt ad Paulam, & Euſtochium ſcribat aliquando D. Hieronymus* In carne præter carnem viuere; non terrena vita eſt, ſed cœleſtis. *Et S Ambroſ.* Quis humano eam poſſet ingenio comprehendere: quam nec natura ſuis incluſit legibus. *Idem de paupertate voluntaria dicere poſſumus.*

*An verò in patria permanſuræ ſint in nobis iſtæ virtutes, dubitatio eſt. Ad quam reſpondet loco citato (14 vide licet de Trin. cap. 9) S. Auguſtinus ijs verbis.* Immortalis eſt omninò Iuſtitia; nec in illa beatitudine eſſe deſinet; ſed talis, ac tanta erit; vt perfectior & maior eſſe non poſsit. Fortaſsis & aliæ tres virtutes; prudentia ſine vllo iam periculo erroris; fortitudo ſine moleſtia tolerandorum malorum; temperantia ſine repugnatione libidinum erunt in illa fœlicitate. Vt prudentiæ ibi ſit; nullum bonum Deo præponere, vel æquare. Fortitudinis, ei firmiſsimè cohærere. Temperantiæ, nullo defectu noxio delectari. Quod verò nunc agit iuſtitia in ſubueniendo miſeris, quod prudentia in præcauendis inſidijs, quod fortitudo in perferendis moleſtijs, quod temperantia in coercendis dele-

ctatio-

ſtationibus prauis,non erit ibi omninò, vbi nihil mali erit. *Et de virtutibus moralibus, vt chriſtiano homini deſeruiunt,quæ dicta ſunt ſufficiant, illo tantum addito, quód ſine gratia gratum faciente naturales tantum & informes virtutes ſunt. Cum ea autem ſupernaturales euadunt, & ſecundum eas homo qui operatur, ſibi vitam demeretur.*

## De gratia virtutum theologicarum, & hoc capite de fide.. Cap. XVI.

PR*æter has quatuor Cardinales virtutes, tres ſunt, quæ theologicæ appellantur, Fides,Spes, Charitas, de quibus nunc dicere opus eſt: & à fide incipiendum. Fides apud philoſophos virtus non eſt; ſed vel eſt opinio ſatis firma uel opinionem illam ſequitur,quæ et ſi vni parti contradictiones fortius hæret, formidiné tamen ſemper habet de oppoſito. quod & quomodo ſit, à mundi ſapientibus alibi declaratum eſt,ut à Io. Gram. & à Simpl. Ariſtotelis interpretibus, ſecundo libro de Anima, fuſè ſatis explicatum eſt. (Quarto libr Top. cap. 5) dixit Ariſtoteles,* Fides eſt opinio vehemens. *De hac fide,quæ fides naturalis eſt, quæ nullam dicit exactam certitudinem, & nulli inobliquabili regulæ aut veritati innixa eſt, nullam habet pater theologus ab opinione diſtinctam conſiderationem.*

*Fides*

*Fides autem apud theologum neq; eſt opinio, neque ſequitur opinionem; quæ de contrario formidinē aliquam habeat: ſed inobliquabili regulæ, & ineffabili veritati, & ipſi deniq; Deo ita conſtans innixa eſt: vt ab eo dimoueri non poſſit; & per conſequentiam falſum illi ſubeſſe ſit omnino impoſſibile. Eiuſmodi fides trifariam ſumi poteſt. Vno modo pro eo quod creditur: vt verbi cauſa pro articulis fidei; qui in ſymbolo explicati ſunt, de qua fide Athanaſius in Symbolo explicatis prius articulis, ſubiecit.* Hæc eſt fides catholica, quam niſi quiſquè firmiter, fideliterq; crediderit, ſaluus eſſe non poterit. *Alio modo pro eo in quod creditur; de qua (ad Hebræos 11.) Apoſtolus.* Fides eſt fundamentum rerum ſperandarum, argumentū non apparentium. *Hoc autem fundamentum Chriſtus eſt (1. Cor. 2.)* Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id, quod poſitū eſt: quod eſt Chriſtus Ieſus. *Et in Symbolo.* Credo in vnum Deū. &c. *Tertio modo pro eo, quo creditur; & hoc modo ſumendo fidem (lib. 4. cap. 12.) dicit Damaſc.* Fides eſt inſcrutabilis conſenſus. *Et à patribus communiter dicitur,* quòd Fides eſt virtus, qua creduntur, quæ non videntur ad religionem pertinentia. *Fides virtus theologica, de qua loquimur, virtus eſt non moralis, & naturalis, ſed ſupernaturalis, & infuſa; tranſcendit propterea humanū viſum, id eſt omnem ſenſum. Non reſpectu omnium, quæ*

*non videntur, eſt fides, ſed eorum tantum, quæ ad religionem, ad pietatem, & ad Dei cultum pertinere dicuntur.*

*Huic fidei deſcriptioni, & eiuſdem datæ explicationi verba Domini ad Thomam Apoſtolum (Io. 20.) aduerſari videntur.* Quia vidiſti me Thoma, credidiſti. *Et quod antè (Io. 14.) Apoſtolis omnibus dixerat Dominus.* Et nunc dixi vobis priuſquam fiat; vt cum factũ fuerit, credatis. *Tollit difficultatem S. Auguſt. (Tract. 5. ſuper Ioanne) inquiens.* Cernebat Thomas, & tangebat carnem viuentem, quam viderat morientem; & credebat Deum in carne latentem. Credebat ergò mente, quod non videbat, per hoc quod sẽſibus apparebat. Si verò dicuntur credi, quæ videntur; ſicut dicit vnuſquiſquè oculis ſuis crediſſe; non ipſa eſt, quæ in nobis ædificatur fides; ſed ex rebus quæ videntur, agitur in nobis; vt ea credantur, quæ non videntur. *Vgo Victorinus (lib. 2. de Sacr. parte 18. cap. 20.) inquit.* Videntur præſentia, creduntur abſentia ſenſibus. *Et S. Gregorius (ſuper Ezech.)* Apparentia non habent fidem, ſed agnitionem. *(In libr. 13. de Trin. cap. primo) S. Auguſtinus aſſerit fidem ipſam videri, & ſi ea, quorũ eſt fides non videntur. ijs verbis.* Ipſam fidem, quando eſt in nobis, videmus in nobis: quia & rerum abſentiũ præſens eſt fides; & rerum, quæ foris ſunt, intus

eſt fides; & rerum, quæ non videntur, videtur fides. Fidem ſuam videt quiſq; in corde ſuo eſſe, ſi credit; vel non eſſe, ſi non credit.

## Fides vna. Cap. XVII.

AB *Apoſtolo (ad Eph. 4.) Vna fides eſſe dicitur, & ſi cuique ſua fides ineſt, & articuli fidei plures ſunt: tum quia virtus, qua creditur, eſt eadem, ſpecie ſaltem, in omnibus fidelibus, ſi non numero: tum quia id, vnum eſt, in quod creditur Deus benedictus; tum quia id quod creditur eſt ſimiliter vnum in fidelibus vniuerſis. Nam & ſi articuli fidei plures ſunt, quilibet tamen vnus in omnibus eſt, & omnium ac ſingulorum articulorum aſſenſus vna tantum fides eſt. Dicitur etiam fides vna, quòd eandem, quam nos habemus fidem, habuerint antiqui patres. Ad Dardanum (eſt epiſt. 57) S. Auguſtinus.* Erat antiquis iuſtis aliquod occultum: cum tamen & illi eadem fide ſalui fierent; quæ fuerat ſuo tempore reuelanda. *Et ad Innocentium Papã (Epiſt. 95.)* Fidem Chriſti, quæ poſtea in reuelationem venit, in occulto fuiſſe tẽporibus patrum noſtrorum, per quam tamen etiã ipſi, Dei gratia, liberati ſunt; quicumq; omnibus temporibus liberari potuerunt occulto iudicio Dei. Vnde dicit Apoſtolus (*2. Cor. 4.*) Habentes

autem

autem ſpiritus Dei, vtiq; eundem, quem & illi, ſecundum quod ſcriptũ eſt. Credidi propter quod & locutus ſum; & nos credimus, propter quod & loquimur. *Et ad Optatum. ( Epiſt. 157. ) clarius.* Illa fides ſana eſt, qua credimus; nullum hominẽ ſiue maioris, ſiue minoris ætatis, liberari à contagione mortis, & obligatione peccati, quod prima natiuitate contraxit; niſi per vnum mediatorem Dei, & hominum Ieſum Chriſtũ. Cuius hominis Chriſti eiuſdemq; Dei ſaluberrima fide, etiam illi iuſti ſalui facti ſunt; qui priuſquam veniret in carne, crediderunt in carne venturum. Eadem namq; fides eſt & noſtra, & illorum, quoniam hoc illi crediderunt futurũ: quod nos credimus factum. *Et in ſerm. quodam Greg. Nazianzenus aſſeruit.* Neminem eorum, qui ante Chriſti aduentum martyrio conſummati ſunt, id ſine fide in Chriſtum conſequi potuiſſe. *Quid autem de Chriſto mediatore antiquos credere oportebat, non idem omnes ſentiunt. quidam dicũt quattuor oportuiſſe credere. natiuitatem, mortem, reſurrectionem, & iudicium. Alij, duo, incarnationem, & iudicium. Sciendum autem aliud eſſe credere Deo, aliud credere Deũ, aliud credere in Deum. Credere Deo eſt credere vera eſſe illa, quæ nobis quocũque modo per reuelationem loquitur Deus. Credere Deum eſt credere, quòd ſit ipſe*

*Deus. Vtramq́; fidem habent & mali homines, & damnati, & dæmones* (*Iacob. 2.*) Tu credis, quoniam vnus eſt Deus, bene facis: & dæmones credunt, & contremiſcunt. *Vtraq́; fides informis* (*vt patet*) *& ſine charitate eſſe poteſt.* Credere in Deum (*dicunt Patres*) eſt credendo amare, credendo in Deum ire, credendo Deo adhærere, & eius membris incorporari: *& hæc fides dicitur fides formata, quia eſſe non poteſt ſine charitate; & eſt illa, quæ ocioſa non eſt, ſed per dilectionẽ operatur. per hanc fidem impius iuſtificatur, & tandem glorificatur.*

## De Spe. Cap. XVIII.

SPES *apud philoſophos virtus non eſt, ſed paſſio. Quattuor ſunt apud eos paſſiones principales, ad quas aliæ ferè omnes reducuntur, Gaudium, triſtitia, ſpes, & timor. (lib. 3. Tuſc. quæſt.) has Cicero appellat voluptatem, ægritudinẽ, libidinem, & metum. Inter eas eſt diſtinctio ex parte tum boni, & mali; tum temporis præſentis & futuri; tum etiã ex parte motus phantaſticæ potentiæ. Gaudium eſt boni præſentis, aut tanquam præſentis. Spes eſt boni futuri. Triſtitia eſt mali præſentis, aut tanquàm præſentis. Timor eſt mali futuri, & quaſi impendentis. Bonum apprehenſum vt concupiſcibilem virtutem mouet, cauſat gaudium. idem vt iraſcibilem*

*bilem mouet, ſpem facit. Malum apprehenſum, vt ſuo modo mouere dicitur concupiſcibilem, cauſat triſtitiam, idem ut iraſcibilem, timorem. Ad gaudium hilaritas, iucunditas, exultatio, iubilatio, & extaſis rediguntur. Hilaritas ex frõte innoteſcit, in qua gaudio cutis extenditur, & clarior redditur. Iucunditas euenit ex ludo. Exultatio ex corde, quod quaſi intra pectus ſaltus edere videatur. Iubilatio ex cantu lætabundo, & effuſa lætitia, vnde annus iubileus, id eſt annus omnis gaudij plenus. Extaſis ex nimio gaudio, quo quaſi extra ſe homo poni videtur.* Amor (*inquit B. Dionyſ.*) ſi fortis fuerit, extaſim facit, & transformat amantem in amatum. *quandoq; etiam ex vehementia mortem inducit. Legitur, Tito in obſidione Hieruſalem perſeuerante, nuntiatum fuiſſe Veſpaſianum patrem imperatorem ſalutatum, quo audito, cecidit quaſi mortuus præ gaudio. Non omittam gaudium duplex eſſe, verum & mentitum, de quibus vide fuſius apud Damaſc. (lib. 2. cap. 13.)* Ad Triſtitiam (*ex Damaſc. lib. 2. cap. 14.*) quatuor reducuntur, acedia, anxietas, inuidia, miſericordia. Acedia (*inquit*) eſt triſtitia taciturnitatem inducẽs. *Adde, & in opere torporem aliquem, & ſegnitiem.* Anxietas eſt triſtitia aggrauans. Inuidia eſt triſtitia ex alienis bonis proueniens. Miſericordia ex alieno malo cauſatur. *Ad Spem reducuntur confidentia, præſumptio, & audacia. Confidentia eſt ſperare, quod meritis reſpondet.*

*reſpondet. Præſumptio eſt ſperare ſine merito; quod congruũ minimè eſt. Audacia eſt ſperare nimium vltra vires, et merita. Eſt autem audacia duplex, vna, quæ eſt veluti ſpecies ſpei; altera quæ fortitudini tanquam exceſſus aduerſatur; quæ ad ſpem non reducitur.* Ad timorem (*inquit Damaſ. lib. 2. cap. 15.*) ſex rediguntur, ſegnities, verecundia, erubeſcentia, ſtupor, terror, & agonia. Segnities eſt timor futuræ operationis. Verecundia eſt timor, ab expectatione conuicij, ſiue (*quod idem eſt*) de turpi actu committendo; & hic affectus optimus eſt. Erubeſcentia eſt timor ex re turpi perpetrata; & hic affectus eſt cum ſpe ſalutis. Stupor eſt timor ex magna imaginatione. Terror eſt timor ex imaginatione inconſueti mali. Agonia eſt timor caſus, & infortunij. *Cum homo ex magnitudine timoris quaſi exanimis efficitur. Cicero (in tertio Tuſculanarum quæſt.) octo ſpecies timoris poſuit, pigritiam, pudorẽ, terrorem, tremorem, pauorem, formidinem, cõturbationem, & examinationem. Spes apud Theologos magna virtus eſt,* qua (*vt in 3. diſt. 26. ait Magiſter*) ſpiritualia, & æterna bona ſperantur, hoc eſt cum fiducia expectantur. Etenim ſpes eſt certa futuræ beatitudinis expectatio, ex Dei gratia, & præcedentibus meritis proueniens. Sine meritis enim aliquid ſperare, non ſpes, ſed præſumptio dici poteſt. *Eſt ſpes, ſicut*

*fides*

*fides de inuiſibilibus* (*Rom. 8.*) Spe enim ſalui facti ſumus, ſpes autem quæ videtur, non eſt ſpes. Nam quod videt quis, quid ſperat? *Diſtat à fide ſpes, quia illa rerum bonarum & malarum eſt, præſentium, præteritarum, & futurarum, ad ſe, & ad alios pertinentium. Spes autem eſt bonarum rerum tantum, & futurarum tantum, & ad ipſum ſperantem vel ſimpliciter, vel aliquo modo, quatenus videlicet ſub eius ſpe cadunt, pertinentium.*

*In patria & in beatis, ſicut ante ex B. Auguſtino (14. de Trin. cap. 9) Virtutes quattuor cardinales poſuimus; ſed modo multò præſtantiore quàm in viatoribus; ità ponere in beatis poſſumus fidem, & ſpem; multò tamen excellentiore modo, quàm in ipſis viatoribus ſtatuantur. Et qui ſic dicunt, ne in minimo quidem aduerſãtur illis: qui à beatis, & à D. N. Ieſu Chriſto viatore fidem virtutem, & ſpem negarunt. quoniam & ſi ſancti credunt, & ſperant futuram corporum ſuorum reſurrectionem, & alia multa: non tamen illa, quæ credunt, & ſperant; per ſpeculum in ænigmate, vt nos, qui ſimpliciter viatores ſumus; ſed præclariſſimè cognoſcunt, atq; inſpiciunt: quia non credunt, & non ſperant abſq; ſcientia exactiſſima; quæ ænigmatica minimè eſt; quòd Deo per ſpeciem contemplando fruantur. Venit etenim illis, quod perfectum eſt; & euacuatum, quod ex parte erat. Idem dicendum de Chriſto, in quo viatore, & ſi fuerunt bona patriæ, & comprehenſoris; credidit nihilominus, & ſperauit* reſurre-

*reſurrectionem ſuam tertia die futuram; atquè de ea non ænigmaticam, & ſpecularem, ſed clariſſimam, & perfectiſſimam cognitionem habuit; quia non perfectius eam cognouit præteritam, quàm intellexerit futuram.*

*Antiqui patres, qui apud inferos ad paſſionē vſq; et mortem Chriſti tenebantur, fidem virtutem, & ſpem propriè habuerunt; quia & credebant & ſperabant ſe viſuros Deum per ſpeciem; quomodo in inferno eum tunc non videbāt, ante videlicet Chriſti mortem.*

## De Charitate. Cap. XIX.

CHARITAS *duplex eſt naturalis, & ſupernaturalis. Naturalis eſt virtus, qua & ſuper omnia Deum naturaliter diligimus, & proximum (vt ratio expoſtulat) amicabiliter amamus. Quòd autem ſuper omnia Deum naturaliter diligere poſſimus; &, ſi recta naturali ratione illū diligimus, ſuper omnia illum diligamus, eſt à nobis libro de prædeſt. nondum impreſſo diligenter ſatis oſtenſum.* Charitas ſupernaturalis (*lib. 3. diſt. 27.*) *ita deſcribitur à Magiſtro* eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe; & proximus propter Deum, vel in Deo. *Complectitur namq; charitas duo mandata, vnum ad dilectionē Dei, alterum ad proximi dilectionem attinens. Vnum,* diliges Deum ex toto corde, tota mente, & tota anima tua.

tua (*Deuter. 8. & Matth. 22.*) *Alterũ.* Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. In ijs duobus mandatis (*ait Dominus Matth 22.*) tota lex pendet, & prophetę. *Eſt autem charitas, qua nos Deum, & proximum diligimus, non Deus, aut Spiritusſanctus, vt patres nonnulli alioquin præſtantiſsimi ſunt minus rectè arbitrari; ſed donum Dei, & ſumma quædam gratia, & qualitas nobis à Deo miſericorditer infuſa. Hæc autem ſicut à Deo animæ noſtræ demandatur; ita vi ſua (tantæ, tamque præſtantis virtutis eſt) demandat ipſa (ſic dixerim) animam noſtrã ad Deum. Quippè cum virtutes aliæ ornamenta ſint animæ maxima; hæc vna animã, & in primis mentem ac voluntatem, & eius opera vniuerſa exornat, gratificat, coronatquè. Cuius vim admirandum, excellentiſsimam, ac vtilitatem explicare conatus eſt S. Apoſtolus (in priore ad Cor. cap. 13) in his verbis.* Si linguis hominum loquar, & angelorũ; charitatem autem non habeam: factus ſum velut æs ſonans, aut cimbalum tinniens. Et ſi habuero prophetiam; & nouerim myſteria omnia, & omnem ſcientiam; & ſi habuero omnem fidem, ita vt montes transferam; charitatem autem non habuero; nihil ſum. Et ſi diſtribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; & ſi tradidero corpus meum ita, vt ardeam: charitatem autem nõ habuero; nihil mihi prodeſt. *& quæ ſequuntur. Eſt*

*ergo charitas aliarum virtutum omnium ſumma, atq́ue ſāctiſsima perfectio. Sed & ſi duo ſint charitatis præcepta, quorum vno dilectio Dei, altero dilectio proximi præcipitur, ſæpè tamen pro vtroq́, alterum ponitur: quia nec Deus ſine proximo, nec proximus ſine Deo ritè, & cum charitate, & merito aliquo diligi poteſt. Quamobrem (Rom. 13.) Apoſtolus inquit.* Qui diligit proximum legem impleuit. Nam non adulterabis; non occides; non furaberis; non falſum teſtimonium dices; non concupiſces; & ſi quod eſt aliud mandatum; in hoc verbo reſtauratur. Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. *Et (ad Galat. 5)* Omnis lex in vno ſermone impletur. Diliges proximum tuū ſicut te ipſum. *Et (Ioan. 13.)* Mandatum nouum do vobis, vt & vos diligatis inuicem, ſicut dilexi vos. *Et (cap. 15.)* Hoc eſt præceptum meum, vt diligatis inuicem, ſicut dilexi vos.

*Præceptum de diligendo Deo ex toto corde, tota mente, & tota anima; in hac mortali vita à nobis exactè impleri non poteſt.* Cum enim (*inquit lib. de perfectione humanæ iuſtitiæ Auguſtinus*) adhuc eſt aliquod carnalis concupiſcentiæ, non omni modo ex tota anima diligitur Deus. *Si quæras, cur præcipitur, ſi nō impletur? Reſpondet Auguſtinus (vbi ſupra)* Quia nō rectè curritur, ſi quo currendum eſt, neſciatur; non ſcire-

tur

tur autem ſi nullis præceptis oſtenderetur.

*Conueniunt tres iſtæ theologicæ virtutes, in materia, quia in Deum vt principale obiectum tendunt, differunt in forma, quia fides in Deum tendit ſub ratione veri; ſpes ſub ratione boni ardui; charitas ſub ratione boni diligibilis.*

## Charitas eſt ordinata. Cap. XX.

QVATTVOR *illa ſunt; quæ per charitatem diligenda ſunt (libro primo de Doctrina chriſtiana cap. 23) dixit Auguſtinus*, Vnum quod ſupra nos eſt, Deus; Alterum, quod nos ſumus; Tertium, quod iuxta nos eſt, proximus; Quartum, quod infra nos eſt, corpus. *Vt autem quiſq; ſe diligat, aut corpus ſuum, præcepto ſpeciali non fuit opus. Dixit Apoſt. (Epheſ. 5)* Nemo vnquam carnem ſuam odio habuit. *Adde, quòd in præcepto de diligendo proximo, præceptum de diligendo ſeipſo contineatur, imò menſura dilectionis proximi ex verbo domini, ipſa ſuipſius dilectio eſt. Proximi autem nomine omnem hominem eſſe intelligendum, non ambiguus; quinimò omnes etiam angelos bonos; à quibus tanta nobis miſericordiæ impenduntur officia. Quoniam ſcriptum eſt (Cant. 2.)* Ordinauit in me charitatem *In dilectione, & charitate ordo ſeruandus eſt; ille videlicet, qui in quattuor diligendorum enumeratione ante poſitus eſt. in quo*

*ponitur primò, quod ſupra nos; ſecundò nos ipſi; tertio quod iuxta nos; quartò quod infra nos eſt. Vbi ex enumerationis ratione ordo charitatis & dilectionis inſinuari videtur.* Ipſe eſt inquit (*lib. 1 de doctr. Chriſt. cap. 27.*) *Auguſtinus* qui ordinatam habet dilectionem; ne aut diligat, quod non eſt diligendum; aut non diligat, quod eſt diligendum; aut æquè diligat, quod minus, vel amplius diligendum eſt; aut minus, vel amplius, quod æquè diligendum eſt *Si autē inter eos, qui iuxta nos ſunt, patres aliqui putauerunt ordinem eſſe; vt primo loco parentes, ſecundo filios, tertio amicos, quarto inimicos ſtatuerint (quod alicubi S. Ambroſius facere videtur) verba ad operum exhibitionem magis, quàm ad ipſam dilectionem referrenda ſunt. quæ quidem opera proximis ipſis differenter à nobis ſunt exhibenda. Et ſi alicubi dixit S. Auguſtinus.* Omnes pariter eſſe diligendos. *ad bonum, quod eis optatur, quod æterna vita eſt; non autem ad effectum, aut affectum paritas referatur.*

*Duo in homine diligenda ſunt, natura, & virtus; vnū odiendum, vitium ſcilicet. Parentes, & filij inquātum mali odiendi ſunt; inimici in quantum homines ſunt, aut aliquā in ſe virtutem continent diligendi; ſic enim proximi rationem habere dicuntur. Vt inimicorum hoc modo dilectio non ſit tantum de conſilio (vt quidam ſenſiſſe viſi ſunt) ſed etiā de præcepto. Charitatis ſunt gradus; ideò (Io. 15.) ait Dominus.*

*minus.* Maiorem charitatem nemo habet; quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. *Charitas naſci, nutriri, roborari, ac perfici à S. Patribus dicitur. Charitas ſemel habita, ſi per mortale peccatum non amittatur, aut per ueniale nõ remittatur, in via ſemper augetur, & tandem in patria perficitur, quòd ocioſa in nobis viatoribus vel dormientibus eſſe non poſſit. In morte nos illa minimè deſerit; ſed permanet nobiſcum in patria; dicente Paulo.* Charitas numquam excidit *Quoniam & ſi charitas in viatore ex parte nunc eſt; omne tamen quod ex parte eſt euacuandum in patria tandem erit. Ex parte enim id eſt imperfectè nunc Deum diligimus; ſicut ex parte (vt ait ſuper Leuitico Eſichius) nunc illum agnoſcimus; nunquam tamẽ iſta dilectio excidet; quia tolletur quod ex parte eſt, & imperfectio; & addetur perfectio. Fides verò, et Spes ad modum ſuperiori capite declaratum euacuabuntur. Scientia ſecundum actum & modum, qui nunc eſt, non ſecundum ſui eſſentiam tolletur. Virtus namque ſcientiæ remanebit; ſed alium multò præſtantiorem vſum tenebit, & modum. De Charitate, qua nos Deum diligimus hactenus. Charitas qua nos diligit Deus, idem eſt quod ipſe Deus. Eadẽ namque dilectione, & ſi non eodem modo Pater, & Filius, & Spiritusſanctus ſe diligunt & nos. Cuius tanta eſt erga nos dilectio, vt vnigenitum ſuum daret pro nobis. Diligit in vnoquoq; noſtrûm, quod ipſe in nobis fecit; odit, quod in nobis nos fecimus,*

*fecimus, peccatum videlicet. Dilectio Dei, & ſi immutabilis eſt, & æterna; quoſdam tamen hominum, vel angelorũ amare magis, quàm alios Deus dicitur; quoniam alios ad maiora bona, & ad meliores vſus, alios ad minora, & ad minus bonos vſus dilexit. quod ex maiori, vel minori diſpoſitione ipſorum, & amoris, atque Dei donorum capacitate prouenire, cum omni pietate putandum eſt; diſpoſitionem autem cuiuſque, & capacitatem ab æterno nouit Deus opt. Max. Secundum efficientiam namque recipit magis & minus Dei dilectio, non ſecundum eſſentiam. Et de tribus virtutibus theologicis, quæ ad ſuperiorem animæ partem attinent; quarum duæ fides & ſpes informes eſſe poſſunt, & cardinalibus quattuor, quæ ſpectant ad inferiorem animæ portionem hoc eſt ad intellectum vt ſenſum dirigere dicitur hucuſque. Sequitur vt de donis Spiritusſancti, quæ ipſarum virtutum perfectiones quædam exiſtunt, diſſeramus.*

## De gratia donorum Spiritusſancti in cõmuni, & præterea de dono intellectus. Cap. XXI.

DONA *Spiritusſancti ſeptem ſunt; quæ in Chriſto fuiſſe ab Iſaia (11. cap.) aſſeritur, cũ inquit.* Egredietur virga de radice Ieſſe; & flos de radice eius aſcendet; & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini,

ni, Spiritus ſapientæ, & intellectus, Spiritus con ſilij, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & replebit eum Spiritu timoris Domini. *Hæc dona virtutes etiam à patribus quandoque dicuntur (vt in primo lib. de Spir ſancto cap. 20. apud D. Ambroſium. Et primo, & ſecundo lib. Moral. apud S. Gregorium videri poteſt) quia ſunt ſeptem prius poſitarum virtutum adiutoria quædam. et perfectiones quod fuſius ex D. Thoma (prima ſecundæ quæſt. 68.) & ex alijs (in 3. diſt 34) declarari poteſt. Cum enim virtus, qua virtus eſt, humano & naturali modo potentiam perficiat in ordine ad opus bonum perficiendum; virtutem autem eleuet atque perficiat gratia: quæ in ipſas virtutes, necnon in ipſa dona (ſic dixerim) ramificatur; dona iſta altiori, præſtantiorique modo potentiam perficere dicuntur ad opus modo ſcilicet ſupernaturali perficiendum. Quoniam dona Spiritusſancti habitus quidam sũt nobiliſſimi a ſolo Deo quemadmodum gratia humanæ animæ miſericorditer infuſi; ſecundum eos propterea homo cum agit, nõ humanæ, ſed diuinæ infallibili regulæ innititur. Sũt enim quidam habitus ad hoc hominem & vires eius perficientes; vt in ſuis ille operationibus promptè ita ſequatur inſtinctum Spiritusſancti; quemadmodum vires appetitiuas perficiunt morales virtutes ad obediendum promptè naturali rationi. In omnibus igitur probi, ac pij hominis animæ viribus, ſiue potentijs, quæ humanorum actuum poſſunt dici principia,*

*pia, ſicut virtutes inſunt; ita & dona, in ipſa ratione videlicet, & in ipſa vi appetitiua: in ratione (inquam) tàm ſpeculatiua, quàm practica: quarum vna veritatem in rebus, altera bonitatem proſequitur. Ad veritatis apprehenſionem ſpeculatiua ratio per ſapientiam, & intellectum perficitur: practica ad bonitatis aſſequutionem per conſilium, & ſcientiam. Appetitiua virtus, in ijs, quæ ad alterum ſunt per pietatem; in ijs quæ ad ſeipſum, per fortitudinem, contra inordinatam coucupiſcentiam per timorem perficitur. Declaramus rem exemplo. per ſingula dona, & per ſingulas virtutes breuiter diſcurrendo.*

*Fides, quia & ſi virtus theologica eſt, modo tamen intellectui noſtro quaſi connaturali humanum ipſum intellectum perficit. (Eſt enim humanus intellectus in orizonte intelligentiæ: & eſt intelligentia, ſic dixerim, obumbrata) fides propterea non excedit prorſus obſcuritatem ænigmatis, ut quamuis intellectus ſit fide illuſtratus; non tamen elicit actũ penitus clarum; ſed ænigmaticum adhuc & obſcurum. Donum autem Spiritusſancti, quod intellectus dicitur, eiuſmodi magna ex parte fidei noſtræ defectum tollit; vt quaſi clariore quadam luce homo cœlitus perfuſus: diuina vtcumq; ſecreta, quamuis viator intimius indubitantiuſque percipiat. Scripſit (2. Cor. 3.) Apoſt.* Nos autẽ reuelata facie gloriã Dñi ſpeculantes, in eandẽ imaginẽ trãsformamur à claritate in claritatẽ, tanquã à Dñi ſpiritu.

De

## De cæteris ſex donis. Cap. XXII.

DONVM *ſapientiæ ſpem adiuuat; quia eſt habitus diuini luminis, cum quadam diuinorum ſecretorum interna ſpiritali deguſtatione; per quam nimirum ſpes ipſa roboratur. Legitur (Sap.6.)* Clara eſt, & quæ nunquam marceſcit ſapientia; & facilè videtur ab ijs, qui diligunt eam.

*Conſilij donum in adiutorium imperfectæ charitatis exhibetur. Etenim per ſupererogatoria opera, (quæ non de præcepto ſunt, ſed de conſilio, ſicut ſunt religio, votum, virginitas, & id genus alia) charitas roboratur, augetur, atq́ magis perficitur; vt per congruum pabulum ignis flammam augeri conſpicimus Apoſt. (1.Cor.7.) inquit* De virginibus præceptum Domini non habeo, cõſilium autem do, tanquam miſericordiam conſecutus à Deo, vt ſim fidelis, &c.

*Fortitudo donum, fortitudinem virtutem cardinalem adiuuat. Etenim & ſi homo per fortitudinem, quæ virtus eſt, iuſta oblata cauſa, morti ſe exponit; hoc tamen vſque adeò cum pleno gaudio abſque dono iſto facere non poteſt: vt illi faciunt, qui dono iſto potiuntur. quod in tormentis ſuis etiã acerbiſſimis, & in crudeliſſimis mortibus, ſanctos martyres feciſſe, vniuerſa teſtatur eccleſia.* Apoſtoli (*Act. 5*) ibãt

gaudentes à conſpectu concilij; quoniam digni habiti ſunt, pro nomine IESV contumeliam pati. *Si (ex lib. 2. Eth cap. 3) obijcias; quia ſignum acquiſiti habitus virtutis eſt facile, & cum delectatione operari; aut ergò nullus erit moraliter fortis; aut ſi aliquis fuerit, mortem ille cum delectatione ſuſtinebit, cuius oppoſitum Paulo ante diximus. Reſpondebo (ex cap. 9. tertij.) Non eſt neceſſe moraliter fortem in operibus fortitudinis delectari; ſed non triſtari ſufficit. inquit loco citato Ariſtoteles.* Fortitudinis finis iucundus eſt; verùm ab euenientibus doloribus offuſcatur. *Item cum dixiſſet, pugilibus victoriã iucunditatis parũ afferre, ſubdit.* Tale & circa fortitudinem eſt. Mors quidem, atq; vulnera forti viro moleſta erunt; feret tamen, quòd honeſtũ eſt ea ferre, vel turpe non ferre. *Et eiuſmodi alia ibi proſequitur. In Prudentiæ auxilium, quæ eſt altera cardinalis virtus, eſt donum ſcientiæ (Prouerb. 9. ſcriptum eſt)* Scientia Sanctorum prudentia. *Prudentia namq; (ex 6. & 7. Eth.) circa agibilia verſatur: cum autem (vt Sap. 9. legitur.)* Cogitationes mortalium timidæ, & incertæ prouidentiæ noſtræ, & difficile æſtimamus quæ in terra ſunt; & quæ in proſpectu ſunt, inuenimus cum labore. *Datur propterea prudentiæ virtuti donum ſcientiæ, vt inter multiplices, & multifarias operationes noſtras, & inter peruerſas nationes, & iniquos homines, cum*

*quibus ſæpius commoramus (vt fecit Sanctus Iob. in terra Hus) malum euitare ſciamus; & bonum proſequi; & ſine crimine viuere, ac conuerſari.*

*Donum pietatis iuſtitiam adiuuat tertiam virtutem; et facit; vt iuſtus mortalis iudex, id eſt omnis homo qui iudicat, non tantum amore virtutis, ſed multò plus vt immortalem iudicem & omnium Dominum imitetur; cuius vniuerſæ viæ miſericordia, & veritas, pietate, & miſericordia iudicium ſuum temperet. (Prou. 20.)* Miſericordia, & veritas cuſtodiunt regem, & roboratur clementia thronus eius. *Timor adiuuat temperantiam. Notandum quòd timor multifariam dicitur, quantum autem ad rem noſtram ſufficit, duplex eſt ſeruilis, & filialis. Seruilis, ſapientiæ initium dicitur (ps. 110.)* Initium ſapientiæ eſt timor Domini. *Et (prou. 1.)* Timor Dei principium ſapientiæ. *Qui namq; poſt errata ſapere incipit; diuino primum timore corripitur, non propter dilectionẽ Dei, quam nondum amat; ſed propter pœnam gehennæ imminentem, quam valde formidat. Filialis timor ex amore eſt erga Deum, quem nos omnium agnoſcimus patrem; quem vel in minimo offendere nollemus; ne tanto patre, vitio noſtro careremus; ne à nobis diſcedat ille, cum quo eſſe ſemper optamus. Seruilis quidem vtilis eſt, qui ad introducendum in animum filialem ita videtur conducere; vt ad filum in calceum, in quo permanet, introducendum, ſeta ipſa conducit.*

*Permanet filialis, eijcitur deniq; ſeruilis* ( *1. Io. 4* ) Perfecta charitas foras mittit timorem. *Hic potiſſimum filialis timor donum eſt Spiritusſancti; qui hominem ad caſtas, & mundas operationes excitat; Vt Deo placeat, & eius matri puriſſimæ, quò beatis tandem aſſocietur. Vnde* ( *Prouerb. 22.*) *legitur.* Finis modeſtiæ timor Domini; diuitiæ, & gloria & vita. *Timor etiam iſte (ps. 18) dicitur.* Sanctus, & permanens in ſeculum ſeculi. *non ille de quo* ( *1. Io. 4.* ) Timor non eſt in Charitate.

## Adhuc nonnulla de donis omnibus. Cap. XXIII.

SANCTVS *Gregorius* ( *lib. 1. Moral. cap. 16.*) *edisſerens illud Iob.* Et ibant filij eius, & faciebant conuiuium per domos, vnuſquisq; in die ſuo. *Cum antea per ſeptem filios dona ſeptem Spiritus Sancti fuiſſet allegoricè interpretatus, inquit.* Filij per domos conuiuium faciunt; dum virtutes ſingulæ, iuxta modum proprium mentes paſcunt. Vndè benè dicitur; vnuſquisq; in die ſuo. Dies enim vniuſcuiusq; filij eſt illuminatio vniuſcuiusq; virtutis; Vt enim hæc ipſa dona breuiter ſeptiformis gratiæ replicem; alium diem habet ſapientia, alium intellectus, alium conſilium, alium forti-

fortitudo, alium ſcientia, alium pietas, alium timor. Neque enim hoc eſt ſapere, quod intelligere; quia multi æterna quidem ſapiunt; ſed intelligere nequaquam poſſunt. Sapientia ergò in die ſuo conuiuium facit; quia mentem de æternorum ſpe, & certitudine reficit. Intellectus in die ſuo conuiuium parat; quia in eo quod audita penetrat, reficiendo cor, tenebras eius illuſtrat. Conſilium in die ſuo conuiuium exhibet; quia dum præcipitem eſſe prohibet, ratione animum replet. Fortitudo in die ſuo conuiuiũ agit; quia dum aduerſa non metuit, trepidanti menti cibos confidentiæ apponit. Scientia in die ſuo cõuiuium parat; quia in ventre mentis ignorantiæ ieiunium ſuperat. Pietas in die ſuo conuiuium exhibet; quia cordis viſcera miſericordiæ operibus replet. Timor in die ſuo conuiuium facit; quia dum premit mentem, ne de præſentibus ſuperbiat, de futuris illam ſpei cibo confortat. *Hæc ille. Inter dona Spiritus ſancti ſapientia ſupremum (vt in litera Iſaiæ patet) timor infimum obtinet locum. Cum autem & ſapientia, & timor homini ad ſalutem neceſſaria ſint; ſequitur, vt media, quæ inter iſta ſunt, dona neceſſaria confiteamur. de ſapientia (Sap. 7.) legitur.* Neminem̃ diligit Deus, niſi eum; qui cum ſapientia inhabitat. *De*

*timore*

*timore autem ( Eccl. primò)habetur.* Timor Domini ex pellit peccatum. Nam qui ſine timore eſt, nõ poterit iuſtificari. *Reſpondent igitur dona ſeptem Spiritus ſancti,ſeptem virtutibus; quarum quattuor cardinales tres theologicæ dictæ ſunt; theologicas tres illas appellamus, non ſolum quòd diuinæ gratiæ rami quidam nobiliſſimi eſſe dicuntur,aut quod tantũ à theologo illæ conſiderentur; ſed multo magis quòd Deum vt proprium obiectum tantum reſpiciant. Quippe habitus omnis,cuius principale obiectum eſt Deus ſine bonum diuinum & ſupernaturale, habitus theologicus cenſetur.*

## De Beatitudinibus. Cap. XXIIII.

NON *omittam patres præter virtutes ſeptem, & dona ſeptem Spiritusſancti,beatitudines octo enumerare; quæ enumeratarum ſeptem virtutum actus perfectiſſimi sũt ſecundum ſeptem dona Spiritusſancti eliciti; quas beatitudines (Matth.5) prædicat Dominus inquiens.* 1. Beati pauperes ſpiritu; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. 2. Beati mites; quoniam ipſi poſsidebunt terram. 3. Beati qui lugent; quoniam ipſi conſolabuntur. 4. Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiã; quoniam ipſi ſaturabuntur. 5 Beati miſericordes; quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. 6.

Beati mundo corde; quoniam ipſi Deum videbunt. 7. Beati pacifici; quoniam filij Dei vocabuntur. 8. Beati qui perſeqnutionem patiuntur propter iuſtitiam; quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum. *Paupertas, mititas, luctus, eſuries iuſtitiæ, miſericordia, cordis mundicia, pax, & patientia beatitudines ſunt in ſpe, & in via. Sunt enim veluti flores, & erumpentes gemmæ, perfectioneſq; virtutum atq; donorum de quibus diximus. Quippe ad perfectionis noſtræ integritatem, perfectus receſſus à malo, perfectus proceſſus ad bonum, & perfectus ſtatus in bono de neceſſitate requiritur. A malo id eſt à mala concupiſcentia, & à ſuperbia perfectè recedimus, paupertate ſpiritus, luctu, ac mititate. mititatem autem in maledictionibus, & perſequutionibus perferendis patientia comitatur. Ad bonum perfectè procedimus, quatenus Deum potiſſimum imitamur; cuius viæ vniuerſæ (ps. 24) miſericordia, & veritas. per miſericordiam igitur ad bonum perfectè tendimus.* In *bono per cordis mundiciam, & pacem, perfectè ſtamus, & conquieſcimus. Dona ſeptem ad beatitudines diſpoſitiones aliquæ ſunt. Timor diſponit ad paupertatē ſpiritus, pietas ad mititatem, ſcientia ad luctum (quia ad notitiam propriæ miſeriæ ille qui ſciens eſt peruenit) fortitudo ad eſuriem, & ſitim iuſtitiæ. (iuſto quippe homine nihil potentius) conſilium ad miſericordiā (ad eam in Euangelio conſuluit nos ſemper dominus.)* Intellectus *ad cordis*

mundiciam

*mundiciam ( nihil ſane cor noſtrum magis emundat, quàm veritatis cognitio ) Sapientia ad pacem. Illa nempè Deo nos iungit; in quo vno ſumma noſtra tranquillitas collocata exiſtit. Ex ijs quæ dicta ſunt, manifeſtum eſt, inter virtutes ſeptem, dona Spiritusſancti ſeptem, & beatitudines ſeptem, ( ſeptem, inquam, beatitudines, quoniam perſequutionem ſiue patientiam cum mititate coniunximus. ) quàm arctiſsimus nexus exiſtat: & quàm concinnas, laudabiles, ac Deo gratas perfectasq; operationes noſtras chorus iſte illuſtriſsimus, atq; ſanctiſsimus reddat. Sequitur, vt, qui ab eis producuntur, ſuauiſsimos fructus colligamus.*

## De fructibus. Cap. XXV.

EX *ſeptenario virtutum, donorum, & beatitudinum numero, quæ omnia diuinæ gratiæ ſunt, quibus operis noſtri perfectio reſultat, delicatiſsimi fructus colliguntur. Sunt autem fructus duodecim Spiritusſancti: qui ſunt iucunditates quædam & delectationes eximiæ, quibus, dum in hac lachrymarum valle detinetur, inter tot huius ſeculi aduerſa, paradiſi delicijs, quodammodo ipſe homo frui dicitur. Hos fructus ( Gal. 5 ) Apoſtolus enumerat, inquiens.* Fructus autem ſpiritus eſt, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. *de*

*quibus alibi fuſius. Nunc autem tantum dicimus ex ſeptenario uumero ( quod lib. 15. Ciu. cap. 20. notauit S. Auguſtinus ) oriri duodenarium, ſiue tria in quattuor, ſiue quattuor in tria, quæ ſunt partes ſeptenarij deduxeris: fructus duodecim ad hũc quaſi modũ ex ſeptẽ virtutibus, et ex ſeptẽ donis Spiritusſancti, & ex beatitudinibus ſeptẽ oriri dicere poſſumus. Duodenarij numeri, qui in patriarcharũ Apoſtolorum, ſedium iudicantium, & aliarum præclariſſimarum rerum numero in ſancta Scriptura inſignis eſt, ſacramentum magnum eſt. Et (vt in ps. 49. ait S. Auguſtinus) myſterium eſt vniuerſalis cuiuſdam exuberantiæ iucũditatis Chriſtianæ; & confeſſionis ſanctiſſimæ Trinitatis per quattuor mundi partes, ortum, occaſum, meridiem, et ſeptentrionem: non autem, quòd tam exiguo numero duodenario fructus ſpirituales vniuerſi complexi ſint: cum ſint innumeri, & vbique terrarum in pijs hominibus vberrimè profuſi. de quibus Apoc. vlt.* In medio plateæ eius, & ex vtraq; parte fluminis, lignum vitæ, afferens fructus duodecim. &c. *Vniuerſi igitur profectus noſtri radix eſt Deus, caudex eſt gratia, rami ſunt virtutes, dona Spir. ſancti ſint veluti folia ornamenta ramorum, flores ſint beatitudines, beatitudinum fructus ſunt innumera illa; quibus homo verè pius, & Chriſtianus perfruitur, & de hijs hactenus.*

## De gratia gratis data. Cap. XXVI.

*DICTVM eſt de ſeptem virtutibus, necnon de ſeptem donis Spiritusſancti, ipſarum virtutum auxiliarijs, ex quibus ſeptem beatitudines pullulant, & fructus innumeri; quæ omnia diuinæ gratiæ poſſunt appellari. Quoniam (vt in 3. diſt. 27. dixit S. Thomas) nulla infuſa virtus eſt virtus ſine gratia (quamuis à qualibet virtute gratia eſſentialiter differt) ſequitur; vt de gratia ipſa poſt ipſas virtutes et dona compendioſè dicamus. Multis modis dicitur gratia (ut ex ſanctis doctoribus facilè quiuis colligere poteſt) cæteris omiſſis dicimus gratiam duplicem eſſe. Vna quæ gratis data, altera quæ gratum faciens dicitur; non quia iſta quam gratũ faciẽtẽ dicimus non ſit gratis data (quippè niſi gratis data eſſet, gratia non eſſet) ſed quia illa caruit nomine proprio, appropriatum eſt illi nomen generis. Conueniunt inter ſe duæ iſtæ gratiæ, quoniam vtraq; & naturæ facultatem, & perſonæ meritum excedit. Et ideò à Deo vtraq; nobis gratis donatur. Diſtant verò inter ſe quòd vna ad alteram ſit ordinata, gratis data videlicet ad gratum facientem: quoniam iſta immediatè ordinatur in Deum, illa verò per medium huius. Gratia namque gratis data ad hoc homini à Deo datur; vt homo ille, cui datur, vel ſibi ipſi, vel alteri homini ad ſuam conuerſionem, & ſalutem cooperetur, hoc eſt vt gratiam*

gratum

*gratum facientem ille aſſequatur* ( *1. Cor. 12.* ) Vnicuiq; datur manifeſtatio ſpiritus ad vtilitatem. *Gratiæ gratis datæ nouem ab Apoſtolo ( in priore ad Cor. cap. 12 ) numerantur, quæ ſunt. Sermo ſapientiæ, ſermo ſcientiæ, fides, gratia ſanitatum, operatio virtutum, prophetia, diſcretio ſpirituũ, genera linguarum, & interpretatio ſermonum. Cũ enim (vt dictum eſt) idcircò à Deo gratia gratis data, cuipiam exhibeatur, vt vel ſibi, vel homini alteri ad ſalutem ille cooperetur; hoc autem non niſi docendo, & ſuadendo facere poſsit; neceſſariæ ſunt in eo, qui in doctrina catholica ſeipſum vel alios inſtruere debet, gratiæ iſtæ vel omnes, vel plures. Etenim qui aliquem in aliqua ſcieniia, vt in ſecularibus literis more humano inſtruere voluerit; opus eſt primò, vt principia illius ſcientiæ teneat; ſecundò vt concluſiones, quæ ex illis principijs colliguntur; tertiò vt abundet exemplis, & effectibus; per quos pandat, cum opus fuerit, cauſas; abundet etiam argumentis, per quæ propoſitum confirmet; et alia id genus multa alios docturus poſsideat neceſſum eſt. Ad conſimilem modum ſe habere opus eſt diuinæ ſcientiæ doctorem.* Fides *eſt gratia gratis data, per quam catholicæ doctrinæ principia ſunt certiſsima.* Sermo ſapientiæ *eſt gratia, per quam concluſiones principales tenentur.* Sermo ſcientię *eſt gratia, per quam ab effectibus quandoq; opus eſt cauſas manifeſtare quoquo modo.* Gratia ſanitatum *catholico doctori quandoq; eſt neceſſaria; cum videlicet ad confir-*

*mandam catholicam doctrinam opus eſt opere miraculoſo: vt claudum ex vtero matris ſanauit Petrus (Act. 3.)* Operatio virtutum *aliquando ſimiliter neceſſaria eſt; vt quãdo Moyſes (exod. 14) mare diuiſit. Et (Ioſ. 10.) Ioſue ſolem et lunam firmauit: quibus diuina per eos poteſtas manifeſtata eſt.* Prophetia *ad docendum doctori catholico vtilis eſt: per eam rerum omnium etiam futurarum, & contingentium diuina in eo notitia declaratur: quod apud diſcipulos præceptori fidem maximam facit.* Diſcretio ſpirituum, *per quam occulta cordis à ſanctis viris dignoſcũtur; ad aliorum ſalutem quandoque plurimum facit.* Genera linguarum *ad doctrinam catholicam pronunciandam, explicandam, & prædicandam ſæpius ſunt neceſſaria (Act. 2.)* Conuenit multitudo, & mente confuſa eſt; quoniam audiebat vnuſquiſq; lingua ſua illos loquentes. Interpr[æ]tatio ſermonum. *ad exponendum loca difficiliora, vt de Epiſtolis B. Pauli (in poſter. cap. 3.) ſcribit S. Petrus.* In quibus ſunt quædam difficilia intellectu. &c. *Et Paulus (1. Cor. 14.)* Qui loquitur lingua, oret, vt interpretetur, *id eſt oret, vt intelligat mente, quod ore loquitur. Nouenario autem numero gratiæ gratis datæ ab Apoſtolo deſcribuntur; non quia nouẽ tantum illæ ſint, cum fermè ſint innumeræ; ſed quia imperfectæ ſunt: quemadmodum numerus nouenarius (vt lib. 2. quæſt. euangelicarum cap. 40. declarauit S. Auguſtinus)*

*nus) imperfectus eſt, cui ſi vnitas addatur, euadit numerus denarius, qui perfectus exiſtit. Ad ſimilem modum addatur gratiæ gratis datæ vna charitas, euadet gratia perfecta; cũ ad eam illa ordinata ſit, & propter eam exhibeatur. Et de gratia gratis data hactenus. illo addito. quod eiuſmodi gratia ſimul cum mortali peccato ſtare poteſt, vt Balaam, & Caiphæ exemplo notum eſſe poteſt.*

## De gratia gratum faciente. Cap. XXVII.

GRATIA *gratum faciens idcircò gratum faciens à patribus appellata eſt: quia gratum facit primo hominẽ deinde opera hominis ipſi Deo (Gen. 4.) legitur* Reſpexit dñs ad Ahel & ad munera eius, *Ad ahel prius deinde ad eius munera. Gratum facit hominem; quia remouet ab homine vniuerſam diſſidij cauſam, quæ eſt inter Deum & hominem; quæ alia non eſt, quàm peccatum. Iſta diuiditur in præuenientem & ſubſequentem. legitur (ps. 58)* Miſericordia eius præueniet me. *Et (ps. 22)* Miſericordia tua ſubſequetur me. *Diuiditur etiam in operantem & cooperantem. S. Auguſtinus (lib. de Gratia & lib. arb. cap. 19.) inquit.* Cooperando Deus in nobis perficit; quod operando incipit. *Ad quarum diſtinctionum intelligentiam eſt ſciendum; quód Gratia (loquimur autem de gratia gratum faciente) bifariam ſumi poteſt, tum pro*

*pro qualitate & habitu nobis diuinitus exhibito, & in animabus noſtris infuſo* (*Rom. 5.*) Gratia Dei diffuſa eſt in cordibus noſtris &c. *tum pro diuino auxilio ad volendum bene, & bene agendum, homini collato. Et vtroq; modo poteſt præueniens & ſubſequens operans & cooperans gratia appellari. Etenim quatenus Deus mentem noſtram ſolus, & liberum arbitrium noſtrum ad bonum mouet; Gratia operans, & gratia præueniens dicitur. Vt verò & Deus, et liberum arbitrium noſtrum ſimul hominem mouent, vel melius, vt gratiam homo ſequitur ad effectum, & ad operationem aliquam bonam, & gratia ſubſequens dicitur, & gratia cooperans, ſecundum quam* (*1. Cor. 15.*) *Apoſtolus inquit.* Abundantius illis omnibus laboraui; nō ego autem; ſed gratia Dei mecum. *Eſt enim duplex actus voluntatis, primus videlicet, quo bonum ſupernaturale internè volumus; & ſecundum, quo bonum ſupernaturale, & meritorium extrinſecus operamur; primus eſt à gratia præueniente, & operante; ſecundus à ſubſequente & cooperante. Ita* (*loco ante ex lib. de liber arbitr. citato*) *ſubdit Auguſtinus.* Ipſe, vt velimus, operatur incipiens; qui volentibus cooperatur perficiens. Vt autem velimus, operatur; cum autem volumus, vt perficiamus, nobis cooperatur. *Similiter & habitualis gratia, ſiue gratia illa quæ habitus dicitur, illa videlicet, quæ animæ infuſa à Deo eſt; inquantum animam ſanat, & peccatorē iuſti-*

*iuſtificat, gratia operans dicitur; inquantum verò eſt operis meritorij principium, quod ex libero etiam arbitrio noſtro gratiam inſequente procedit; gratia cooperans appellatur. Quinque effectus quodam ordine ſe habentes operatur in nobis gratia gratum faciens. Unus ſanat animam. Alter mouet illam, vt bonum velit. Tertius adiuuat, vt bonũ operetur, quod velit. Quartus adiuuat, vt in bono opere cœpto perſeueret. Quintus ducit illam ad gloriam. Exhibetur enim nobis idcirco gratia; vt per eam tendamus ad gloriam. primus & ſecundus effectus ſunt operantis gratiæ; reliqui ſunt cooperantis. Rurſum primus & ſecundus effectus ſunt gratiæ præuenientis; reliqui ſubſequentis. Item quinque numeratorũ gratiæ effectuum effectus prior reſpectu poſterioris dici poteſt effectus gratiæ præuenientis, poſterior autem reſpectu prioris effectus gratiæ ſubſequentis; vt primum reſpectu ſecundi, & ſecundum reſpectu tertij, & ita ſucceßiue ſe habere, dicere poſſumus. Operans enim gratia eſt, quæ præuenit voluntatem hominis bonam. Ea namque liberatur homo à peccato, & per eam hominis voluntas, vt bonum efficaciter velit præparari dicitur, cooperans verò gratia uoluntatem bonam comitatur adiuuando; quia voluntas noſtra nihil boni agit, niſi diuinitus adiuuetur. Hominis voluntatem bonã Deus præuenit, & præparat adiuuandam; comitatur, & adiuuat præparatam. Nolentem præuenit, vt velit; volentem ſubſequitur, ne fruſtra velit.*

## An Charitas diſtinguatur à gratia gratum faciente. Cap. XXVIII.

*DVBITARI hoc loco piè quis poterit. An gratia gratum faciens à charitate diſtincta ſit; videtur autem minime diſtincta, cum de ea (2. Pet. 4.) ſcriptum ſit.* Charitas operit multitudinem peccatorum. *Et (Prou. 10.)* Vniuerſa delicta operit charitas. *Hic effectus qui eſt peccatorum multitudinem, vel peccata vniuerſa operire eſt etiam gratiæ gratum facientis effectus, ſicut eſt charitas; ſi idem effectus, igitur eadem cauſa.*

*Fuerunt (quod S. Thom. prima ſecundæ quæſt. 110. ar. 3. notauit) qui dixerint; idem eſſe ſecundum eſſentiam, gratiam & charitatem; differre verò ſolum ſecundum rationem; vt ea ratione dicatur gratia, qua gratis datur, & qua Deo gratũ hominem facit, & eidem illius opera grata reddit; virtus autem ſiue charitas vocetur, qua mentem, & voluntatem ad bene, & meritoriè operandum perficere dicitur.*

*Communior opinio eſt, quód non ratione tantum, ſed realiter etiam inter ſe differant charitas, & gratia. quod à D. Thoma (vbi ſupra) ſapienter, & doctè hoc modo probatur. Virtus naturam ſupponit cuius eſt virtus (non ſupponeret autem, niſi ab ea realiter eſſet diſtincta.) Adde, diſpoſitio na-*

*turam*

*turam ſupponit, cuius eſt diſpoſitio, charitas eſt diſpoſitio, et virtus animæ quatenus iam gratia habituata eſt, non autem quatenus in puris naturalibus exiſtit. Quod ſic oſtenditur. Quemadmodum acquiſitæ morales virtutes, diſpoſitiones ſunt; quibus in ordine ad naturam id eſt ad naturales operationes conuenienter homo diſponitur, atque operatur: ita virtutes infuſæ diſpoſitiones ſunt; quibus homo ipſe diſponitur in ordine ad altiorem naturam, hoc eſt ad naturam diuinam participatam, ſiue ad operationes diuinam naturam participantes; eaſque operatur. Sed hæc diuina natura participata, nihil eſt aliud, quàm ipſa gratia. ( 2. Pet. 1.) legitur.* Maxima, & præcioſa nobis promiſſa donauit; vt per hoc efficiamini diuinæ conſortes naturæ.

*Adde, ſicut lumen naturale rationis eſt quid præter acquiſitas virtutes; quæ ordinem habent ad ipſam naturalem rationem; ita ſupernaturale lumen gratiæ, quod eſt (ex verbis D. Petri citatis) participatio diuinæ naturæ, erit quid præter virtutes infuſas, quæ ad ipſam ſupernaturalem rationem diriguntur, atque ordinantur ( Ad Eph. 5.)* Eratis aliquãdo tenebræ; nunc autem lux in Domino, vt filij lucis ambulate.

*Confirmatur ratio. Quoniam ſicut virtutes acquiſitæ perficiunt hominem ad ambulandum, & viuendum, vt congruit lumini naturali rationis; ita infuſæ ad ambulandum, & operandum, vt congruit lumini gratiæ, quòd lumen ſu-*

*pernaturale rationis dicitur. Quamobrem virtutem charitatis in anima omninò præcedit gratia, natura ſaltem ſi nõ tempore: vt idem eſſe realiter charitatem & gratiam ſit impoſſibile. Gratia primo in eſſentia animæ recipitur; & per eam in illius potentias redundat: quod illo probari poteſt; quo dicimur, per gratiam in filios Dei regenerari. Generatio autē ad eſſentiam prius, quàm ad potentiam terminatur. Nam quemadmodum forma ſubſtantialis dat rei eſſe primum naturale; ſic gratia dat eſſe primum ſupernaturale homini; charitas contrà primo potentiam & voluntatem perficit, ad operandum bonum ſupernaturale, & meritorium: & per eam in animæ eſſentiam redundare dicitur. Quapropter gratia charitatem concernit tanquam virtutem à ſe realiter diſferentem: qua mediante in ſupernaturalem operationem anima ipſa, ſiue homo per animam excitatur atque eleuatur.*

## Tollitur in dictis dubitatio. Cap. XXIX.

*SI obijcias. Fides infuſa quæ virtus intellectus eſt, manet, deſtructa gratia; cum informis fides eſſe poßit; non igitur ex gratia pullulat virtus infuſa. Ego dicerem (ſeruata erga patres omnes, omni reuerentia) quòd ſicut charitate deſtructa nõ remanet fides, niſi informis, ita non remanet fides niſi naturalis, deſtructa gratia. non autem fides virtus theologica & infuſa remanet, quòd ex gratia (vt in ſuperioribus dictū eſt)*

eſt) fides, ſpes, charitas, & virtutes omnes infuſæ pullulent, quas charitas informat. eas igitur gratia præcedit, ſi nō tempore, natura ſaltem, & origine: ſicut eſſentia animæ ſuas naturales potentias natura, & origine præcedere dicitur. At replicabis fides quæ charitate deſtructa permanere dicitur, videtur poſſe eſſe principium operis meritorij, quia remanere videtur gratia, cum à charitate diſtinguatur illa realiter, & charitatem præcedat: Sequitur ergò vt ſi homo quiſpiam, quem ſine charitate habere gratiam, & fidem dixerimus in tali ſtatu deceſſerit, & damnabitur, quia ſine charitate eſt; & ſaluabitur: quia eſt & moritur in gratia. Propter hoc argumentum tenuerunt (vt diximus) aliqui gratiā & charitatem idem eſſe realiter, & ſecundum eſſentiam, quòd ſi non idem eſſent, tunc poſſent ſaltem per diuinam potentiam ſeparari, & eſſe gratiam ſine charitate, & charitatem ſine gratia; & ita idem homo (vt arguebatur) & dānari ſimul & ſaluari poterit. Dicendum, quòd & ſi inuicem realiter diſtinguuntur, & ſecundum eſſentiam gratia, & charitas, non poſſunt tamen gratia gratum faciens, et charitas per potentiam aliquam ſeparari. Quemadmodum figura, quæ eſt ſpecies qualitatis, non poteſt ſeparari, & eſſe ſine linea: quæ quantitatis ſpecies eſt; & tamen quantitas, & qualitas ab inuicem realiter, & ſecundum eſſentiam diſtinctæ ſunt. Gratia itaque gratum faciens, & ſi ſecundum eſſentiam alia eſt à charitate, & prior illa; non poteſt tamen

*à charitate ſimpliciter ſeparari, ſed tantum per intellectum & per eſſentiam.*

*Adde, quòd ſine merito aliquo (quod opus aliquod eſt) non eſt ſalus: opus autem actus ſecundus eſt, qui gratiæ effectus ſimul & charitatis eſt, non autem gratiæ tantum, quæ eſt actus primus, reſpectu charitatis, vt eſſentia reſpectu potentiæ, dicitur tamen charitas gratia, quia non eſt charitas ſine grâtia gratum faciente, ſicut volũtas ſæpe dicitur anima: quia ſine anima eſſe voluntas non poteſt. charitas eſt forma, perfectio, virtus, & complementum gratiæ: & per cõſequentiam virtutum omnium, quia earum radix gratia eſſe dicitur. Charitas namque facit animam ſponſam Chriſti, filiam patris æterni, & templum Spiritusſancti.*

## An eiuſdem virtutis ſint plures habitus. Cap. XXX.

*EST alia dubitatio. Quoniam eiuſdem virtutis vt puta temperantiæ non poſſunt eſſe duo habitus in eodem ſubiecto, (duo namque accidentia realia ſolo numero differentia in eodem ſubiecto eſſe non poſſunt) habitus autem moralis virtutis acquiſitus vt temperantiæ & habitus eiuſdem virtutis infuſus, non erunt duo habitus, ſed vnus, quod penitus eſt abſurdum. Aſſerri poſſunt ad dubitationem iſtam plures reſponſiones. Vna, quòd habitus illi non ſunt numero*

tantum,

*tantum, ſed ſpecie etiam diſtincti; quia actus eorum ſunt ſpecie id eſt formaliter diſtincti, imò etiam et obiectum eorum. Actus quidem quòd vnus meritorius ſit, qui eſt ab habitu infuſo, ſi charitate formatus fuerit, alter verò non. Obiectum ſimiliter vnius eſt bonum naturale, alterius vero ſupernaturale, & diuinum. Altera, quód habitus infuſus, ſi acquiſitum inuenerit, abſorbet illum; quia infuſus eſt perfectio acquiſiti, & eſt veluti forma illius; ita vt tantum ſit vnus habitus; qui ex acquiſito & infuſo, tanquam ex materia et forma ſiue ex perfecto & imperfecto coaleſcat. Exemplum, ſi vegetatiuæ animæ ſuperueniat in embrione ſenſitiua hæc illam abſorbebit: quód in hac illa contineatur, vt trigonum in tetragono; & vna tantum anima erit. Tertia quód acquiſitus eſſe poteſt in ſenſitiua parte, infuſus autem omnis in intellectiua, vel in ipſa voluntate; quæ appetitus intellectus dicitur; quæ charitate informata imperat ſenſitiuæ; vt ad ſupernaturalem finem, & ad ipſum Deum dirigat actus ſuos; vt in eodē ſubiecto primo non ſint iſti habitus; ſed in ſubiectis diſtinctis.*

## A Chriſto gratia. Cap. XXXI.

D*Ominus noſter* IESVS CHRISTVS, *qui (vt antè dictum eſt) homo ſimul & Deus eſt, auctor eſt (vt prius diximus) omnis gratiæ et gratis datæ et gratum facientis. Eſt enim omnis gratiæ & effector, et finis, quòd ab eo ſit*

*omnis*

*omnis gratia, & per eum, & ad eum. Quoniam autem Deus eſt, auctor illius eſt propria auctoritate, & poteſtate (Deo namq; ideſt patri, filio, & Spirituiſancto iſtud proprium eſt) Quoniã rurſus homo eſt, diuinitati in vnitate ſuppoſiti coniũctus, caput eſt corporis illius myſtici, quod à cunctis S. Patribus, et in primis ab Apoſtolo Eccleſia nuncupatur (Rom. 12)* Sicut in vno corpore multa mẽbra habemus. &c. *Et* Multi vnũ corpus ſumus in Xp̃o. *Et (1. Cor. 11.)* Omnis viri caput Chriſtus eſt. *ab eo propterea ſpiritalis vita cuiuslibet hominis pij, ac chriſtiani ita deriuat, quemadmodum à capite in membra deriuant ſenſus, & vita naturalis. Sunt autem ipſi pij fideles inuicẽ membra; ut ad quẽ modum (ſicut dictũ eſt) à capite in quo uigent ſenſus omnes, per omnia membra uirtus ſenſitiua, & motus diffunditur: ita à Chriſto fidelium omniũ vita ſpiritualis, & motus ſiue operatio meritoria deriuare neceſſarium ſit. Habet enim Chriſtus in ſe virtutẽ, de qua (Coloſſ. 2.) inquit Apoſt.* Quia in ipſo habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter. *per quam membris ſuis omnibus gratiam influat (Io. 1.)* Vidimus eum plenũ gratiæ & veritatis: & de plenitudine eius nos omnes accepimus. *Et Apoſt. (vbi ſupra)* Et eſtis in illo repleti &c. *Si dicas, cor infundit vitã, & ſenſum capiti, igitur Chriſtus Eccleſiæ caput ab alio recipit gratiã. Dictũ eſt, Chriſtũ, inquantũ Deus eſt, propria auctoritate dare gratiã: eundẽ inquantũ homo eam à*

*Deo*

*Deo recipere nunc dicimus, et in membra ſua illã diffundere, quoniã (vt ait Apoſt.)* Caput Chriſti Deus eſt. *A capite autẽ corporali membris ſenſus demandatur; à ſpirituali igitur & myſtico capite membris, id eſt fidelibus, qui corpus myſticũ ſunt, demandatur gratia. Tria videntur eſſe à quibus, & per quæ homini contingit gratia. Deus, Chriſtus, & Sacramentũ; cum ſacramento autem miniſtrũ intelligas. A Deo gratia eſt, tanquã à ſuo auctore. A Chriſto homine diuinitati coniuncto, tanquam ab inſtrumento principali ſuo auctori vnito. A ſacramento, & miniſtro tanquã ab inſtrumento ſecundario, et ab auctore ſeparato. exemplum ad clauum figendũ eſt artifex, manus, & malleus. artifex eſt principale agens, manus inſtrumentum eſt vnitum artifici; malleus inſtrumentũ ſeparatum ſecundum ſe eſt, vnitũ autem in vſu tãtũ. Ad gratiã exhibendã Deus artifex eſt; Chriſtus homo manus; Sacramentum & miniſter malleus. Sed hoc loco vnum notaſſe operæ precium fuerit, quod eſt. Cum homini exhibetur gratia, duo fiunt. Vnum eſt, gratiæ creatio, alterum eſt, illius, cui exhibetur gratia, immutatio quædam, quia de iniuſto fit iuſtus, & de impio pius. Ad primũ nihil facit creatura, ſiue ſacerdos, ſiue ſacramentum, quòd creationis virtus infinita, & diuina vni Deo propria ſit. Ad ſecundum, & ad ipſam creaturæ immutationem, creatura, vt ſacramentum, & miniſter per ſacramentum, aliquid facere poteſt; præſertim autẽ anima Chriſti; vt inſtrumentũ verbo*

*& Deitati coniunctum: quia talis immutatio à Deo eſt me diante humanitate Chriſti. Hoc enim non eſt communicari potentiam creandi ipſi creaturæ; ſed potentiam inſtrumentaliter immutandi. Hac autem immutandi potentia, qua ho mo nonniſi inſtrumentaliter, & ſacramento medio vti poteſt: Chriſtus homo ſine ſacramentis vſus eſt. vt cum (Mat th. 9.) dixit paralytico.* Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. *Et phariſæo de Magdalena (Luc. 7.) inquit.* Remittuntur ei peccata multa; quoniam dilexit multum. *Et Latroni (Luc. 23.)* Hodie mecũ eris in paradiſo. *Eccleſiæ autem miniſter non mouet, aut immutat ſubiectum ad gratiam ſine ſacramento; quod quidem ſacramentum nõ immutat, niſi vt eſt humanitatis Chri ſti inſtrumentum; quemadmodum clauum non figit malleus, niſi vt ipſius manus inſtrumentum efficitur. Quoniam ex latere Chriſti in cruce dormientis fluxerunt ipſa ſacramenta; conſequens eſt, vt omnis virtus ſacramenti ita ſit à Chriſto: vt omnis virtus mallei à manu eſt. Ab eo igitur emanat omnis gratia ſacramentalis, & omnis gratia, quæ virtutum, donorum, beatitudinum, atque fructuum gratia dicitur. De gratia virtutum, donorum, beatitudinem, & fructuum dictum eſt; ſequitur, vt de gratia, quæ per ſacra mentũ habetur, dicamus, hoc eſt de ipſis ſacramentis; à quibus omnis ſacramentalis gratia ſuo modo proficiſcitur, de ſa cramentis igitur libro ſequenti diſſeremus.*

Finis Libri Tertij.

# PROMPTVARII THEOLOGICI, IVLII CARRARII SYRENII, De Brixia Hieronymiani.

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

## Liber Quartus.

*IN QVO DE SACRAMENTIS BAPTISMO*, CONFIRMATIONE, EVCHARISTIA, & Pœnitentia.

### De Sacramentis in vniuerſali. CAP. I.

*DE Sacramentis breuiſſimè dicturus primùm de omnibus in vniuerſali nõnulla, deinde de ſingulis in particulari pauca diſſeremus. In vniuerſali dicendum primò eſt, quid ſit ſacramentum, ſecundò quorſum inſtitutũ eſt, vltimo ſacramentorum noui & veteris teſtamenti diſtantiam exponemus. Sacramentum modo communiſſimo, &*

*per quandam nominis expoſitionem ſiue ethymologiam diffi nitur:* quod ſit ſacræ rei ſignum. *Sacrum nunc dicatur; quidquid ad Deum, qui eſt Sanctus ſanctorum, ſecundum aliquam noſtræ ſāctificationis ſignificationem refertur, quaſi rem dixeris Deo dicatam. hoc modo innumera ſunt ſacramenta, quia innumera ſunt, & quæ Deo dicata ſunt, & quæ nobis Deum & noſtram à Deo peccatorum expiationem, & ſanctificationem aliquo modo ſignificant, indicantq́, perſonæ, loca, tempora, res innumeræ. quin potius res cunctæ, voces quædam ſunt, Deum ipſum nobis ſignificantes, & ad ipſum colendum nos excitantes. Signum ab Auguſtino lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 1: ita deſcribitur.* Signum eſt, quod præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, facit aliquid aliud in cognitionem venire. *Eſt autem ſignum multiplex, rememoratiuum, quod eſt de præterito; prognoſticum, quod eſt de futuro; demonſtratiuum, quod eſt de præsētı. Et quia Apoſtolus (Rom. 1.) inquit.* Inuiſibilia Dei, per ea quæ facta ſunt à creatura mundi intel lecta cōſpiciūtur, ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. *Sequitur, rem quamlibet eſſe quoquomodo ſacramentum; quia vnaqueque eſt aliquod diuinitatis, vnde noſtra ſanctificatio pendet, indicium ſiue ſignum. Sed proprius loquendo, ſignum res ſacra dicitur, quæ modo aliquo ſpeciali, & ad diuinum cultum, & ad noſtram ſanctificationem faciat: vt ſunt ſuo modo in lege veteri circunciſio, oblationes,*

*ſacri-*

*ſacrificia, ad expiationem peccatorum, & ad reconciliandã diuinam gratiam, ut erat hoſtia pacificorum, & alia antiquitatis ſacramenta multa. Iſta ſacramenti diffinitio ſacramentis omnibus conuenit vet. & nou. legis. Sunt enim omnia ſignum rei ſacræ: inquantum videlicet tum Dei cultũ, tum hominis ſanctificationem aliquam ſuo modo ſignificant. Cuius ſanctificationis ſacramenta veteris legis ſigna erant: tãtùm: quòd non ex opere operato ſanctificarent. At ſacramenta nouæ legis non tantum ex operante ſanctificant, ſed ex operato etiam; vnde ſigna propius ſunt rei ſacræ: quoniã quod figurant, efficiunt: & reuera (niſi aliunde impediantur) nos iuſtificant, atque ſanctificant: quia ad gratiam ſuo modo effectiue concurrunt. Quamobrem altera de ſacramento (lib. 10. de Ciu. cap. 5.) traditur ijs verbis à B. Auguſtino diffinitio.* Sacrificium viſibile eſt inuiſibilis ſacrificij ſacramentum; id eſt ſacrum ſignum. *Ex quibus, duas de ſacramento patres ſumpſerunt diffinitiones. Vnam, de qua diximus.* Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum. *alteram* Sacramentũ eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. *dicitur* [ inuiſibilis gratię ] *quia gratia, cum ſpiritualis ſit, ſub aliquo ſenſu non cadit: & ipſa dicitur effectus ſiue res ſacramenti. dicitur* [ viſibilis forma. ] *quia eſt signum ſenſibile. ſiue hoc ſit elementum, vt aqua, oleum, vinum, panis, & eiuſmodi; ſiue ſit verbum, vt Sanctiſſ. Trinitatis inuocatio, & præſcriptorum verborũ*

 *pronun-*

*pronunciatio, ſiue vtrumq́, id eſt verbi pronunciatio cum elemento, & congruenti actione, vt manuum eleuatione, capitis inclinatione, & eiuſmodi cum oratione, & præſcripta verba Deo effundimus, & ſacramenta adminiſtramus; ſiue ipſe ſacramentorum vſus, ſiue etiam omnia ſimul, de qua re in ſequentibus. Et licet ſacramentis tantum noui teſtamenti cõuenit data diffinitio; quòd ſint iſta tantum signum & forma inuiſibilis gratiæ; cum illam ſola & ſignent, & efficiant; Magiſter tamen, quaſi diffinitionem expoſiturus, addere voluit verba quædam; quibus, nouæ legis ſacramentis tantum diffinitionem conuenire, euidentius demouſtraret. Et inquit.* Sacramentum propriè dicitur, quod ita ſignum eſt gratiæ Dei, & inuiſibilis gratiæ forma; vt ipſius imaginem gerat, & cauſa exiſtat.

## Sacramentorum vſus. Cap. II.

INSTITVTA *ſunt nouæ legis ſacramenta ad noſtram vtilitatem vniuerſa, quoniam ad humiliationem, eruditionem, & exercitium noſtrum, quæ ad finem eundem tendunt omnia; qui eſt ſanctificatio noſtra; ad quam potiſſimũ ſunt inſtituta. Ad humiliationem quidem, vt inſenſibilibus & inanimatis rebus, quæ omnes infra hominem ſunt; & ipſis denique elementis, quæ inter corpora naturalia extremũ, ac infimum obtinent locum; homo in ſacramento ſe ſubijciat.*

*Ad*

*Ad eruditionem vero, vt per illud, quod foris in ſpecie viſibili cernitur; ad inuiſibilem virtutem, quæ intus eſt, cognoſcendam, mens erudiatur; vt exempli gratia per corporis ablutionem, animæ candorem percipiat. Ad exercitationem etiam, vt homo per ſalubrem in ſacramentis exercitationem, vanam, & noxiam declinet occupationem, & dum mens humana per varias ſanctorum operum ſpecies foris exercitatur, ad multiplicem virtutis fructum interius fæcundetur. Tres autem in vniuerſum ſunt exercitationum ſpecies; vna ad animæ ædificationem pertinet, vt orare, ieiunare, & eiuſmodi. Altera ad corporis fomentum, vt pro neceſſitatis ratione manducare, bibere, veſtire, & eiuſmodi. Tertia ad ſubuerſionem vtriuſq; vt furtum facere, vel homicidium, fornicari, & vitium aliud perpetrare. Ex iis, quæ dicta ſunt, manifeſta eſt, inter ſacramenta vet. legis, & nouæ diſtinctio, quæ non in ritibus tantum eſt, & cerimoniis (vt putant hæretici, in ſeſſione ſeptima Trid. Syn. in hoc, ſub anathemate damnati) ſed aliis multis modis. Nam ſacramenta nouæ legis conſtant ex rebus & verbis; illa tantum ex rebus: illa non gerebant ſignati ſimilitudinem, vt faciunt noſtra; ſed maximè quia illa tantū ſignificabāt, & promittebant, noſtra autē, et ſignificāt, et efficiūt, exhibentq; quod ſignificāt. (Rom. 3)* Ex operibus legis nō iuſtificatur omnis caro. *Et (Gal. 2.)* Nō iuſtificatur homo ex operibus legis. Si enim p legē iuſtitia; ergo gratis Chiſtus mortuus eſt.

## An circuncisio conferat gratiam. Cap. III.

D*Vbitationem aliquam aduerſus ea quæ dicta ſunt face re videtur Circuncisio: qua in maſculis tantum vteba tur antiquitas, non in femellis, quam iuſtificare, & gratiam conferre nonnulli patres dixiſſe viſi ſunt. (lib. 2. de Nuptijs & concup. cap. 11.) ſcribit S. Auguſt.* Ex quo inſtituta eſt circuncisio in populo Dei; quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruulis, originalis veteriſque peccati; ſicut baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouatio nem hominis, ex quo inſtitutus eſt. *Et Ven. Beda (ſuper illud Luc. 2.* poſtquàm impleti ſunt dies, &c.) *inquit.* Idem ſalutiferæ curationis auxilium circun ciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat: quod baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit. *Sed ſtat argumentum Apoſtoli (Gal. 2.)* Si ex lege eſſet iuſtitia Chriſtus gratis mortuus eſſet. *Stat eiuſdem auctoritas (1. Cor. 7.)* Circunciſio nihil eſt. *Et (ad Hebr. 8.)* Si data eſſet lex: quæ poſſet viuificare: ex lege eſſet iuſtitia.

*Ad apparentem inter Apoſtolum, & S. Patres Auguſtinũ, & Bedam contradictionem tollendam, duo in ſacramẽ to poſ-*

*to poſſumus intelligere culpæ deletionem, & gratiæ collationem. Quidquid ſanè ad collationem gratiæ valet circunciſio, ex opere operantis eſt; ad deletionem culpæ ex opere operato valere aliquid admitti poteſt, nihil autem ad collationē gratiæ quod & S. Auguſt. verba, & ven. Bedæ ſignificare videntur. Ait S. Auguſtinus circunciſionem valuiſſe ad purgationem, baptiſmum valere ad innouationem, purgamur deletione culpæ, innouamur collatione gratiæ. ad hunc modum exponi poterunt verba B. Bedæ. valebat circunciſio contra originalis peccati vulnus, ſed non ad gratiæ collationem niſi ex opere operantis, nec aliud illius verba ſignificāt. Opus operatum in ſacramento dicitur opus extrinſecum, quod ad aliquid ſignificandum ſenſibiliter exercetur; quod in ſacramentis tam vet. quàm nouæ legis conſpicitur. Opus vero operans eſt opus ipſius operantis intrinſecum; & motus quidam voluntatis interior; quem communiter, deuotionem, uel votum appellamus: vtrumq; opus dicitur meritorium de condigno, ſi cum diuina gratia proficiſcatur; at ſi abſq; gratia, de congruo tantum. Multum facit in ſacramento opus operans, quamuis ad vim ipſius ſacramenti intrinſecam facit nihil. Aequalis meriti miſſa eſt boni ſacerdotis, & mali, ex parte operis operati, & internæ virtutis ipſius ſacramenti; ex parte autem operis operantis, id eſt vitæ & deuotionis ipſius ſacerdotis, & aſtantium inaequalis eſſe poteſt. Vniuerſus (quantum ad conferendam gratiam) valor circunciſionis,*

*ſicut*

*ſicut & aliorum veterum ſacramentorum eſt ex operante, non ex ipſo opere operato; nec aliud ſonant ( vt diximus) verba Sanctorum Auguſtini & Bedæ, aut aliorum de circũciſione ſcribentium Sanctorum Patrum, ſi eorum verba diligentius perpendantur.*

## Notanda aliquot. Cap. IIII.

NOTANDVM, *ſacramenta nouæ legis omnia conſtare ex materia et forma, materia res eſt, qua utimur in ſacramento, vt aqua, oleum, & eiuſmodi; forma ſunt verba quædam præſcripta, alia & alia pro ratione alterius, & alterius ſacramenti.*

*Notandum 2. In quolibet ſacramento tria eſſe, ſacramentum, res ſacramenti, & ſacramentum & reſ. & hæc varia, vt varia ſunt ipſa ſacramenta, vt in baptiſmo ſacramentum ablutio eſt, res ſacramenti gratia emundans animam, res et ſacramentum ipſa animæ emundatio.*

*Notandum 3. Ex D. Th. ( parte 3. q. 60. art. 3.) quód tria in omnibus ſacramentis ſignificantur( ſunt enim omnia ad noſtram ſanctificationem ſignificandam ordinata ) vnum, paſſio Chriſti, quæ eſt cauſa & effectiua, & meritoria noſtræ ſanctificationis. ( Luc. 22.)* Hoc facite in meam commemorationem. *Et ( 1. Cor. 11.)* Quotieſcumq; manducabitis panem hunc, & calicem bibetis,

betis, mortem Domini annunciabitis. *Alterũ, gratia, quæ ſanctificationis noſtræ formalis eſt cauſa. Quodlibet namque ſacramentum gratiam figurat, & in anima noſtra illam efficit, per quam & iuſtificamur, & ſanctificamur. Tertium, gloria, quæ eiuſdem noſtræ ſanctificationis eſt finalis cauſa. Exemplum in ſacramento Euchariſtiæ. Canitur in Eccleſia.* O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur; recolitur memoria paſsionis eius. *Ecce primum.* Mens impletur gratia. *Ecce ſecundum.* Et futuræ gloriæ nobis pignus datur. *Ecce tertium. Idem ſuo modo eſt in reliquis ſacramentis. Quamobrem ſacramentum quodlibet eſt ſignum rememoratiuum paſsionis, demonſtratiuum gratiæ, & prognoſticum ſiue prænunciatiuum, vitæ æternæ.*

*Notandum quarto, plures alias eſſe à patribus traditas de ſacramento diffinitiones; quas omnes referre, eſſet iſagoges modum excedere. Non omittam tamen illam Vgonis Victorini (lib. 1. de ſacramentis parte 9. cap. 2.) quæ eſt.* Sacramentum eſt corporale, vel materiale elemẽtorum foris ſenſibiliter propoſitum; ex ſimilitudine repreſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione continens aliquam inuiſibilem & ſpiritualem gratiam. *Sed hæc, & aliæ ab alijs patribus traditæ diffinitiones eiuſdem ſunt ſententiæ, cuius eſt illa Magiſtri; quam ante & poſuimus, & expoſuimus.*

EE Notan-

*Notandum quinto, ſi homo in innocentia in qua conditus fuerat, perſeueraſſet; non fuiſſent ſine dubitatione ſacramenta ad remedium neceſſaria; quia non fuiſſet peccatum, cuius ipſa remedium ſunt. Fuiſſet tamen aliqua ſacramenta neceſſaria ad officium; & ad diuinam gratiam impetrandam, adipiſcendamq́; ſine qua (etiam cum iuſtitia originali) non poterat homo condignè vitam æternam promereri. Illa autē fuiſſent, ſi non qualia nunc habemus; qualia ſaltē viſa Deo fuiſſent illi ſtatui congrua, & neceſſaria.*

## De numero Sacramentorum nou. leg. Cap. V.

SACRAMENTA *nouæ legis ſeptem eſſe, Baptiſmum, Confirmationem, Euchariſtiam, Pœnitentiam, Vnctionem extremam, Ordinem, & Matrimonium, patres omnes fatentur, & eſt in multis oecumenicis concilijs catholicæ Eccleſiæ definitio. Cur autem ſeptenario numero, vel eiuſmodi inſtituta ſunt, qualia à catholicis ſeruantur in Eccleſia rationem aliquam reddere patres aliquot conati fuerunt. Quidam dixerunt tot & talia eſſe inſtituta vt eſſent in remediū ſeptem capitalium peccatorum. Baptiſmus in remedium ſuperbiæ; quia infimis elementis vt aquæ, oleo, & eiuſmodi ſubijcit hominem. Confirmatio acediæ; quia in ſpirituali labore fortem hominem reddit. Euchariſtia inuidiæ; quia charitas,*

tas, quæ in hoc maximè ſacramento relucet, dolorem de bono, & gaudium de malo proximi expellit. Pœnitentia gulæ; quia affligit carnem. Vnctio extrema iracundiæ; quia oleum tumorem reprimit. Ordo auariciæ, quia leuitæ non habuerunt partem in acquiſitis temporalibus bonis: nec terra illis aliqua ſorte eſt diſtributa, ſed carebant omni proprietate. Matrimonium luxuriæ; quia libidinis turpitudo per ipſum honeſtate nuptiarum excipitur.

Nonnulli dixerunt inſtituta tot & talia fuiſſe in ſubſidium ſeptem virtutum de quibus libro ſuperiore dictũ fuit, quarum tres theologicæ fides, ſpes, charitas; & quattuor cardinales appellantur, fortitudo, iuſtitia, prudentia, temperantia. quæ aduerſus malum culpæ, & pœnæ dimicant. Theologicæ ſunt contra malum culpæ: quod triplex eſt, peccatum originale, peccatum actuale mortale; & peccatum veniale. Cardinales ſunt contra malum pœnæ, quod malum quadrupelx eſt, Ignorantia, Malitia ſiue ad peccatum pronitas, Infirmitas, & Mala concupiſcentia.

Baptiſmus eſt ſacramentum in ſubſidium fidei; contra peccatum originale præcipuè. Euchariſtia eſt ſacramentum in ſubſidium charitatis; contra maximè actuale mortale peccatum. Vnctio extrema eſt ſacramentum in ſubſidium ſpei contra maximè peccatum veniale. Confirmatio eſt ſacramẽtum in ſubſidium fortitudinis; contra pœnam præcipuè, quæ dicitur infirmitas. Pœnitentia eſt ſacramentum in ſubſidiũ

*iuſtitiæ maximè, contra maliciam, hoc eſt contra peccatum mortale quodcunque. Ordo eſt ſacramentum in ſubſidium prudentiæ, contra ignorantiam maximè (Oſeæ 4.)* Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne ſacerdotio fungaris mihi. *Matrimonium eſt ſacramentum in ſubſidium Temperantiæ maximè, contra malam carnalem concupiſcentiam; quòd in connuptiarum honeſtate libido carnis excipiatur.*

*Fuerunt patres aliqui, qui à medicina (ſunt enim ſacramenta medicinæ quædam noſtrorum vulnerum, ſiue peccatorum) ſumpſerunt numerum ſacramentorum. Medicina (inquiunt) triplex eſt, curans, confortans, & præſeruans. Illa, quæ curat, triplex eſt, quoniam vel curat in principio morbi; hæc eſt Baptiſmus. Vel in progreſſu morbi; hæc eſt Pœnitentia. Vel in fine morbi; hæc eſt Vnctio extrema; quæ, tamquam lene remedium, iam quaſi per pœnitentiam ſanato, affertur. Illa, quæ confortat eſt ſimiliter triplex; quoniam vel ſubminiſtrat ægrotanti virtutem; hæc eſt Confirmatio; vel cibum; hæc eſt Euchariſtia; vel curatorem; & medicum; hæc eſt Ordo, Matrimonium eſt tanquam medicina præſeruans, & facit non eſſe peccatum, quod ſine eo peccatum eſſet.*

*Quoniam (Iob. 7.) legitur.* Militia eſt vita hominis ſuper terram. *dixerunt alij, quòd Baptiſmus eſt eorū; qui Chriſto militare incipiunt. Confirmatio eorum, qui in pu*

*gna perſeuerant. Euchariſtia eorum; qui in pugnâ laſſantur. Pœnitentia eorum, qui in pugna ceciderunt. Ordo eorum, qui bellatorum duces ſunt. Matrimonium eorum, qui pugnatores ſubminiſtrant, atque ſubſidiarios. Vnctio extrema eorum; qui militare iam ceſſant. ſicut miles, qui confectis ſtipendijs arma deponit, & ad propria rura veteranus reuertitur. Septem ſacramentorum Baptiſmus primum ſacramentum eſt. tum quia ordinatum eſt contra peccatum originale; quo in vtero etiam matris, & in ipſa conceptione inficimur; tum quia illud primum recipimus; quòd ſine eo alia, ſi recipiantur prodeſſent nihil; tum tertio, quia eſt maximè neceſſarium; quòd ſine eo nulla nobis ſalutis ſpes ſit derelicta.*

## De Sacramentorum inſtitutione in vniuerſali. Cap. VI.

ANTE *baptiſmum primum nouæ legis ſacramentum inſtitutum eſt ſacramentum matrimonij in terreſtri paradiſo; non ad remedium, quia ante peccatum inſtitutum fuerat, ſed tantum ad officium. poſt illud ſunt ſacramenta legis naturæ tria, oblationes, ſacrificia, & decimæ, de oblatione (Gen. 4.) legitur. Abel de primogenitis gregis ſui obtulit Deo, Caim de terræ fructibus. de ſacrificio. (Gen. 8.) Noe de cunctis pecoribus, & volucribus mundis obtulit holocauſta, ſuper altare. Et (cap. 31.) Iacob in monte victimas*

mas immolat. de decimis. (Gen 14.) Abram reuerſus à cæde quattuor regum, Melchiſedech ſacerdoti vniuerſæ prædæ exhibet decimas. Quamobrem cum vero ſimile ſit, Abel & Caim à patre de oblatione multo ante inſtructos fuiſſe: pater autem ab angelo, aut etiam à Deo, vel in ipſa conditione, vel in ipſa peccati ſui cognitione; poſt morbum peccati primi parentis inſtitutam nos fuiſſe medicinam intelligemus. poſt iſta quattuor ſacramenta, annis ante Moyſem plus quadringentis tempore uidelicet legis naturæ inſtituta eſt circunciſio, in ſignum magnæ fidei patriarchæ noſtri Abrahami. Poſt iſta omnia, inſtituta ſunt ſacramenta legis ſcriptæ ſiue veteris legis: quæ fermè innumera ſunt; de quibus in libris Leuit. & Num. videre quilibet poteſt. inter quæ, ſunt etiam ſacramenta legis naturæ, quòd lex ſcripta naturā non tollat: ſed illam potius ſuo modo exornet: quæ ſunt oblationes (vt diximus) ſacrificia, & decimæ. Poſt dicta ſacramenta in lege naturæ, & poſt alia multa in lege ſcripta inſtituta: tertio loco inſtituta ſunt ſacramenta nouæ legis à Dom. N. I. Chriſto, quæ ex precioſiſſimo de latere eius effuſo ſanguine, vim ſuam (vt dicemus) omnia ſuſceperunt: quæ quidem vis alia non eſt, quàm ſeptiformis gratia, per quam, & noſtra deleantur peccata cuncta, & adytus nobis facilis ad patriam adeundam aperiatur; qui primi parentis peccato occluſus fuerat. Chriſtus nempe (vt homo eſt) in ſuo aduentu, ſed potiſſimum in ſua paſſione nobis attulit gratiā.

Venire

*Venire autem in mundum, ille tunc volui, quando neq; lege naturali, neque ſcripta, ſaluari ſe poſſe, iam factus fuerat homo certiſsimus; quia tunc ad ſalutē ſua præcepta admittenda erat aptiſsimus.*

## De Baptiſmo Ioannis. Cap. VII.

ANTE *baptiſmum Chriſti primum nouæ legis ſacramentum fuit baptiſmus Ioannis; qui in multis à baptiſmo Chriſti diſtabat, ſed duobus potiſsimùm. Vno, quia erat tantum in aqua, non autem in Spirituſancto. Altero, quia erat tantum in pœnitentiam, non autem in remiſsionem peccatorum. (Act. 19.) inquit Paulus.* Ioannes baptizauit baptiſmo pœnitentiæ populum. *Habuit autem baptiſmus Chriſti præuncium, & veluti prædiſpoſitionem quandam baptiſmum Ioannis. quin potius, cum baptiſmus ſit ſacramentum primum, & veluti ad omnia alia ſacramenta iſagoge quædam, dicemus fuiſſe ad omnia nouæ legis ſacramenta diſpoſitionem aliquam, baptiſmum Ioannis. Ideo (Luc. 1.) dicitur de Ioanne.* Multos filiorũ Iſrael conuertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ; vt conuertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam iuſtorum; parare Domino plebẽ perfectam. *inquit [perfectam] non in gratia ſed in do-*

*ctrina*

*ctrina. Ioannes ſaluatorem digito demonſtrauit, baptizauit, & prædicauit.*

*Sunt autem hoc loco aliqua notanda. Notandum, Ioannis baptiſmus fuit ſacramentum medium inter ſacramenta legis vet. & nouæ. Conueniebat cum veteribus, quia gratiã non conferebat ex opere operato: conueniebat cum nouis, quia multam ſimilitudinem gerebat cum baptiſmo Chriſti; tum quia in eo erat vſus elementi aquæ; tum etiã quia in eo erat aliqua corporis ablutio.*

*Notandum 2. ex Io. Damaſc.* (*lib. 4. Orth. fid. cap. 5*) *in ſacris literis ſex contineri baptiſmata, Vnum, quo fœditas corporalis communiter mundabatur.* (Iudith. *12.*) Exibat (*Iudith.*) in vallem Bethuliæ, & baptizabat ſe in fontem aquæ. *Alterum, fuit diluuium, ad abſcindenda peccata. Tertium, in exitu populi Iſrael de Aegypto per mare & per nubem. Figura videlicet aquæ, & Spiritusſancti. Quartum, legale, quo à contactu morticinij mundabantur.* (*Eccleſ. 34.*) Qui baptizantur à mortuo, & iterum tangit eum; quid proficit lauatio eius? *Quintum fuit baptiſma* Ioannis. *poſt hæc omnia, eſt baptiſma Chriſti.*

*Notandum 3. quòd antiqui patres aliqua habuerunt integra, quantum ad materiam, ſacramenta, vt noſtra. baptiſmum, & matrimonium. Aliqua tantum ſecundum partem; pœnitentiam: quia conterebantur antiqui, ſed non confitebantur ad aurem Publicanus* (*Luc. 18.*) *percutit pectus*

*ſuum.*

*ſuum. Aliquà in figura tantum, Euchariſtiam in figura mannæ, vel agni. Ordinem in figura Aaronis & leuitarum. Aliqua neq; ſecundum totum, neq; ſecundam partem, neq; ſecundum figuram habuerunt: vt ſunt confirmatio, & vnctio extrema.*

*Notandum 4. illud eſt; quod (lib. 19. contra Fauſtum manichæum cap. 13.) ſcribit de ſacramentis S. Auguſt. Prima ſacramenta, quæ obſeruabantur, & celebrabantur ex lege, prænunciatiua erant Chriſti venturi: quæ cum ſuo aduentu Chriſtus impleuiſſet, ablata ſunt; & ideo ablata, quia impleta. Non enim venit ſoluere legem, ſed adimplere. Et alia ſunt inſtituta virtute maiora, vtilitate meliora, actu faciliora, numero pauciora. Sed iam de ſingulis ſeptem nouæ legis ſacramentis quàm breuiſsimè differere incipiamus.*

## De Baptiſmo. Cap. VIII.

DIFFINITVR *ſiue deſcribitur baptiſmus à patribus, & à Magiſtro (lib. 4. diſt. 3.)* Baptiſmus eſt intinctio ſiue ablutio corporis exterior, ſub forma verborum præſcripta, *in hac diffinitione materia ponitur, cum dicitur (eſt ablutio corporis exterior) aqua, quæ in verbo [ablutio] intelligitur eſt elementum, & materia in baptiſmo remota, ablutio vero exterior corporis humani eſt materia proxima. In verbo [facta] intelligitur Miniſter,*

*qui ſimul abluat, & verbum proferat. dicitur [ ſub forma verborum præſcripta ] quoniam ſine verbo non eſt ſacramẽtum. Forma ſacramenti ſunt verba; forma autem verborũ eſt ſenſus ſiue ſententia ipſorum verborum. Sunt autem ipſa verba, & ipſa verborum ſententia ab ipſo inſtitutore præſcripta; qui eſt Ieſus Chriſtus. ſine ſua forma res extare non poteſt. ( tractatu 80.) ſuper Ioanne, edisserens illud Io. 15.* [ Iam vos mundi eſtis propter ſermonem meum ] *inquit S. Auguſt.* Verbo baptiſma conſecratur detrahe verbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit Sacramentum. *Verbum ſanè, ſi le in Chriſtum comite, virtutem tribuit aquæ, per quam à labe peccati expurgatur anima. Fidem autem in baptiſmo recipit anima, vel actualem, vt anima adulti, vel habitualem, vt paruuli. ſubdit propterea Auguſtin.* Vnde eſt hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? non quia dicitur; ſed quia creditur. *Formam huius ſacramenti tradidit nobis Dominus: quando ( Matth. vlt.) diſcipulis ſuis dixit.* Euntes ergo docete omnes gentes baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritusſancti: *Quippe inuocatio trinitatis verbum dicitur, quo baptiſmus conſecratur; hæc itaq; eſt forma verborum ſub qua baptiſmus traditur.*

*Baptiſmi, miniſter eſt ſolus ſacerdos ſi præſens ſit, aut*

oppor-

*opportunè haberi poßit. Diaconibus autem, vel acoluthis, imò etiam laicis, & mulieribus fidelibus vltima languoris neceßitas baptizare permittit. de Conſecr. diſt. 4 cap.* Conſtat, *& cap.* Mulier *& cap.* in neceſsitate. *Neceſſarium eſt in ablutione miniſtrum aqua contangere illum, dum profert verba, quem baptizat; & præterea ab eo eſſe diſtinctum, alioqui falſum diceret.* Ego te baptizo. *quæ verba ita ſunt in Romana Eccleſia neceſſaria: vt ſacerdos qui ea de induſtria omittat, peccet mortaliter. Sunt autem neceſſaria neceßitate præcepti, non neceßitate ſacramenti: quia ſine illis confertur ſacramentum: vt patet apud Græcos, qui forma illa vtuntur,* Baptizetur ſeruus Chriſti. *Corollario ſequitur: vt qui prius verba diceret, poſtea ablueret; aut prius ablueret, poſtea verba diceret; nihil faceret. Similiter ille nihil faceret, qui ſeipſum baptizaret. Præter aquam, quã eſſe naturalem, non autem artificialem eſt neceſſarium, & verba præſcripta, alia, quæ in baptiſmo adhibentur, vt exorciſmus, oleum, & eiuſmodi ad decorem, honeſtatem, & reuerentiam ſacramenti faciunt, non ad neceßitatem.*

## Forma Baptiſmi conſideratur. Cap. IX.

VARIATIO *verborum, modo eadem ſententia permaneat, non tollit, aut impedit ſacramentum. Quam*

obrem in quacunq; natione propria lingua fieri poteſt baptiſmus. Si quis autem in Eccleſia Romana fuerit: qui latinam linguam minus peritè caleat, baptizando diceret; in nomine patrias, & filias, & Spiritua ſanctas, baptizaret. de Cōſecr. diſt. 4. cap. Retulerunt. Si quis autem adderet, ut dicendo In nomine patris omnipotentis, & filij & Spiritusſancti, aut dicendo in nom. patris & filij, et Spiritusſancti, & B. Mariæ virginis, aut quid eiuſcemodi aliud, & putaret, verbum additum eſſe de ſubſtantia ſacramenti, erraret, & (puto ſine pertinacia) non baptizaret. Quia à Chriſto inſtitutā, & ab Eccleſia receptam formam corrumperet. Si autem illud diceret tantum ex deuotione, & nullam in verbo neceſſitatem exiſtimaret, peccaret (meo iudicio) grauiter, quòd formæ à Chriſto inſtitutæ addere præſumeret. baptizaret autem. Si quis loco patris, filij, & Spiritusſancti, diceret, genitoris, geniti, & procedentis ab vtroq;, an baptizaret, eſt dubitatio. Caietanus Card. vir egregiè doctus (tertia parte q. 66. art. 5. ad 7.) tenet, quòd baptizaret; quia illa nomina tres diuinas perſonas ſignificant; quarum ſignificatio in baptiſmo ſiue in forma baptiſmi principaliter intenditur. Alij patres omnes (quos ego viderim) tenent oppoſitum. quia variatur ſignificatio vocum; cum pater, & genitor, filius & genitus, Spiritusſanctus, & procedens non ſint nomina ſynonima; quia pater eſt nomen impoſitum à proprietate perſonali, quæ eſt paternitas; genitor autem nomen

eſt

eſt verbale, impoſitum, non à proprietate perſonali, ſed ab actu generandi, qui eſt generare. idem dicendum de filio & genito & de Spiritu ſancto, & ab vtroq; procedente; licet igitur idem illa nomina ſignificant, non tamen ſub eadem ratione: vnde ſequitur uocis ſiue ſignificationis mutatio. Si quis dicat in nominibus, quia vox [nomen] in hoc loco notitiam, vel potentiam, vel eſſentiam ſignificat, quarum vnaquæque in tribus eadem eſt, errat, & nihil facit. Si quis dicat (baptizo te) & taceatur [ego] fit baptiſmus, quia in verbo primæ perſonæ [baptizo] intelligitur ego. Idem fit ſi loco (te) ponatur nomen proprium. vt dicatur. Ego baptizo Petrum. Si quis puerum ter in aqua immerſerit dicendo, in nomine patris & filij & Spiritusſancti, & non dixerit Ego baptizo te in nomine patris & filij, & Sp. s. non eſt puer baptizatus. Extra de bapt. & eius effectu cap. Si quis. Ablutio in baptiſmo trifariam fieri poteſt. Aſperſione, vt factum fuiſſe creditur, Act. cap. 2. vbi tria millia. Et cap. 4. vbi quinque millia baptizati ſunt. Infuſione, et Immerſione, quæ vel ſemel, vel ter fieri poteſt: pro vt eſt in ea, in qua baptizat, Eccleſia conſuetudo; quam mutare graue peccatum eſt: quin poteſt etiam eſſe error, quando aliter non poſſe fieri exiſtimaretur. quo errore B. Cyprianus aliquando irretitus legitur. vt apud Haymonem (ſuper epiſt. ad Rom. cap. 14.) quiſque legere poteſt. Nominatio ſanctiſſimæ Trinitatis patris, & filij, & Spiritusſancti in baptiſmo, quãtum ad Deũ,

diſpen-

*non dum ab eo forma illa promulgata fuerat. Fuit nihilominus tunc per tactum mundiſsimæ carnis ad baptiſmum præparata, & ſanctificata aqua. Nonnulli dixerunt tunc inſtitutum fuiſſe baptiſmum, quando (Ioan. 3.) Nicodemo Dominus dixit.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. *Sed non eſt vero ſimile (vt ad Vgonem Victorinum ſcripſit aliquando D. Bernardus) quòd res tanta, & in Eccleſia tam neceſſaria, noctu, & in angulo domus cum vno Nicodemo fuerit inſtituta. poteſt nihilominus dici, quód illis verbis baptiſmi neceſsitas, & finis à Domino fuerit explicatus. Quidam dixerunt, tunc fuiſſe baptiſmum inſtitutum, quando (Matth. 10. & Luc 9. & 10.)* Miſit Dominus Diſcipulos ſuos, & alios ſeptuaginta duos, binos, & binos in omnem Iudæam, & in omnem locũ, quo erat ipſe venturus. *Sed huic ſententiæ videtur obſtare, quòd ibi in ſcriptura Euangelij, nulla de baptiſmo fiat mentio. Aliqui inſtitutum dicunt quando (Io. 3.) Ieſus per manus dicipulorum baptizabat. legitur eo loci.* Venit Ieſus, & diſcipuli eius in Iudæam terram, & baptizabat. *Item ad Ioãnem dicunt quidam.* Rabbi, qui erat tecum trans Iordanem, cui tu teſtimonium perhibuiſti; ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum. *Poteſt dici, fuiſſe tunc inſtitutum baptiſmum, quantum ad officium baptizandi. Non defuerunt, qui dicerent*

*inſti-*

*inſtitutum, quando in cruce de latere Chriſti. (Io. 19.) exiuit ſanguis & aqua; vt ſanguis ad Euchariſtiam, aqua ad Baptiſmum referatur. Dicere poſſumus tunc & baptiſmũ, & ſacramenta omnia inſtituta fuiſſe, quantum ad virtutẽ, & efficaciam. Cũctorum namq; ſacramentorum virtus ab ipſa Chriſti paſsione deriuat, & ſanguinis effuſione cũ aqua. Multi patres fuiſſe inſtitutum dixerunt, quando (Matth. vlt.) ad diſcipulos ait Dominus.* Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris, & filij, & Spiritusſancti. *Manifeſtum eſt tunc promulgatam fuiſſe formam baptiſmi; ex quo per conſequentiam (cum vnum quodque habeat eſſe à forma) admitti poſſe videtur, inſtitutum tunc baptiſmum fuiſſe; quia forma baptiſmi à Chriſto tunc præſcripta fuit. Dicamus igitur inſtitutum fuiſſe baptiſmum Io. 1. quantum ad materiam, Io. 3. quantum ad finem, Matth. 10. & Luc. 10 & Io. 3. quantum ad officium,* Ioan. *19. quãtum ad virtutem, Matth. vlt. quãtum ad formam.*

## Circuncisionis ceſſatio. Cap. XI.

INSTITVTO *baptiſmo, languere cœpit circunciſio; quæ deinde temporum ſucceſsione mortua eſt; tunc autem mortua intelligitur, quando nihil circunciſo proderat; quod poſt paſsionem Chriſti mox fuit. tandem non ſolum mortua, ſed*

*etiam*

*etiam mortifera facta eſt; quando non ſolum non proderat; ſed oberat etiam circunciſo, poſt promulgationē ſcilicet Euāgelij, quo tempore baptiſmi neceſſitas in locis in quibus diuulgabatur incœpit. quæ quidem Euāgelij promulgatio, in diuerſis temporibus pro locorum diuerſitate, & diſcipulorum Euāgelizantium opportunitate facta eſt, nec dum fortaſſis eſt cōpleta: cum multis in locis Luſitanorum, et Hiſpanorum opera noſtris temporibus vel promulgari, vel penitus obſoletum rurſus inſtaurari cœperit Euāgelium, quod opus utinam Deo adiuuante ſuccedentibus temporibus fœliciter tandiu fideles proſequantur, donec gentibus omnibus prædicatum, et ab eis receptum ſit Euangelium.*

*Notandum hoc loco eſt, patres multos baptiſmum alijs verbis diffiniuiſſe. Albertus ait, Auguſtinum ita illum alicubi explicauiſſe.* Baptiſmus eſt tinctio in aqua verbo vitæ ſanctificata. *Vgo Victorinus (lib. 1. p 6. cap. 2. de Sacram.) ita diffiniuit.* Baptiſmus eſt aqua diluendis criminibus, per verbum Dei ſanctificata. *Iſtæ duæ diffinitiones vna ſunt in ſententia, quæ proximam finalem cauſam cum materiali explicauerunt. Ioannes Damaſc. (lib. 4. cap. 10) baptiſmum ita circumſcripſit.* Baptiſmus eſt per quem primitias accipimus Spiritus ſancti, & fit nobis regeneratio, & principium alterius vitæ, & ſigillum, & tutela, & illuminatio. *Dionyſ. (in lib. Eccl. Ierarchia cap. 2.) Illū ita circūſcripſit.*

Baptiſmus eſt ſanctę, & diuinæ noſtræ regenerationis traditio, principium ſanctæ operationis mandatorum Dei, formans interiorem hominẽ noſtrum ad ſuſcipiendas alias doctrinas, & ſanctas operationes, & contemplationes rerum diuinarum. *Quippe diuinum eſſe, quod in regeneratione per baptiſmum nos accipimus, ad ſanctas operationes, et ad ſanctas doctrinas, & ad Dei contemplationem nos admodum aptat; non ſecus quàm eſſe, quod naturale habemus, ad naturales nos operationes accommodet; aut corruptum, atq; peruerſum eſſe, quod ab Adamo recipimus, ad operationes peruerſas diſponat. Quamobrem exclamat (Coloſs. 3.) Apoſtolus.* Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, & induentes nouum hominem, qui renouatur in agnitionem Dei, &c.

## An peccatum m. impediat baptiſmum. Cap. XII.

EST *vna dubitatio. An recipi baptiſmus poßit ab eo, qui eſt in actuali voluntate peccandi mortaliter. ut qui in odio fraterno perſeuerat. Ad quam diſſoluendam duo dicimus. Vnum quód talis baptizandus non eſt. S. Auguſt. (in lib. de pœnit. cap. 2.) & ponitur diſt. 4. de Conſecr. cap.* Omnis, qui iam ſuæ voluntatis arbiter conſtitutus

tus eſt; cum accedit ad ſacramentum fidelium, niſi pœniteat veteris vitæ, non poterit nouam inchoare. *Vnde (Act. 2.) legitur.* Agite pœnitentiam & baptizetur vnuſquiſque veſtrum. *Ille tamen qui ſic baptizatur, recipit ſacramentum, non rem ſacramenti, hoc eſt non recipit gratiam. Verum eſt, quòd omni poſtea mala voluntate depoſita, & (vt dicunt patres) omni fictione remota, incipit ad gratiam valere baptiſmus. hoc autem ſacramenti baptiſmi priuilegium eſſe videtur. Cum enim baptiſmus ad ſalutem omnino neceſſarius ſit, et (quia imprimit Caracterem) iterari non poſſit, in vacuum penitus eſſet ſuſceptus, & nulla de baptizato ſalutis ſpes eſſet derelicta; ſi ceſſante fictione baptizato nihil receptus prodeſſet.* Caracter eſt ſignum quoddam ſpirituale à Deo ſolo animę impreſſum per ſuſceptionem initerabilis ſacramēti indelebile de lege communi, & in beatis ad honorem, & in damnatis ad dedecus ſemper permanens.

## An cœlum baptiſmus aperiat. Cap. XIII.

EST *altera dubitatio. An cœlum baptimus aperuerit. Dicendum ſacramenta veteris legis non aperuiſſe cœlum; ſed in infernum ſe deſcenſuros fatebātur antiqui patres.*

*Iacob.* (*Gen 37.*) Deſcendam ad filium meum lugens in infernũ. *Iob.* (*Iob. 14*) Quis mihi tribuat, vt in inferno protegas me. (*ps. 15.*) Non derelinquas animam meam in inferno. *Saluator autem noſter ſolus cœlum aperuit. dicitur tamen baptiſmus aperire, quia tollit culpam, quæ cœli ingreſſum ſola impedit. Paßio Chriſti aperuit, quia ſoluit peccati precium. Reſurrectio aperuit, quia per eam gloriam adipiſcimur.* Ideo *Apoſt.* (*Rom. 4*) Reſurrexit propter iuſtificationem noſtram. *Aſcenſio aperuit, quia aperuit ingreſſum cœli.*

## An Baptiſmus vnus. Cap. XIIII.

TERTIA *dubitatio. An baptiſmus ſit vnus. Ad quã dicendum: quod & ſi baptiſmus, qui verè propriè et ſimpliciter baptiſmus eſt, ſit tantum vnus, iuxta illud, quod in Symbolo profitemur.* Confiteor vnum baptiſma. *Et* (*ad Epheſ. 4.*) Vna fides, vnum baptiſma. *habuit tamen* (*quia omnino ad ſalutem neceſſarius eſt*) *duos vicarios ideſt habuit duo baptiſmata, ſiue duos modos ſupplendi vices illius baptiſmi, qui ad ſalutem neceſſarius eſt, & qui verè & propriè baptiſmus dicitur: ne quiſpiam, qui illum ex aliqua vrgente neceßitate habere non poſſet, periret. Veri baptiſmi diffinitionem ex ſanctis patribus proximis capitibus ante poſuimus, & eſt ille, qui baptiſmus aquæ communi*

*ter*

*ter dicitur, ab aliquibus baptiſmus fluminis appellatur. Huius veri, ac legitimi baptiſmi vices ſupplet aliquando martyrium, quod baptiſmus ſanguinis à patribus dictum eſt; aliquando veri baptiſmi votum, & deſiderium, quod baptiſmus flaminis, ſiue baptiſmus ſpiritus, ſiue baptiſmus in voto appellari poteſt. Eſt autem baptiſmus flaminis deſideriū baptiſmi fluminis, cum fide in Ieſum Chriſtum, & pœnitentia peccatorum ſuorum, ac veteris vitæ. Veri baptiſmi vſum prohibet uel tēporis anguſtia, vel aliqua alia neceſſitas. Aeternæ morti condemnat ſacramenti baptiſmi, aut religionis contemptus. De altro vicario, qui baptiſmus ſanguinis dicitur, ſiue martyrium pro Chriſti fide ſuſceptum (lib. 4. de bapt contrà donatiſtas cap. 22.) S. Auguſt. inquit.* Quicunq; nō percepto regenerationis lauacro, pro confeſsione Chriſti moriuntur; tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte baptiſmi. *Iſti duo baptiſmi, vnus flaminis alter ſanguinis non ita diſtincti ſunt, quin vnus alterum includat. quippe ſine baptiſmo flaminis non eſt martyrium.*

*Sed tunc oritur difficultas. Ad quem modum veritatis veritatem id eſt verbi domini veram eſſe ſententiam tuebimur. quam dixit.* Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spirituſancto, non poteſt introire regnum Dei. *Si ſine aqua, ſanguine, vel voto baptizari poſſumus.*

*Ad hanc dubitationem reſpondet Magiſter duplicem*

*eſſe*

*eſſe illorum verborum Domini ſenſum. Vnum, vt per aquã & Spiritumſanctum fiat regeneratio. Alterum, vt ille, qui regeneratur, regeneretur per eam regenerationem, quæ fit per aquam et Spiritumſanctum, hoc eſt per peccati deletionem, gratiæ infuſionem, & baptizati ſanctificationem; ad quem modum quotquot ſalutem conſequuntur, regenerantur. et iſte germanus horum verborum Domini ſenſus videtur.*

## An martyrium præſtet aquæ baptiſmo.

### Cap. XV.

QVARTA *ſuccedit dubitatio. An baptiſmus ſanguinis ſit aquæ baptiſmo præferendus.*

*Sunt aliqui patres, qui baptiſmum ſanguinis, baptiſmo fluminis præferre videntur (lib. 4. Orth. fid. cap. 10.) multa enumerat baptiſmata* Ioan. *Damaſc. & loco ſeptimo ponit baptiſma ſanguinis.* Quod *(inquit)* per martyrium, & ſanguinem celebratur; quo & ipſe pro nobis Chriſtus baptizatus eſt, valde honorandum, & beatum, quatenus ſuccedentibus non coinquinatur ſordibus. *in verbis illis.* [valde honorandum, & beatum] *viſus eſt, aquæ baptiſmo prætuliſſe martyrium. B. Cyprianus de hoc baptiſmate ad Fortunatum ita ſcripſit,* Docemus hoc eſſe baptiſma in gratia maius, in honore precioſius. Baptiſma in quo angeli baptizant;

zant; baptiſma poſt quod nemo iam peccat; bap tiſma quod fidei noſtræ incrementa conſummat; baptiſma quod nos de mundo recedentes ſtatim Deo copulat. *Quibus verbis & encomijs eggregijs hoc baptiſma alijs omnibus baptiſmatibus prætuliſſe doctiſſimus ſanctus ille videtur.*

*Sed dicendum eſt; baptiſmum aquæ ritè ( vt par eſt) celebratum, ſolum, & verè & propriè eſſe baptiſmũ, vt quantum ad baptiſmi eſſentiam aliis baptiſmis omnibus ſit præferendus, vt præferẽdus eſt dominus ſuo vicario. Habet enim propriam materiam, aquam naturalem; propriam formã, præſcripta verba; ptoprium inſtitutorem, Chriſtum; præterea imprimit caracterem. Martyrium autem propriam materiam non habet; quia celebrari poteſt gladio, ſecuri, equuleo, reſtè, & innumeris alijs modis; vt præter ſubiectũ ideſt hominem ipſum martyrium patientem nullam habeat certã materiam. Nullam item habet præſcriptam formam; nullum certum auctorem; quia non à Chriſto, ſed à perſequutoribus Chriſti, & membris diaboli contra pios et fideles exercitatur. nullum imprimit caracterem; qui quidem caracter ſecundum patres, non leuis eſt ad gratiam diſpoſitio. Per accidens nihilominus, & per ea, quæ martyrium conſequuntur, baptiſmo aquæ quoquo modo præferri poteſt martyrium & ſanguinis baptiſmus. Etenim quia martyrium mors ſtatim ſequitur, ſuccedentibus non inquinatur ſordibus; quia*

poſt

*poſt illud ſtatim ſuccedit gloria, maius videtur in gratia; quia reſiſtit tyrannicis imperatoribus, ſublimius apparet in poteſtate: quia martyrum reliquiæ à pijs venerantur, precioſius in honore videtur: quia vnius martyris exemplo ſunt multi ſæpe ad fidem prouocati, & ad palmam, & præterea quia in tormentis angeli martyrem adiuuant; martyrem angeli baptizare dicuntur: quia deniquè cum vita termino eſt meritorum terminus, fidei noſtræ incrementa martyrium cōſummat: & Deo nos ſtatim copulat. Et de baptiſmo hactenus.*

## De confirmatione. Cap. XVI.

IN *confirmatione ſimiliter, vt in baptiſmo eſt materia, eſt forma, eſt miniſter, eſt ſacramentum, eſt res ſacramenti. Materia eſt Chriſma* Χρῖσμα *græcè idem eſt, quòd vnguentum latinè ſiue vnctio. Ex decreto autem Eccleſiæ, non quodlibet vnguentum, aut oleum dicitur Chriſma; ſed vnguentū confectum ex oleo oliuarum, & balſamo per Epiſcopū conſecrato. Ita concilium florent. Sub Eugenio iiij. definiuit.* Sacramenti confirmationis materia eſt Chriſma, confectum ex oleo & balſamo per Epiſcopū benedicto *Et Extra de ſacra vnctione.* Ad exhibendum autem exteriorem, & viſibilem vnctionem, bene dicitur oleum, quod dicitur Catechumenorum. vel

vel infirmorum; & conficitur Chriſma; quod ex oleo fit, & balſamo myſtica ratione. Per oleum enim nitor conſcientiæ deſignatur, iuxta quòd legitur. Prudentes virgines acceperunt oleum in vaſis ſuis, cum lampadibus. Per balſamum odor famæ exprimitur, propter quod dicitur. Sicut balſamum aromatizans odorem dedi. *Balſamum in Iudaea Syrie, tantum naſcitur. Plinius (lib. 12. cap. 25.) inquit.* Sed omnibus odoribus præfertur balſamum terræ Iudeæ conceſſum, quondam in duobus tantum hortis vtroq; regio, altero iugerum xx. non amplius, altero pauciorum. *affirmant indicarum rerum ſcriptores multi, & apud indos nonnullis in regionibus balſamum reperiri; Balſamum, quod in Italiam vehitur, vitiatum eſſe, & medici, & aromatopolæ conteſtantur.* In *hoc ſacramento neceſſitate præcepti neceſſarium eſt balſamũ, non autem neceſſitate ſacramenti. Extra de Sacramentis non iterandis cap.* Paſtoralis. *dubitatur* Si confirmationis ſacramentum in eo debeat iterari: qui per errorẽ fuit non Chriſmate, ſed oleo delinitus. *Ad quod per Innocentium iij. reſpondetur.* In talibus non eſt aliquid iterandum; ſed caute ſupplendum, quod incaute fuerat prætermiſſum. *In tribus ſacramentis eſt Chriſmatis vſus. In baptiſmo, in vertice ad fidem ſignificandam, In confirmatione, in fronte, ad depellandum timorem*

*vel verecundiam ad fidem ſuſceptam prædicandam, & coràm principibus & populis alacriter confitendam. Qui crucis gloriam verè prædicat: crucem ipſam non erubeſcat.*

*Forma ſacramenti ſunt illa verba.* Signo te ſigno crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Pat. & Fil. & Spir. s. *Hoc affirmant patres omnes. hoc habet laudabilis ritus Eccleſiæ. Apoſtoli ( Act. 8.) tantum per manuum impoſitionem confirmabant, & iſta verborũ forma non vtebantur, quod ideo erat; quoniam loco olei, & balſami, & viſibilis vnctionis erat illis manuum impoſitio; in ſignum autem recepti Spir. ſancti fiebant ab eis miracula comperta; quæ erant ſigna manifeſta aduentus Spiritusſancti, ſiue inuiſibilis vnctionis, ceſſantibus autem miraculis, vſa eſt Eccleſia, & materia, & forma prædictis à S. Spiritu ſic edocta.*

*Miniſter huius ſacramenti ordinarius eſt Epiſcopus. ſimplex ſacerdos ſine Papæ diſpenſatione, ſi confirmare tentauerit, nihil faciet. ( diſt 95. cap.* Peruenit quoq;. *Et diſt. 5. cap. Manus.* ) Vbi Epiſcopi deſint. ( *Greg. Papa ad Ianuarium Epiſcopum Krolitanum* ) vt Præsbyteri etiam in frontibus baptizatos Chriſmate tangere debeant, concedimus. *Tridentina Synodus ( Seſſ. 7. can. 3. de confirmatione )* Si quis dixerit ſanctæ confirmationis ordinarium miniſtrum nõ eſſe ſolum Epiſcopum, ſed quemuis ſimplicem ſacerdotem

cerdotem; anathema ſit. *Inſtitutum autem fuiſſe hoc ſacramentum à Chriſto, non autem (vt nonnulli alioquim magni doctores putarunt) ab Eccleſia, ex ijs quæ cap. 8. et 19. actionum apoſtolicarum legimus, ſine aliqua dubitatione tenere debemus.*

## De eadem. Cap. XVII.

VIDETVR *multis patribus confirmationem eſſe baptiſmate præſtantiorem: forte quia à præſtantiori ſacerdote, vt poté ab Epiſcopo confertur; vel etiam quia nō ad peccati remiſſionem, vt baptiſmus; ſed ad fidei in baptiſmo ſuſceptæ robur & defenſionem ordinatur. Vnde Rabanus.(ut à Magiſtro citatur) inquit.* In vnctione baptiſmi ſpiritum ſanctum deſcendere ad habitationem Deo conſecrandam; In hac vero, eiuſdem ſeptiformem gratiam, cum omni plenitudine ſanctitatis, & virtutis venire in hominem. *Iterari nō poteſt. quòd caracterem imprimat. Nullum quippe ſacramentum ſuper eadem perſona & materia, & propter eandem cauſam iterari debet: ne fiat ſacramento iniuria. Quædam tamen iterantur ſuper eadem perſona, & propter eandem non numero ſed ſpecie cauſam, vt Pœnitentia, Matrimonium, et alia quæ caracterem non imprimunt. Quæ autem caracterem imprimunt ſuper eadem perſona ſunt penitus initerabilia. Tria*

*autem ſunt, quæ caracterem imprimunt Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo. Hæc namq; ſacramenta caracterem idcircò imprimunt, quòd quaſi in alio ſtatu ab eo, quem prius habebat, hominem conſtituere, & ab ijs, qui in priore ſtatu permanent, diſtinguere videantur. Baptiſmus ab infidelibus fideles diſtinguit. Confirmatio ab infirmis fortes, & à popularibus, milites. Ordo à laicis eos, qui altari deſeruiunt, tamquam à militibus duces exercitus. Hoc ſacramentum ad quorundam patrum opinionem non eſt de neceßitate præcepti, ideo non eſt ad ſalutem neceſſarium; ſi quis tamen adultus illud negligeret, peccaret grauißime; & iter ſalutis præpeditum haberet. (diſt. 5. cap. de ijs vero) legitur.* Ita coniuncta ſunt hæc duo ſacramenta (*bapt. & conf.*) vt ab inuicem (niſi morte præueniente) nullatenus poſſint ſegregari; & vnum ſine altero perfici non poteſt. *An qui bis eundem confirmaret, irregularis efficeretur, vt ſentiunt aliqui canoniſtæ; cum non ſit in canone poſita eiuſmodi pœna, vt videri poteſt de Conſecr. diſt. 5. cap.* Dictum eſt nobis. *& cap.* de homine, *dicerem domines canoniſtas illos non ſatis rectè ſentire. Cum ieiunio, et conferri & recipi ſacramentum iſtud deberet (loco citato cap.* vt ieiuni. *& cap.* vt Epiſcopi) *niſi aliter neceßitas vrgeret. Baptizatum eſſe neceſſarium eſt, tàm illum, qui recipit, hoc ſacramentum, quàm illum, qui confert: alioqui nihil efficeretur. Extra de Presbytero non baptizato cap.* Si quis, *vbi*

*Vbi dicitur.* Si quis presbyter ordinatus, depræhenderit ſe non baptizatum, baptizetur, & iterum ordinetur. *Et cap.* Veniens. *diſputatur caſus, & tandem concluditur, presbyterum non baptizatum, baptizari, & ad ordines promoueri debere. Vt in ſacramẽto baptiſmi eſt ſacramentum ablutio exterior & verba; eſt res ſacramenti ablutio interior, & gratia; et eſt res & ſacramentum, Character. Ita in confirmatione eſt ſacramentum, Vnctio exterior et uerba; eſt res ſacramenti, fidei & gratiæ robur: & ſimiliter ſacramentum & res, Character confirmationis, & deſignatio quædam ad pugnam, aduerſus tres illos communes hoſtes; mundum, carnem, & diabolum: quoniam vita hominis militia eſt ſuper terram. Et de ſacramento confirmationis hactenus.*

## De ſacramento Euchariſtiæ, hoc capite de pane eiuſdem. Cap. XVIII.

DEo hominem generat baptiſmus (*vt habetur in Euangelio Ioanni. cap. 3. quo loci ait dominus.* Niſi quis natus fuerit denuò &c.) *generato robur ad fidem tribuit confirmatio, roborato ac confirmato nutrimentum affert. Euchariſtiæ ſacramentum, quoniam in eo totus ille ſumitur: qui totius virtutis & gratiæ, ac totius ſpiritualis alimoniæ & vitæ fons eſt, & origo, Chriſtus Ieſus. In hoc ſacramento*

*ſicut in alijs eſt ſua materia, forma, miniſter, inſtitutio, utilitas, ſacramentum, res ſacramenti, & ſacramentum et res; de quibus omnibus à nobis bræuiſsimè dicendum nunc eſt.*

*Materia eſt panis, & vinum. Celebrata namque (vt in Euangelio legitur) cum diſcipulis agni paſchalis cœna (vt figura cederet veritati,) accepit Ieſus panem, ſimiliter, & vini calicem, & benedixit, & diſcipulis ſuis diſtribuit. In hac menſa, dicunt patres, Chriſtus ſeipſum exhibuit, idem fuit ſacerdos & hoſtia, idem diſtribuens & quod diſtribuitur. Extra de ſumma Trin. & fide Cath. cap.* Firmiter. Idem ipſe ſacerdos eſt & ſacrificium Ieſus Chriſtus; cuius corpus & ſanguis in ſacramento altaris, ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continẽtur. *Panis, ſecundum mentem aliquot probatiſsimorum patrum, debet eſſe triticeus. quia (vt inquiunt) Chriſtus (Io 12.) ſe comparauit grano frumenti, cum dixit.* Niſi granum frumenti cadens in terra mortuum fuerit, &c. *qui idem dixit (Io. 6.)* Ego ſum panis viuus qui de cœlo deſcendi, &c. *Iſidorus (lib. 17. Etym. cap. 3) aſſerit, frumentum eſſe amplioris ſignificationis, quàm triticum. Frumenta ſunt (inquit) quæ ariſtas habent; reliqua fruges appellantur. An autem ſiligo, ordeum, ſpelta, auena, lolium, omnia iſta vel aliqua ſint triticei, ſicut ſunt frumentarij generis, cum ariſtas habeant, & panis ex quouis iſtorũ confectus ſit materia apta altari, inter patres concordantiam in.*

in hac

*in hac materia, quàm nunc exiſtat, maiorem, exopto. Interea tenendum, quod ſecurum eſt. panem triticeum materiam eſſe huic ſacramento aptiſſimam. idem à multis ſanctis patribus de pane ſiligineo aſſeritur.*

*Ad neceſſitatem ſacramenti ſi azimus ſit, vel fermentatus refert nihil. Latini in azimo, Græci in fermentato conficiunt. Quilibet autem tenetur ſequi ſuæ eccleſiæ ritum: alioqui peccaret. Græci in fermentato ideo conficiunt, vt deteſtari illos nazareorum hæreſim omnes agnoſcant: qui ad ſalutem cum Euangelio legalia putabant eſſe ſeruanda, ex lege autem à Iudæis, paſchalibus temporibus, panes azimi comedebantur. Latini in azimo multo rationabilius conficere videntur, tum ratione ſingularis ſimplicitatis, & puritatis corporis Chriſti, (quam imitari diligentius illi debent, qui ad illud ſumendum accedunt.) Eſt autem azima fermento purius; tum quia in azimo conſecrauit Dominus. (Matth. 26.)* Prima die azimorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes; vbi vis paremus tibi comedere Paſcha? (*Marc. 14*) Primo die azimorum, quando Paſcha immolabãt, dicunt ei diſcipuli. Quouis eamus, & paremus tibi, vt manduces Paſcha? (*Luc. 22.*) Venit autem dies azimorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha. *Si quis opponat; Ioannem Euãgeliſtam (cap. 13.) ante diem feſtum Paſcha iſta fuiſſe acta affirmaſſe; aperta ſatis poteſt eſſe reſponſio. quoniam & ſi ſeptem omnes*

*dies azimorum Paſcha dicebantur; dies tamen Paſchæ ſolemnis erat dies ſabbati, qui erat decima quinta Lunæ. azima autem vno die, qui erat decima quarta lunæ, ante magnum diem paſchæ incipiebant: qui fuit dies veneris. dies autem veſperæ erant initium. Die Iouis igitur, ad veſperã azimorum erat initium, quo tempore, & in qua veſpera Saluator noſter paſca celebrauit. Incipiebat nempe dies à veſperis iuxta illud quod (Leui. 23.) legitur.* A veſpera vſque ad veſperam celebrabitis ſabbata veſtra. *Non ſunt autem idem dies paſchæ & dies feſtus paſchæ (Leui. 23.)* Menſe primo quartadecima die menſis ad veſperam Phaſe Domini eſt; & quintadecima die menſis huius ſolemnitas azimorum Domini eſt *ad quẽ ſolemnem diem Caiphæ conſilium reſpiciebat, cum dixit.* Non in die feſto, ne forte tumultus fieret in populo. *Vt Chriſti mortem acceleraret. Et Chriſto mortuo in Ioanne legitur.* Iudei ergo (quoniam paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſabbati) rogauerunt Pilatum, &c. *Non prætermittam hoc loco, quod, ſuper iſta azimi, & fermentati diſſenſione, (lectione 34. Canonis) ſcriptum reliquit Gabriel Biel Theologus minimè contemnẽdus.* Orta eſt (*inquit*) hæc diſſenſio Græcorum à Latinis, quia (ſicut dicit Leo Papa) quando error vigebat de legali obſeruantia, qui fuit Ebionitarũ; qui

qui dixerunt neceſſarium eſſe chriſtianos iudaizare, & per conſequens paſcha ſuum in azimo conficere, decreuerunt: quòd Eccleſia non conficeret de azimo ſed fermentato; quouſque error ille ceſſaret. Vnde Eccleſia primò cóficiebat de azimo, ſecundò de fermentato, tertiò ceſſante hac cauſa, rediјt Eccleſia Romana ad ritum primum, & conficit ex azimo. Græci vero tanquam ſuperbi noluerunt ad ritum primum redire. *De pane hucuſque.*

## De vino. Cap. XIX.

VINVM *an album ſit, vel nigrum ad ſacramentum nihil refert; ſed neceſſarium eſt, vt ſit de vite; quòd in eo conſecrauerit Chriſtus matth. 26. quo loci ipſe ait.* Nó bibam à modo de hoc genimine vitis, donec &c. *In aceto, quod propriè acetum ſit, & non vinum acidum conſecrari non poteſt: quia vinum non eſt, ſed fuit. Eſt namq; in eo vini iam forma corrupta. In agreſto ſimiliter, quia vinum nondum eſt, ſed erit, non conficitur. In muſto et ſi fit conſecratio, quia vinum eſt; propter feces tamen vino admixtas, quæ in ſanguinem non conuertuntur (ſola enim vini ſubſtantia conuertitur, atque tranſubſtantiatur) vitare quantum fieri poteſt muſtum debemus. Cum vino aqua ne-*

*Ll ceſſaria*

*ceſſaria eſt, neceßitate præcepti, non ſacramenti; quòd ſine aqua confici poßit. dicit Mag. (lib. 4. diſt. 2.)* Si quis nõ intendens hæreſim introducere, obliuione, aut ignorantia, aquam pretermiſerit, non videtur irritum eſſe ſacramentum: ſed ille grauiter eſt corripiendus. *Idem ibi confirmat ex patribus alijs. Aqua populum ſignificat, qui Chriſti paßione (exiuit enim à latere Chriſti ſanguis & aqua) redemptus eſt; cum ergo in calice uino aqua admiſcetur, Chriſto populus adunatur. Si vinũ quis tantum offerat, ſine nobis (inquit S. Cyprianus) ſanguis Chriſti eſſe incipit, & ſine Eccleſia; quæ per aquam ſignificatur. De re hac extant (diſt. 2. de Conſecr.) multorum ſummorũ Pontificum & Conciliorum decreta. Aqua modica ſit, vt à vino poßit abſorberi, & aliquõ modo in vinum tranſmutari, & totum in ſanguinem tranſubſtantiari. Cum enim ad Chriſtũ nos cõuertimur; nõ in nos ipſe fertur, ſed nos ab eo in ipſum transferimur. Patres aliquot, & in primis Io. Damaſ. (in 4. lib.) cum vino aquam in vltima cœna Chriſtum miſcuiſſe, aperte dixerunt. (Ex concilio Carthag diſt. 2. de Conſecr. cap.* In ſacramẽto. *idem innuitur.) quam rem, & ſi Euangeliſtæ nõ dixerunt, non tamen, qui hoc dicunt, mentiri putandi ſunt: cum multa Ieſus fecerit; que ſcripta non ſunt. Adde quòd vinum regionis Hieroſolymitanæ (vt referunt qui illuc acceſſerunt) eſt admodũ fumosũ; ut ſine aqua Dominũ (qui temperãtißimè uixit) illud nõ bibiſſe probabile ſit.*

De

## De Forma. Cap. XX.

ET *ſi duo huius vnius ſacramenti videntur eſſe elementa panis & vinum, duæ ſimiliter formæ quarum altera ſuper pane, altera ſuper vino à ſacerdote in perſona Chriſti pronunciatur; vnum tamen eſt ſacramentum; alioquin non ſeptem tantum eſſent ſacramenta nouæ legis. Vnum (inquam) eſt ſacramentum, non vnitate numerali, cum ſacramẽtales ſpecies, quæ ſunt ſacramentum ipſum, ſpecie differant; ſed vnitate finis: quia ad vnum finem ambæ ſpecies ordinatæ ſunt; ſcilicet ad Chriſtum pro ſpirituali cibo continendũ, & ad corporis myſtici vnitatem ſignificandam. Vt igitur in hoc vno ſacramento duo ſunt elementa, ita duæ ſunt formæ elementorum, vna panis, altera vini; de quibus paucis dicendum eſt. panis eſt.* Hoc eſt enim corpus meum. *Vox [enim] non eſt de ſubſtantia formæ, neque de neceſſitate cõſecrationis: ſi tamen illam ſcienter ſacerdos omiſerit, grauiter peccabit. Vini forma eſt.* Hic eſt ſanguis meus. *S. Matthæus (cap. 26.) in vini conſecratione appoſuit [enim] non autem in panis. Et quia vinum, niſi in vaſe fuerit, minime perſtat, ſed fluit, & labitur; ponitur in forma conſecrationis vini, vas vinum continens à S. Luca (cap. 22.) qui inquit.* Hic eſt calix nouum teſtamentum in ſanguine meo. *reliqua (vt inquit S. Paſchaſius) ſunt lau-*

*des, & gratiarum actiones, & quædam tanti ſacramenti fructuum explicationes. Item dicit S. Ambr. (lib. 4. de ſacram. cap 4) Idem S. Auguſt. & ponitur de Conſ. diſt. 2. cap.* Vtrum. *Verba iſta non profert ſacerdos in perſona propria, ſed Chriſti. Sub duplici ſpecie Chriſtus à ſacerdote ſumitur, & ſi ſub alterutra totus integer continetur; vt totam in pane conſecrato humanam naturam aſſumpſiſſe; & totam in vino conſecrato redemiſſe, oſtenderetur. Panis ad corpus, vinum ad animam, quia in ſanguine viget anima, refertur; vt in nobis vtriuſque à diabolo, & corporis & animæ liberatio ſignificetur. Et licet ſub vtraque ſpecie totus Chriſtus ſumitur; non fit tamen panis conuerſio, niſi in corpus, quæ ſola per ipſa verba (Hoc eſt corpus meum) ſignificatur: nec vini, niſi in ſanguinem, ex ipſa verborum ſignificatione, nec sũt duo ſacramenta ſed vnum; quòd ſub vtraque ſpecie idẽ Chriſtus ſumatur. Tradidit autem ſub panis & vini ſpeciebus, quæ multum diuerſæ ſunt, corpus ſuum nobis dominus Ieſus, & ſanguinem; ſubindeque ſumendum inſtituit; vt fides haberet meritum. Quippe (vt famoſum eſt ex D. Gregorio) fides non habet meritum; vbi humana ratio præbet experimentum. Et ne quod cerneret oculus, animus abhorreret. Etiam ne fideli infidelis inſultaret; quod Dominum ſuum dentibus lacerâret, & cruorem occiſi hominis abſorberet. Cõuertitur namque (vt dictum eſt) panis in corpus, & vinum in ſanguinem verbis illis à ſacerdote in perſona Chriſti prola-*

*ſu, diuina eorum ſignificationi virtute cooperante. Iſta conuerſio à patribus tranſubſtantiatio rectè dicitur; quòd ſubſtantia ſola in ſubſtantiam conuertatur, tranſmuteturq́. Mutatio tribus conſtat, termino à quo, termino ad quem, & via per quam ab vno termino ad alium peruenitur: in qua extrema ipſa ſuo modo coniungi dicuntur; tria propterea ſunt admirabilium ab vno Deo factarum tranſmutationum genera. Vnū ex parte termini à quo, quod creatio dicitur; Alterū ex parte termini ad quē, quod eſt panis & vini in altari conuerſio. Tertiū ex parte uiæ ſiue medij, quod diuini verbi incarnatio eſt, per quam extrema duo finitum & infinitum, ſummum & imum, Deus & homo, coniuncta ita ſunt; vt Deus fieret homo, & homo fieret Deus, & idem ſimul Deus & homo exiſteret vtriuſq́ naturæ proprietate ſeruata. Panis (vt dictum eſt) ex ipſa forma ſacramenti in corpus tantum Chriſti viuum tranſmutatur; & quia ſine ſanguine, et anima, & diuinitate Chriſti corpus non eſt: hæc omnia in pane conſecrato per concomitantiam eſſe dicuntur. Idem dicendū de vini in ſanguinem tranſmutatione. Quoniam non eſt verus Chriſti ſanguis ſine corpore, anima, & diuinitate; ſunt per concomitantiam propterea hæc omnia in vino conſecrato; vt qui alteram ſpeciem ſumat (quod negare, & antiquioris memoriæ, & noſtri temporis hæretici multi auſi ſunt) Chriſtum totum ſumere conuincatur. Sequitur. Plus nihil ſacerdoté ſumere ſub vtraq́ ſpecie, quàm ſumat laicus ſub altera,*

ſub

*ſub qua tantum illum communicari & concilia, & ſummorum pontificum decreta ſanxerunt: ne vel in terram aliquo caſu ſanguis Domini funderetur; vel ſi diutius vini ſpecies aſſeruaretur, aceſſeret; vel in ipſa ſumptione (cum multi vini ſaporem aut odorem perferre non poßint) aliquibus nauſea excitaretur; vel etiam ne corporis valetudini noceret; quod infirmo ſalutis cauſa, praeberetur. Vt interea mittamus, quàm multæ terrarum regiones exiſtant, quæ ſumma vini inopia laborant.*

## Admiranda nonnulla. Cap. XXI.

STVLTA *eſt quorundam hæreticorum, & damnabilis imaginatio: qui ex iam dicta tranſubſtantiatione, Chriſti ſanctißimum corpus (quod Spiritus ſancti operatione de Virgine beatiß. ſumptum eſt, in quod prædicta tranſubſtantiatio terminatur,) in cælo quotidie augeſcere, imaginati ſunt. quod quia dicere abſurdum eſt: tranſubſtantiationem negare auſi fuerunt. Verùm quàm tota errent via hoc modo demonſtrari poteſt. Si panis & vinum non in illud, quod præerat, corpus Chriſti conuerteretur, ſed in aliud, quod in cælo præexiſtenti ſingulis diebus adderetur, non conuerſus eſſet panis in eam corporis ſubſtantiam, quam verbum ſumpſit ex Virgine. Si autem in eam prorſus conuerſus eſt (vt eſſe conuerſum firmiter tenet Eccleſia, verbo Chriſti edocta & in-*

& innumeris miraculis confirmata) ut quid corpus illud augendum, per panis aut vini tranſubſtantiationē exiſtimāt? Quin potius ex iam dicta tranſubſtantiatione, corpus Chriſti totum ſimul eſſe poſſe in pluribus locis (quod eſt valde mirum, commodè intelligi poteſt. cum nihil ſit, quod implicet, ſi duo, tres, centum, mille panes, mille locis diuerſis poſiti in corpus Chriſti ſacratiſſimum ex conſecratione conuertantur, tranſubſtantienturque. quòd qua ratione panis totus in uno loco, eadem panis alter in alio, & mille in mille locis, & innumeri, in innumeris tranſubſtantiari posſint. Nec propterea ſequitur, quin corpus idem naturale, et modo naturali ſe habens, uno in loco tantum contineatur. Etenim corpus Chriſti naturale, & modo naturali ſe habens, uno tantū in loco eſt, in cælis videlicet: corpus vero Chriſti ſacramentale idem numero in multis locis in terris eſt, quoniam & ſi corpus naturale eſt, non tamen modo naturali in loco ſe habet. Species etiam illæ, quæ eedem numero ſunt, in uno loco tantum ſunt; quæ vero eedem ſunt ſpecie, in pluribus locis eſſe poſſunt. Verbum autem & diuinitas eadem numero, in locis omnibus eſt: quia ubiq; eſt. Admirandum eſt etiam, quòd panis, & vini accidentia in altari ſine ſubiecto exiſtere perſeuerent. Etenim cum ſint accidentia panis & vini, panis vero & vinum iam eſſe deſierint, non migrent autem accidentia de ſubiecto in ſubiectum, perſtare illa ſine ſubiecto neceſſarium eſt. Sunt, qui dicunt, quantitatem quidem eſſe ſine ſubie-

*ſto, alia vero accidentia colorem, ſaporem, &c. quantitati inhærere. Non deſunt, qui dicant eſſe omnia in aere, ut in ſubiecto. ſed eiuſmodi omnes modi dicendi inanes sũt. primus quia quantitas ipſa accidens eſt, & ſicut eſt illa ſine ſubiecto, cur non & color, & ſapor ſine ſubiecto eſſe poterunt? Secundus axiomati illi aduerſatur. Accidentia non migrant. Mirum eſt etiam. quód ſub illis accidentibus ſit corpus Chriſti in ea quantitate, qua nunc eſt in cælo, & olim fuit in cruce; nõ tamen eodem modo (dixerim) quantitatiuo. Mirum etiam eſt, quód ſub qualibet panis ſpeciei portiuncula, & vini guttula, modo ſenſu percipi illa poßit, totum exiſtet corpus Chriſti; quod nec tangitur à ſacerdote, nec videtur. Illud etiam, quòd Chriſtus in vltima cæna, in hoc ſacramento, ſeipſum portauerit, & à ſeipſo portatus fuerit, & ſeipſum porrexerit, & à ſeipſo porrectus fuerit. An porrexerit autem corpus mortale vel immortale, paßibile vel impaßibile, quæſtio curioſa magis, quàm vtilis eſſe videtur. Ad quam Vgonis Victorini reſpõſio (lib. 2. de Sacr. par. 8. cap. 3.) mihi ſatisfacit. quæ eſt.* Ego in eiuſmodi, ſicut & in alijs profeſſus ſum; diuina ſecreta magis veneranda, quàm diſcutienda eſſe cenſeo. Simplicitati fidei hoc ſufficere puto; ſi dicimus, tale dedit, quale voluit: quia omnipotens erat. Et rurſum quale dedit ipſe nouit: quia ſapientia erat; & non potuit ignorare quod fecit. Qui non dicit, mortale dedit; ne

videatur

videatur dicere contra ſacramenti dignitatem: nec dicit, immortale dedit, ne æſtimetur credere contra eam, quæ in Chriſto ante reſurrectionem fuit mortalis corporis veritaté. propter hoc fortaſsis melius eſt; vt neutrum definire preſumamus; quamuis alterum feciſſe credamus. *Inclinat (vt eius literam legenti manifeſtum eſſe poteſt) ad eam partem Vgo, vt illud dederit impaſsibile, & immortale. Magiſter (diſt. 11. quarti in fine) ad partem oppoſitam inclinare videtur, inquiens.* Corpus tale dedit (*Chriſtus*) quale tunc habuit, id eſt mortale, & paſsibile; nunc vero ſumitur à nobis immortale & impaſsibile. nec tamen maiorem habet efficaciam. *Sentiat quiuis, vt libet, modo diuinæ omnipotentiæ (per quam vtroque modo porrigere ſe Chriſtus potuit) nihil deroget; nihilque de ea indignum cum pertinacia ſentiat.*

## De miniſtro. Cap. XXII.

SOLIS *Sacerdotibus eſt data poteſtas, vt ſacram Euchariſtiam conficiant, & eam fidelibus populis diſtribuant. Mos ille in Eccleſia ſemper ſeruatus eſt: vt fidelibus populis per ſacerdotum manus ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſacramenta adminiſtrentur. Et, qui, per laicum miniſtrabant præsbyteri (diſt. 2. de Conſecr. cap.* Peruenit. *) puniuntur.*

*Verum eſt, quòd quibuſdam temporibus, & locis, in quibus ſub vtraq; ſpecie populus communicabat, diaconi ſanguinem porrigebant in calice, non dominicum corpus. Inſtante neceſſitate ſacroſanctum Domini corpus diaconus porrigere quidem poteſt; conficere autem nequaquam. Durandus aſſirmat ſe vidiſſe, Papa celebrante, Cardinalem Diaconũ alijs clericis dominicum corpus diſtribuiſſe. Malus ſacerdos, communi patrum conſenſu, qui intus ſit nomine, & ſacramento, & ſi non vita, id eſt moribus ſuo ſtatui congruentibus non vtatur, conſecrat: quia non in merito conſecrantis, ſed in uerbo conficitur creatoris: & virtute Spiritusſancti. Siue ergo per bonos, ſiue per malos miniſtros, intra Eccleſiam diſpenſetur, ſacramentum eſt; quia Spiritusſanctus viuificat; nec bonorum diſpenſatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Contra donatiſtas, qui malum ſacerdotem conficere, & malum hominem ſacramentum recipere negabãt, multa ſcripſit S. Auguſt. Non eſt negandum; quin & ſi quantum ad ſacramentum, nulla eſt inter bonum & malum ſacerdotem, in miſſæ celebratione differentia; quantum tamen ad orationes, quas, non publico totius Eccleſiæ, ſed priuato et ſuæ perſonæ nomine fundit, multa differentia eſſe poßit. Tradunt etiam patres aliquot aſtantium & deuotionem, & numerũ ad miſſæ valorem aliquid facere, vt vbi aſtant plures, ibi ualor ſit amplior. Etenim in Canone dicimus.* Pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt. *Mali ſacerdotes,*

qui

*qui extra Eccleſiam ſunt, vt ſunt hæretici, excommunicati, & degradati an conficiant, eſt dubitatio. Magiſter ( lib. 4. diſt. 13.) negatiuam partem, Sanctum Cyprianum ſequutus, aſſeruit. patres alij fermè omnes affirmatiuam tuentur. quòd caracter in ordine ſacerdotali receptus, cui conſecrandi poteſtas innititur, ſit indelebilis penitus. cuius rei indicium minime obſcurum eſt; quòd iſti, ſi reſipiſcant, & ad Eccleſiæ gremium redeant, non ſunt iterum ordinandi. Vnde lib. de corpore Chriſti S. Auguſt. inquit.* In myſterijs corporis, & ſanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur. *An autem ab eis miſſam audire, & ſacramenta recipere liceat. S. Doctor Thomas ( tertia parte. quæſt. 82. art. 8.) non licere aſſeruit: ſi publicè ſuſpenſi ſunt. Concordat Canon diſt. 23. cap.* Nullus. *in quo legitur.* Nullus audiat miſſam ſi ſacerdos, quem indubitanter nouit, habeat concubinam. *Commendat ( lib. quarto Dialog.) S. Gregorius filium Hiſpaniæ Regis Hermengildum; & martyrem illum appellat: qui magis quàm ab Arriano Epiſcopo Euchariſtiam ſumere, à patre interfici paſſus eſt. Si autem illi notorij nō ſint, aut ab Eccleſia tolerati fuerint, illos, & illorum ſacramenta non tenemur quidem euitare; poſſumus autem ( ſi nos etiam occulte eorum cenſuras, aut peccata nouerimus) ad verecundiam illis incutiendam, quo citius ſe colligant, & in bonam frugem conuertantur. Ad tantum ſacramentum non niſi*

*præparati accedant. primùm cæleſtem hunc panem à communi diſcernant, atq; ( vt ait Apoſt.)* diiudicent: *mox conſcientiam ſuam diligenter perſcrutentur: & ſi mortali vulnere ſauciatos ſe eſſe cognoſcant; ad contritionis prius, deinde confeßionis medelam, & ſatisfactionis confugiant. Ieiuni ( niſi aliter neceßitas conſulat ) ſumant. Et ſi matrimonio iuncti ſunt, aliquot dies & noctes tres ſaltem ( de Conſ. diſt. 2. cap. Omnis homo) à concubitu, ob tanti ſacramenti reuerentiam abſtineant. ita (lib. 1. Reg. cap. 21.) Achimelech ſacerdote, ad Dauid panes quinque poſtulantem, dicente.* Non habeo laicos panes ad manum, ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maxime à mulieribus.

## De inſtitutione Sacramenti. Cap. XXIII.

CONSENTIVNT *patres omnes inſtitutum fuiſſe hoc ſacramentum à Chriſto in cœna vltima: quam cum diſcipulis ſuis habuit ( de qua Matth. 26, Mar. 14, Luc. 22, Io. 13.) quando poſt agnum typicum, & vetere paſcha te impleto, nouum paſcha in agno vero cum diſcipulis celebrauit; corpuſque ſuum & ſanguinem, & ipſe ſumpſit, & diſcipulis ſuis ſumendum tradidit; ablutis prius pedibus diſcipulorum ſuorum; quo mundi eſſent, ad tanti ſacramenti perceptionem.*

ceptionem. *Cauſa inſtitutionis ab Euſebio Emiſeno redditur.* Quia corpus (*inquit*) aſſumptum ablaturus erat Dominus ab oculis, & illaturus ſyderibus; neceſſe erat, vt die cœnę ſacramentum nobis corporis & ſanguinis conſecraret; vt coleretur iugiter per myſterium; quod ſemel offerebatur in precium. *Inquit Magiſter.* In augmentum charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis, inſtitutum eſt hoc ſacramentum. *Trifariam hoc ſacramentum ſumi poteſt. Vno modo ſacramentaliter tantum; quando ſacramentum tantum ſumitur, non autem res ſacramenti recipitur, et gratia, vt ſumunt illi, qui exitiali aliquo crimine onuſti, ſine pœnitentia, ad ſacram menſam accedere audent. de quibus* (*1. Cor. 11.*) *Apoſt.* Quicunq; manducauerit panẽ hunc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & ſanguinis Domini. Qui enim mã ducat, & bibit indignè, iudicium ſibi manducat, & bibit, non dijudicans corpus Domini. *Hinc colligas hoc ſacramento non remitti mortalia, quia cibus eſt: cibus autem viuis non mortuis exhibetur. Mortui ſunt, qui mortali ſine dolore premuntur crimine. Illi propterea non ad remiſſionem, ſed ad iudicium ſibi manducant, & bibunt. Alio modo ſpiritualiter tantum, quo gratia recipitur, & res ſacramenti, non autem ipſum ſacramentum: ad quem modum ſumunt illi, quos neceſſitatas non voluntas ab ipſa ſacramenti*

*menti perceptione excludit. de eiuſmodi ſumptione (tract. 25. ſuper Ioan.) S. Auguſt. inquit.* Vt quid paras ventrem & dentem? crede, & manducaſti. *Et alibi.* Nulli ambigendum eſt, tunc quemq; corporis & ſanguinis Domini participem fieri: quando Chriſti membrum efficitur: nec alienari ab illius panis caliciſque conſortio; etiam ſi antequam illum panem edat, & calicem bibat, de hoc ſeculo, in vnitate corporis Chriſti conſtitutus abſcedat: qui illius ſacramenti beneficio non priuatur: quando ille habere hoc, quod illud ſacramentũ ſignat, inuenitur. *Et in lib. de Verbis Domini.* Quid eſt Chriſtum manducare? Non eſt hoc ſolum in ſacramento corpus eius accipere (multi enim indignè accipiunt) ſed in ipſo manere; & ipſum in ſe manentem habere. *Tertio modo & ſacramentaliter & ſpiritualiter recipitur. Hoc modo à bonis ad iſtud ſacramentum accedentibus, ſumitur; quia & ſacramentum ſumunt, & ſacramentalem gratiam recipiunt. A Iuda proditore ſumptum eſt primo modo ſacramentũ; à ceteris Apoſtolis tertio modo. Sed cum & ipſe Dom. Ieſus Chriſtus ſumpſerit ſacramentum. Ait enim Dominus (Matth. 26.)* Deſiderio deſideraui manducare hoc Paſcha vobiſcum. *quæ verba minime ad agnum typicum, ſed ad verum, qui ipſemet eſt, referenda ſunt: quo modo ſacramen-*

*tum iſtud ſumpſiſſe Chriſtum dicemus? Non primo, quòd ille ſit malorum modus; non ſecundo, cum illud ſacramentaliter (vt ex Euangelio patuit) ſumpſerit: non tertio modo, quia non egebat gratia, cum ipſe eſſet Chriſtus id eſt Deus & homo. Dicerem (ſine præiudicio rectioris ſententiæ) ſumpſiſſe illum primo modo. qui quidem modus & malis contingit, qui ſunt ſine gratia; & ipſi Chriſto, qui plenus eſt gratia; ſed multo aliter. Illis modus ille ſumendi conuenit ex defectu & imperfectione: Chriſto ex ſumma eius perfectione. Exemplo res declaratur. Eſſe incognitum, tradunt philoſophi, & primæ materiæ conuenire, quæ pura potentia eſt, & ipſi Deo, qui eſt actus puriſſimus. hic per excellentiæ exceſſum incognitus eſt; illa, per priuationis formarum omnium nimiam deformitatem.*

## De eodem Sacramento alia. Cap. XXIIII.

PLVRA *in hoc ſacramento ſunt, quæ ſacramenti nomine communiter appellantur, conſecratio, perceptio, corpus, quod in Euchariſtia continetur, & quod ſæpius pro infirmis in pixide ſeruatur, ſed in primis panis & vini ſpecies ſacramenti rationem obtinent, & ſacramentum propriè vocitantur. Sunt namq; viſibilia ſigna inuiſibilis gratiæ. Tria illa de quibus quarto capite notando 3. ſuperius dictum eſt, multò*

*multò quàm in quocumque alio, in hoc ſacramento expreßius ſignificantur. Ad hæc tria, verba illa Domini referre poſſumus.* Hoc facite in meam commemorationem. *Ipſe namque paſſus eſt, ipſe eſt gratia, ipſe eſt gloria noſtra.* Huius ſacramenti (*inquit Mag. lib. 4. diſt. 8.*) gemina res eſt. vna & contenta, & ſignificata; altera ſignificata tantum non contenta. Res contenta & ſignificata eſt caro Chriſti; quam ille de Virgine traxit; & ſanguis, quem pro nobis effudit. Res autem ſignificata, & non contenta eſt vnitas Eccleſiæ in prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis, & glorificatis. Hæc eſt duplex caro Chriſti & ſanguis. *Hæc ille. Res contenta eſt corpus Chriſti verum; res non contenta & ſignificata, dicitur corpus Chriſti myſticum. In quo ſecundum Apoſtolum (Rom. 11. Et 1. Cor. 11. Et Coloß. 3. & alibi) omnes fideles ſunt vnum corpus; ſinguli autem alter alterius membra. Et paucis interpoſitis ſubdit idē Magiſter.* Sacramentum & non res, eſt ſpecies viſibilis panis & vini. Sacramentum & res, caro Chriſti propria, & ſanguis. Res & non ſacramentum, myſtica eius caro. porro illa ſpecies viſibilis, ſacramentum eſt geminæ rei; quia vtramq; rem ſignificat, & vtriuſque rei ſimilitudinem gerit expreſſam. *Hanc ſimilitudinem primò in carne vera, deinde in carne myſtica declarat idem Magiſter. priorem*

*ſimilitu-*

*ſimilitudinem ita explicat.* Nam ſicut panis præceteris cibis corpus reficit, & ſuſtentat; & vinum hominem lætificat, & inebriat. Sic caro Chriſti interiorem hominem plus cæteris gratijs ſpiritualiter reficit, & ſaginat. Vnde (*ps. 22.*) Calix meus inebrians quàm præclarus eſt. *Alteram hijs verbis manifeſtat.* Habet etiam ſimilitudinem cum re myſtica; quæ eſt vnitas fidelium; quia ſicut ex multis granis vnus panis conficitur, & ex pluribus acinis vinum in vnum confluit; ſic ex multis fidelium perſonis vnitas eccleſiaſtica conſtat. *Sumpſit iſta Magiſter ab Auguſtino (vt ipſemet teſtatus eſt ibidē) qui dixit.* Vnus panis, & vnum corpus Eccleſia dicitur; pro eo quòd ſicut panis ex multis granis, vnum corpus ex multis membris componitur; ſic Eccleſia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur.

## Hoc Sacramentum, ſacrificium etiam dicitur. Cap. XXV.

H*VIC vni ſacramento proprium eſt, & ſacramentum & ſacrificium eſſe. Porrò Deo patri ſeipſum bis obtulit Chriſtus, ſemel cruentè in cruce, ſemel incruentè in vltima cœna. Cruenta oblatio non repetitur.* (*1. pet. 3.*) Chri-

ſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt. *Et Paul. (ad Hebr. 7.)* Hoc fecit (*Chriſtus*) ſemel ſe offerẽdo. *Et (cap. 9)* Per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta. *Incruenta per ſacerdotum manus in memoriam oblationis cruentæ ad charitatis augmentum, & infirmitatis noſtræ remedium, quotidie iteratur. Hoc eſt ſacrificium, de quo (Malachiæ cap. 1.) legitur.* Ab ortu ſolis vſque ad occaſum, magnum eſt nomen meum in gentibus; & in omni loco ſacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. *Hoc ſacrificio, æternus pater noſtris ſceleribus offenſus placatur, & ab ira ad miſericordiam traducitur: Vnde propitiatorium dicitur. Sacramẽtum conſecratione perficitur, ſacrificium oblatione. In eo nãq; ſacrificium eſt, vt offeratur. In pixide ſacramentum eſt tantum, in miſſæ oblatione & ſacramentum eſt, & ſacrificium. Sacramentum merendi, ſacrificium & merendi nobis cauſã affert, & ſatisfaciendi. Et de ſanctiſſimo iſto ſacramento hactenus.*

## De Sacramento pœnitentiæ. Cap. XXVI.

CONIVNGIT *nos Deo, atq; Chriſto incorporat baptiſmus; in ipſa incorporatione roborat confirmatio; in robore nutrit Euchariſtia; quæ ſenſum voluntati voluntatem*

*rationi, rationem Deo cum charitate ſubiectam tenet. At ſenſus ſenſuumq́ illecebra à ratione, atque à Deo ipſo & ſaluatore noſtro Ieſu Chriſto, cuius membrum eramus, ſæpe nos longius abducit; ad quem, ſemel ab eo per peccatum elongati, vt denuo accedamus, & eidem per gratiã appropinquemus, neceſſaria nobis eſt commiſſi mali & peccati pœnitentia; ab ipſa propterea (Matth. 3.) prædicationem ſuam incœpit Ioãnes dicens* Pœnitentiam agite, appropinquabit regnum cœlorum. *De ipſa nunc à nobis agendum eſt. Nõ eſt autem dubitandum illam eſſe ſacramentum: tum quia inſtituta eſt ad peccatorum actualium, et maximè mortaliũ remiſſionem, quæ fit per gratiam; tum quia illa, quæ per pœnitentiam impertitur, gratia habet ſignum ſenſibile, actus pœnitentis, & verba ſacerdotis abſoluentis: tum quia ita eſt ab Eccleſia definitum, & in Concilio Florentino ſub Eugen. iiij. Et in alijs multis, quæ prætermitto; et Extra de hæreticis cap.* Ad abolendam; *& demum in Trid. Synodo (Seſſ. 14. can. 1.) Eſt autem ſacramentum iſtud inſtitutũ pro fidelibus (quoties poſt baptiſmum in peccata illi labantur) ipſi Deo reconciliandis. Dicitur pœnitentia tabula ſecunda à D. Hieronymo: quia prima tabula baptiſmus eſt. Prima tabula, à peccati originalis ruina hoc eſt ab vniuerſali, omniũ hominum excidio & naufragio, nos potiſſimum eripit; tabula ſecunda ab actualis peccati noſtri morte, hoc eſt à particulari naufragio ſinguli nos euadimus. Sunt autem baptiſmus*

& pœnitentia tabulæ appellata, ſumpta metaphora ex naufragio, in quo, qui poteſt, tabulam apprehendit, cui corporalis ſalutis ſpes tunc vniuerſa innititur. Pœnitentiã, vt ſæpius per culpam labimur, ſæpius ad Deum recurrimus. Licet homini ſæpe pœnitere, non licet ſæpe baptizari. Eſt pœnitentiã ſecundum Ambroſium, Mala præterita plangere; & plangenda iterum non committere. *Idem voluit S. Gregorius cum dixit.* Pœnitere eſt ante acta peccata deflere; & deflenda non committere. *Quamobrem duo actus (vt ex diffinitione colligi poteſt) ad pœnitentiam requiruntur. Vnus, præteritum reſpicit; qui eſt, iam commiſſa deflere. alter futurum; qui eſt, deflenda iterum non committere poteſt addi tertius præſens, facto peccatum deſerere. primus, & tertius actus ſunt in re, ſecundus in propoſito. Pœnitentia multis modis à patribus diuiditur. Vna diuiſio eſt, quòd pœnitentia eſt duplex interior, & exterior. Altera diuiſio. pœnitentia duplex virtus & ſacramentum. Interior pœnitentia virtus dicitur: & eſt de iure naturali: & fuit ante baptiſmum, ab Adamo & Eua. Exterior eſt ſacramẽtum, vel tantum ſignificans; vt quæ peccatorum à patribus per aliqua ſacrificia expiationes fiebant: vel gratiam etiam conferens; vt quod in Eccleſia Chriſti hodie fideles vtuntur, quod non niſi poſt baptiſmum, quatenus ſacramentum eſt gratiam conferens, habuit vſum. exterior interiorem ſupponit. Eſt tertia diuiſio. pœnitentia eſt triplex, ſecreta, publica,* 

*ſolemnis. Prima quottidie in Eccleſia ſecretè coram ſacerdote exercetur. Secũda eſt qualis in canone illi taxatur, qui Dei, vel Mariæ Virginis, vel Sanctorum cuiuſpiã nomen blaſphemauerit; quæ eſt vt, inter alia, ſeptem dominicis diebus ante fores Eccleſiæ nudis pedibus quouſque miſſa cantata fuerit exiſtat. & aliæ multæ. Tertia quæ ſolemnis dicitur; quã iterare nõn licebat, per Epiſcopum in quarta feria cinerum pro publicis, et enormiſſimis criminibus indicebatur. Sed iſta iam in deſuetudinem abijt. Eſt etiam quarta pœnitentiæ diuiſio; quia alia mortalium peccatorum, alia venialium pœnitentia eſt; de quibus dicendum erit. Et mortalium alia ante baptiſmum, alia poſt baptiſmum. poſſumus etiam quintam addere pœnitentiæ diſtinctionem, quia alia eſt pœnitẽtia Dei, alia hominis. legimus. (Gen. 6.) dixiſſe Deum* Pœnitet me feciſſe hominem. *Et (1. Reg. 15.)* Pœnitet me, quód Saùl Regem conſtituerim. *Sed Dei pœnitentia alterius prorſus ordinis, & rationis eſt. & Dei effectum quendam tantum indicat, non affectum. in nobis ſanè affectũ ſignificat, hic eſt de aliquo à nobis patrato errore diſplicentia. ſed et alijs modis ſumitur uox hæc pœnitentia. Nobis autem de ea pœnitentia tantum, quæ ſacramentum eſt nou. legis, futurus eſt ſermo: de qua tractaturi, eius materiam, formam, inſtitutionem, miniſtrum, rem, ac ſacramentum & rem denique conſiderabimus.*

De

## De contritione. Cap. XXVII.

IN *quolibet ſacramento (vt ſuperius ſemel atque iterum dictum eſt) eſt ſua materia, ſenſibile elementum, quæ ſimul cum forma hoc eſt, cum verbo præſcripto, ſignum, & effectiua aliquo modo cauſa eſt inſenſibilis gratiæ. Sed in aliquibus ſacramentis materia eſt res & ſubſtantia quædam, ab eo, qui ſacramentum recipit, extrinſeca atque diſtincta, vt aqua, oleum, panis, & eiuſmodi; in aliquibus autem non eſt ſubſtantia aut res aliqua extrinſeca, & ab eo diſtincta, qui ſacramentum recipere dicitur; ſed áctio aliqua eius; vt in pœnitentia, & in matrimonio. In pœnitentia tres actus pœnitentis tanquam materia ſacramenti ſunt, & elementum sẽſibile, contritio, confeßio, & ſatisfactio; quibus (vt fiat ſacramentum) neceſſe eſt accedat forma, id eſt ſacerdotis verbũ: quod communiter abſolutio dicitur. De ijs quattuor igitur contritione, confeßione, ſatisfactione, & abſolutione quàm breuiter vt dicamus, locus expoſtulat. Contritio à patribus ita diffinitur.* Contritio eſt dolor pro peccatis voluntariè aſſumptus, cum propoſito confitendi, & ſatis faciendi. *Dicitur [eſt dolor.] Dolor duplex eſt, ſenſus, & mentis; contritio propriè ſenſus dolor non eſt, quòd contritio ſemper ſit voluntaria; non ſic dolor ſenſus: & ſi quandoq; adeo vehemens dolor contritio eſt; vt ſenſus dolor eſſe videatur;*

*tur: quòd ab oculis lachrymas eliciat. Dolor contritionis ex Dei amore, & commiſſi peccati diſplicentia ortum du cit. Sequitur in diffinitione* [ cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi. ] *quoniam ex tribus illis ante, enume ratis actibus, qui ſunt contritio, confeſſio, & ſatisfactio, pœni tentia ita conſtat; vt vno dempto, & amoto, non ſit ampli us pœnitentia: quòd ex illis tribus, tanquam ex integrantibus partibus, (ſicut ex capite, pectore, & pedibus animal) pœni tentia conſiſtat, cuius rei diuerſæ à patribus ratiunculæ afferri ſolent. Vna, quòd pœnitentia ſit veluti quoddam ſpontaneum iudicium. Iudicium autem citatione, confeſſione, & pœna, abſoluitur. Citatio eſt contritio; ſequitur confeſſio, ex qua, vt in ſeculari iudicio peccator condemnatur, ita in iſto miſericordiæ iudicio abſoluitur. Peccatum namque, quod de induſtria retinetur, non ſolum non remittitur, ſed aliorum re miſſioni impedimentum preſtat. Eſt tertio demum ſatisfactio, pœna; qua & ſi ligari peccator videtur, dum tamen ligatur, ſoluitur. Altera ratio eſt, quòd pœnitentia ſit veluti quædam inter Deum & hominem iuſtitia; (quamuis inter eos propria iuſtitiæ ratio, ex lib. 5. Eth. eſſe non poteſt) Deũ trifariam nos homines offendimus, cogitatione, verbo, & opere; æquum propterea eſt; vt offenſam animo peccator deteſtetur; verbo accuſet; & opere aliquo puniat. peccati punitio à confeſſore iniuncta, atque confeſſio poteſt eſſe temporanea; ſed eius deteſtatio debet eſſe perpetua, ſi non actu, ſaltẽ*

*habitu;*

## De Confeſsione. Cap. XXVIII.

ALTERA *pars integrans pœnitentiam eſt confeßio pec catorum : quam patres vnanimi conſenſu ita diffiniũt ſiue circunſcribunt.* Confeſsio eſt legitima coram ſacerdote claues Eccleſiæ habente peccatorum accuſatio, per quam latens morbus ſpe veniæ aperitur. *Sciendum confeßionem eſſe triplicem mentalem vnã, quæ eſt peccati in corde coram Deo recognitio : quæ quia de lege naturali eſt, omnibus temporibus poſt Adæ peccatum apud homines locum habuit: cerimonialem alteram, quæ in lege Moyſi oblationibus vel ſacrificijs abſoluitur, & illis uarijs pro peccatorum varietate. Lege librum Leuitici, et Numeri; tertiam ſacramentalem, quam diffinimus; & paucis ita eam explicabimus. Dicitur* (Legitima peccatorum accuſatio) *primò, quia non aliqua, ſed omnia mortalia, quorum (præmiſſa diligenti inquiſitione) habeatur memoria, explicanda ſunt, & accuſanda; ſecundo quia ita enumeranda ſunt, non quaſi rem geſtam otioſis auditoribus exponamus; ſed vt ea in nobis ex ſacerdotis iudicio quaſi vindicare cupiamus; tertiò quia ita recenſenda peccata ſunt; vt eorum circumſtantias etiam, quæ vel in aliud genus peccatũ trahunt, vel in eodem genere multum aggrauant, confiteri ſit neceſſarium. Circumſtantias tribus ijs verſiculis ſij aliquot*

*patres exprimere conati ſunt.*

Aggrauat ordo, locus, mora, cauſa, ſcientia, tēpus.
Lucta puſilla, modus culpæ, genus, & ſtatus altus
Conditio, numerus, ætas, & ſcandala, ſexus.

*Sed & alia multa ad legitimam peccatorum accuſationem, & confeßionem requiruntur; quæ à neſcio quibuſdam pijs viris ijs quattuor verſibus indicantur.*

Sit ſimplex, humilis confeſsio, pura, fidelis,
Vera, frequens, nuda, diſcreta, libens, verecunda.
Integra, ſecreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſit parere parata.

*Singulas autem ſiue peccati circunſtantias, ſiue confeßionis conditiones fuſius declarare, non opus nunc eſt; cum pluſquam à mille alijs per libellulos ſuos ſint iſta abundè declarata. Dicitur in diffinitione* ( coràm ſacerdote ) *quia & ſi Deo, corde, vbi qui peccata audiat, hominum nemo nobis occurrat; aut diacono vbi ſacerdos, aut etiam laico, vbi nullus ſacerdos, vel diaconus haberi poßit, confiteri, inſtante mortis articulo, liceat; vbi tamen ſacerdotis exiſtat copia, non licet laico, aut diacono, nec ſufficit Deo ſoli confiteri. Pœnitens verè non eſt; qui ſacerdotis non requirit iudicium. Sanè ſacerdotis examen ſtudioſè requirendum eſt. quia ligandi poteſtas atq; ſoluendi ſacerdotibus ſolis à Chriſto conceſſa eſt, confeßio illa propterea, quæ laico inſtante neceßitate fit, aut alij quàm ſacerdoti, ſacramentali abſolutione caret.*

In

## In confeſsione aduertenda nonnulla. Cap. XXIX.

SVNT *circa confeßionem nonnulla, præter ea quæ dicta ſunt, aduertenda. Unum. confeßionem ad ſalutem adulto eſſe neceſſariã. cap.* Omnis vtriusq; ſexus. *Et in Syn. Trident. (ſeſſ. 14. can. 6.)*

*Alterum. Quemadmodum in morbo principijs obſtandum eſt: ita patrato peccato, non eſt confeßionis diſtrahenda medicina. Verum eſt tamen, quoſdam illius eſſe opinionis, vt confeßionis præceptum, non obliget (quantum ſit ex parte Dei) niſi ſemel in vita, inſtante videlicet neceßitate, ſiue mortis periculo. Nec multum vrget, quod aliqui obijciunt, ſcilicet non poſſe nos, ſi diutius vixerimus, omnium peccatorum reminiſci. ſatis namque tunc eſſet, ea in confeßione cum dolore enumerare, quorum memoriam haberemus; ad reliqua uero confeßio generalis cum intima pœnitentia ſufficeret.*

*Tertium. Eccleſiam (Extra de Pœnit. & rem. cap.* Omnis vtriuſque ſexus. *) ſtatuiſſe; vt ſaltem ſemel in anno, hoc eſt in paſchate quilibet confiteatur, & communicet: & decreuiſſe; vt qui ſine rationabili cauſa in paſchate, aut ſaltem in anno ſemel confiteri neglexerit, & communicare; et viuens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens eccleſiaſtica careat ſepultura.*

*MM ij Quar*

*Quartum. & ſi extrauagans citata de confeßione, & communione in paſchate facienda loquitur; multo tamen for taſſe ſatius foret; ſi in quarta feria Cinerum (quod alicubi fuiſſe ſtatutum, alias me legiſſe memini) peccata ſua quilibet cõfiteretur. Ieiunium enim confeſſo multo plus ad veniam peccatorum prodeſſet quadrageſimale. Simpliciter autem, quo fuerit confeßio frequentior, eo ſecurior erit, ac ſalubrior.*

*Quintum. peccator coràm peccata ſua, ore proprio ſacerdoti accuſare tenetur; non per nutus, non per ſcripturam, non per nuncium, non per interpretem. Si tamen pœnitens mutus eſt, poteſt præſens per nutus; ſi linguam ignorat, poteſt præſens per interpretem; ſi caſu vocem amiſerit, poteſt præſens per ſcripturam: quæ ſtatim poſt confeßionem delenda eſt; ne quod Deus in perpetuum tegit, detegat aliquando ſcriptura ipſa. Sanè ſecreta adeò eſſe debet confeßio; vt ſacerdos, qui eam, abſque confitentis licentia, reuelauerit; perpetuo carceri, aut perpetuæ peregrinationi, à ſacramentorum adminiſtratione ſuſpenſus, tanquam infamis adiudicandus veniat.*

## De ſatisfactione. Cap. XXX.

TERTIA *integralis pars pœnitentiæ ſatisfactio dicitur. quæ à patribus ita diffinitur.* Satisfactio eſt compenſatio offenſę ad æqualitatem iuſtitiæ. *Vel alijs verbis.* Satiſfactio eſt rei debitæ integra ſolutio. *A nobis*

*nobis autem peccatorum noſtrorum debita Deo perſolui modo aliquo non poſſent: ſi Dei miſericordia, & ſanguis Chriſti (precium Deo pro nobis in cruce ſolutum) tam graui nos debito non liberaret. Quamobrem ad Paulam, & Euſtachium, D. Hieron. in regula inquit.* Sed ſi forte de reſtituendo debitum, confidis; ò te fatuum. nam pro minimo quoq; delicto non habent, vnde reſtituant ſimul homines vniuerſi; niſi ipſe idem velit remittere; cui facienda eſt reſtitutio *Et (1. Ioan. 1.) legimus.* Ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum; ſed etiam pro totius mundi. *Et (ad Coloſ. 2.) Apoſtolus.* Et vos, cum mortui eſſetis in delicijs, & præputio carnis veſtræ, conuiuificauerit cum illo: donâs vobis omnia delicta; delens, quod aduerſus nos erat, chirographum decreti: quod erat contrarium nobis: & ipſum tulit de medio, affigens illud cruci. *Et (1. Pet. 2.)* Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum; vt peccatis mortui, iuſtitiæ viuamus; cuius liuore ſanati eſtis. *Cum igitur pro peccatis noſtris ſine Chriſto facere ſatis nos nequeamus: cum Chriſto autem, ſine gratia nos gratos faciente, eſſe nos minime poſſimus, ſequitur; ut in ſatisfaciente omnino requiratur gratia: quæ noſtris meritis (ſi aliqua adſunt) Chriſti merita apponat; ſine quibus merita noſtra, merita eſſe non poſſunt.*

*poſſunt. Nec tamen interea eorum opinionem improbamus; qui ſatisfactionem à confeſſario iniunctam (ſi dum fit, mortale interrepſerit) adueniente charitate valere affirmauerunt. Vt ſicut confeſſio (quæ per ſubſequens mortale peccatũ mortua fuerat) per aduenientem charitatem, reuiuiſcit, et valet; ita ſatisfactio reuiuiſcat, & valeat: cum vtraque ſit pars ſacramenti. Satisfactio trifariàm fieri poteſt, oratione, ieiunio, & eleemoſyna. orationis humilitate, à ſuperbia vitæ; ieiunij maceratione, à carnis concupiſcentia: eleemoſynarum largitione, ab oculorum cupiditate abducimur, atque euocamur.* Omne autem (*1. Ioan. 2*) quod eſt in mũdo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ. *Si quæ vero alia ſunt opera ſatisfactoria, vt alia multa ſunt; ad hæc tria à patribus rediguntur. Rationabili impedimento adueniente poteſt alius pro alio ſatisfacere. vt videmus ſæpius in temporalium debitorum ſolutione atque ſatisfactione. Iſtud (ad Coloſſ. cap. 1.) ſignificauit Apoſt. cum inquit.* Nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis; & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore eius, quod eſt Eccleſia.

*Adde, tàm ex hoc loco, quàm ex epiſt. ad Rom. 12 & ad Epheſ. 8. & alibi, Omnes vnius myſtici corporis (quod eſt Eccleſia) membra nos eſſe, in fide Ieſu Chriſti. At eiuſdem corporis membra ſibi inuicem auxiliantur. (ad Gal. 6)*

Alter

Alter alterius onera portare, & ſic adimplebitis legem Chriſti. *cum multa ad ſatisfactionem faciant, illud in primis fuerit; quod Auguſtinus inquit.* Satisfactio pœnitentiæ eſt peccatorum cauſas excidere, nec ſuggeſtionibus eorum adytum indulgere. *Et de partibus pœnitentiam integrantibus, quæ materiæ locum tenere dicuntur, hactenus. Non eſt interea ſilentio prætereundum, ipſa etiam peccata à multis patribus pœnitentiæ materiam dici; & ſuper pœnitentiam delentur. Nam ligna, et ſi corrumpuntur ab igne, ignis nihilominus materia dicuntur: peccata (inquam) in vniuerſum, pœnitentiæ in vniuerſum materia ſunt. peccata autem cuiuſque propria, ſunt propriæ cuiuſque pœnitentiæ materia. Non enim aut aliena peccata, aut peccata, quæ non commiſit, confiteri debet pœnitens; illud iniquum eſt, hoc autem non æquum; & ſe maculat, qui hoc facit, dum ſe purgare conatur.*

## De miniſtro. Cap. XXXI.

S*ACRAMENTI pœnitentiæ miniſter ordinarius eſt ſolus ſacerdos, imminente autem (vt dictum eſt) neceſſitate, laicus eſſe poteſt.* Tanta vis (*inquit Auguſtinus lib. de pœnit. cap. 10.*) cõfeſsionis eſt; vt ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo. *Et Venerab. Beda differens illud Iac. 5.* [ Confitemini alterutrũ peccata veſtra ]

*inquit*

*inquit.* Sed & grauiora peccata coæqualibus pandenda ſunt; cum deeſt ſacerdos, & vrget periculum. *per coæquales autem laicos intellexit.*

## De Inſtitutione. Cap. XXXII.

INſtitutum *eſt hoc ſacramentum à Chriſto, quando (Ioannis cap. 20.) Dominus inſufflauit, & dixit Apoſtolis.* Accipite Spiritum ſanctum; quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt. *quo loci peccatorum iudices conſtituit Apoſtolos Dominus. & per conſequentiam, eorum ſucceſſores: qui, in hac cauſa non ſunt Epiſcopi tantum, ſed vniuersè ſacerdotes ſunt. Iudex ignota cauſa ſententiam ritè ferre non poteſt.* Iudiciaria poteſtas (*inquit de vera & falſa pœnit. cap. 20. S. Auguſtinus.*) hoc poſtulat; vt, quod debet iudicare, diſcernat. *at peccata tua quomodo diſcernet ſacerdos; ſi tu illa non ei confitearis?*

*Adde, Tantum pondus, quantum eſt, ſecreta crimina, (quorum ne Deum quidem cognitorem vellemus: & ad quæ ſolis radium, ſi potuimus, non admiſimus) ignoto homini vltrò propalare; non potuit homini, à puro homine imponi; cum præſertim ad animarum ſalutem eiuſmodi manifeſtatio pertineat; animæ vero ſalutem ſolus Deus preſtare poßit. neceſſarium igitur fuit, à Domino rem tantam, tamq;*

*cunctis*

*cunctis hominibus grauem inſtitui; cui totius humani generis ſaluatio in primis curæ fuit. Verùm cui hominum erant illa manifeſtanda magis quàm ſacerdoti? cum gratiarum omne fermè genus à Chriſto capite in membra, per ſacerdotum miniſteria deriuet. Meritò igitur debent corpori Chriſti myſtico id eſt fidelibus hoc ſacramentum gratiæ illi adminiſtrare; qui ſoli verum eiuſdem corpus conficiendi poteſtatem habent.*

*Addas iterum. Ad remittenda peccata, quæ cœli ianuã occludunt, à Domino fuerunt Petro, & per conſequentiam ſucceſſoribus ſuis, & ipſi demum Eccleſiæ claues exhibitæ. (Matth. 16.) Petro (conteſtata prius, & ſui, & apoſtolorum aliorum nomine, fide, illis verbis.* Tu es Chriſtus filius Dei viui) *ait Dominus.* Tu es Petrus & ſuper hanc petram (*id eſt ſuper hanc fidem, quam tu es conteſtatus inquiens,* Tu es Chriſtus filius Dei viui) ædificabo Eccleſiam meam. *Sed quomodo extruitur hoc Eccleſiæ tantum ædificium? niſi eo, qui ab Apoſtolo (ad Rom. 10.) deſcribitur, cum inquit.* Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſsio fit ad ſalutem. *ſequitur in Euangelio.* Et portæ inferi non preualebunt aduerſus eam. *quia fides illa impugnari quidem poterit ſed expugnari non poterit. addit deinde Dominus.* Et tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcumq; ligaueris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis; & quod-

cumq; ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis. *Sed iſtæ claues Petro per Dominum exhibitæ ab ipſo Petro ſanctis Apoſtolis, & à ſummo Pontifice venerabilibus Epiſcopis. ab ipſis vero Epiſcopis ſimplicibus ſacerdotibus, in ipſa ordinis collatione, ex communi patrum omnium conſenſu, collatæ ſunt. Valeat igitur Gloſa quædam (de pœnit. deſt. 5. in principio) putans confeſſionem à quadam vniuerſalis Eccleſiæ definitione fuiſſe traditam. quam opinionem cap.* Omnis vtriuſque ſexus. *nonnulli canoniſtæ ſequuti ſunt. Nec multum mihi probatur S. Bonauenturæ quamuis doctiſſimi opinio; qui (diſt. 18. quarti) à Chriſto tantum inſinuatam confeſſionem aſſerit; ab Apoſtolis vero inſtitutam. Ab vno Dom. noſt. Ieſu Chriſto, & inſinuata in verbis ante deductis ac explicatis, & inſtituta confeſſio eſt.*

## De clauibus. Cap. XXXIII.

DVÆ *ſunt claues, quæ per Epiſcopos in ordine ſacerdotali ſimplicibus ſacerdotibus exhibentur. Vna eſt, ſciẽtia diſcernendi peccata. Altera, poteſtas eadem iudicandi. Sed aduertendum eſt, ineruditis conferri clauem & poteſtatem peccata diſcernendi, & ſi ſcientia per collationem ordinis (quæ ſæpius in diſcretione requiritur) non conferatur; ſed poteſtas illa, in eo, cui confertur, ſcientiam ſupponit; eam ſaltem, quam Seſſ. 23. Tridentina ſynodus declarauit. Iſta diſcernendi*

*ſcernendi poteſtas communiter à patribus ſcientia appellata eſt ; ab eo quod præſupponit. Aduertendum eſt etiam, quòd & ſi in ordinis ſacerdotalis collatione, iudicandi poteſtas confertur; ne tamen vel leuis ex parte confitentium confuſio fieret in Eccleſia; quæ tanquam caſtrorum acies ordinata exiſtit; regionibus & diœceſibus, atq; pareciis, amplioribus, vel anguſtioribus, nec non aliis diuiſionibus, arctatus moderatuſque eſt alterius clauis vſus, quæ poteſtas iudicandi dicitur. Vnde factum eſt, vt à peccatis ſuis illum, qui legitimè confiteatur (niſi aliter neceßitas conſulat) non niſi proprius ſacerdos poßit abſoluere. Eſt autem in primis ſacerdos proprius, Papa in vniuerſa Eccleſia toto terrarum orbe diffuſa, Epiſcopus in propria diœceſi, curatus in ſua parochia, & priuilegiatus iuxta ſui priuilegii formam. Sacerdotes excommunicati abſoluere quemquam non poſſunt, non ex defectu ordinis, ſed ex defectu iuriſdictionis, & poteſtatis; quia ſubditos illi non habent, & quos ante habebant, abſtulit illis excommunicatios de quibus illud Malachiæ dici poteſt.* Maledicam benedictionibus veſtris. *Si quis tamen ignorat, ſacerdotem, cui confitetur, eſſe excommunicatum, vel degradatum, vel alio modo ab adminiſtratione ſacramenti ſuſpenſum, nec aliquando iſtud ſciturus eſt, credendum ad eius ſalutem ſupplere Deum, quod illius pœnitentiæ nullo ſuo vitio deerat. Si vero id aliquando reſciuerit, tenebitur idoneo ſacerdoti peccata illa, ſi memoriæ ſubibunt, iterum confiteri. Iteranda eſt*

*enim in quibuſdam caſibus à pœnitente confeßio. Vnus, qui dictus eſt, cum videlicet ei, cui confeſſus eſt, abſoluendi poteſtas defuit. Alter, ſi dimidiata fuerit confeßio: & de induſtria mortalia aliqua confitens reticuerit.* Impietas quædam (*inquit lib. de vera & fal. pœnit. cap. 9. S. Auguſtinus*) infidelitatis eſt; ab illo, qui iuſtus, & iuſtitia eſt; dimidiam ſperare veniam. *Tertius, ſi ſine contritione aut ſaltem ſine vera attritione, & ſine peccatorum ſuorum aliqua amaritudine, confeſſus eſt; animo in peccatis perſeuerandi. Iſidorus (lib. 2. de ſummo bono cap. 16.) ait.* Irriſor eſt, & non pœnitens; qui adhuc agit, quod pœnitet. Nec videtur Deum poſcere ſubditus, ſed ſubſannare ſuperbus. *Et Pius Papa (de Pœnit. diſt. 3.)* Nihil prodeſt homini ieiunare, & orare; & alia religionis opera agere; niſi mens ab iniquitate reuocetur. *Quartus, ad multorum patrum piam opinionem, ſi iniunctam à ſacerdote ſatisfactionem facere contempſerit. cum tamen illam prius faciendam ipſe receperit. Multi ſunt patres etiam, qui putant hac cauſa non eſſe iterandam confeßionem: ſed de negligentia pœnitere ſufficiat, & ſacerdotis iudicio, ſe totum per ſatisfactionem ſubijcere.*

## De Forma. Cap. XXXIIII.

FORMAM *ſacramenti pœnitentiæ ita ſumunt patres ex verbis Domini ante citatis.* Quodcumque ſolueris ſu-

ris ſuper terram &c. *Et* Quorum remiſeritis peccata &c. *Quemadmodũ formam baptiſmi ex illis (matth. vlt.)* Baptizantes eos in nom. Pat. & Fil. &c. *Ex ijs ſumitur forma iſta.* Ego te baptizo in nom. pat. &c. *Ex illis hæc forma elicitur.* Ego te abſoluo à peccatis tuis in nom. pat. &c. *Cætera, quæ à ſacerdote dicuntur, vel ad ſacramenti ſolemnitatem & reuerentiam faciunt, vel tàm ſacerdotis iudiciariam poteſtatem, quàm peccatorum abſolutionem & remiſsionem à Deo mediante ſacramento per ſacerdotis miniſterium deriuare oſtendunt. Vt precationes illæ.* Miſereatur tui. *&c.* Indulgentiam. *&c.* Abſoluat te Chriſtus. *&c.* Paſsio Dom *&c. Eſt autem notandum. Si ab excommunicatione abſolui egeat pœnitens: et hoc ipſe nouerit, illam ante impetret abſolutionem quàm à ſuo ſacerdote peccatorum remiſsionem exquirat: ne dum membrum à capite præciſum remanet, ſenſum & motum à capite fruſtra deſideret. Sed & ſi excommunicationis conſcius pœnitens non eſt, ad cautelam tamen poterit confeſſarius ab excommunicatione illum abſoluere, quatenus ipſe poteſt, & ille indiget. Eſt notandum etiam. per ſacerdotis miniſterium tum à culpa, tum à pœna culpæ debita pœnitentem quidem abſolui, non autem aeque: quòd ab omni culpa, non autem ab omni pœna ille liberetur. De ſacerdotis poteſtate in pœna relaxanda, & culpa condonanda, Ioannes Roffen. Vir egregiè doctus (art. 13. aduerſus Mart. Luth.) ſcripta reliquit,*

iſta

*iſta verba formaliter.* Cæterum quantum ad condonandam culpam attinet, ante diximus, Chriſtum ſacerdotem cunctos feciſſe pares, verum in relaxandis pœnis, non ita: quemadmodum in ſequẽtibus articulis dicturi ſumus apertius. *Idem paullo ante de virtute verborum abſolutionis dixerat.* Docet Eccleſia, quód peccator, qui cum dolore aliquo, & fide licet informi, venerit ad ſacerdotem, mox prolatis abſoluendi verbis, ille gratiam aſſequitur; per quam omnia, quæ prius erant informia, iam in peccatore formata ſunt. *Et de forma pœnitentiæ hactenus.*

## An ſacerdos peccata remittat. Cap. XXXIIII.

IN *ijs quæ dicta ſunt, nonnullæ dubitationes occurunt. Vna eſt grauis admodum. An ſacerdos peccata remittere ita poßit, vt culpæ maculam abſtergere, & debitum æternæ mortis ſoluere valeat.*

*Ad dubitationem (lib. 4. diſt. 18.) Plures Magiſter attulit reſponſiones. Vna eſt, quód cum duo ſint in peccatore, vnum, peccati macula, quædamq́ mentis obtenebratio; alterum, æternæ pœnæ reatus. Solus Chriſtus maculam abſtergit, & mentem diſnubilat, eamq́ illuminat. illuminatio autem animæ*

*animæ reſuſcitatio quædam dici poteſt. ſacerdos vero ab æternæ pœnæ reatu peccatorem ſoluit: quod in reſurrectione lazari ſignificatum aſſeritur. quem Chriſtus prius per ſe in monumento viuificauit; deinde foras & extra monumentum exire iuſsit; eumq́ adhuc ligatum ab Apoſtolis ſolui præcepit.*

*Altera reſponſio eſt. Vtrumq́ & animæ viuificationẽ, & ab æternæ mortis reatu ſolutionem, à Chriſto ſolo fieri: qui vt baptiſmi, ita & pœnitentiæ ſibi retinuit poteſtatem. Deus ipſe pœnitentem ſoluit à debito æternæ pœnæ: quando intus illum illuminat; veramq́ de commiſſo ſcelere cordis cõtritionem inſpirat. quoniam ſine charitate (quæ à ſolo Deo eſt) quæ ſola ab æterna morte liberat, eiuſmodi contritio eſſe non poteſt. Hoc eſſe videtur quod (pſ. 31.) legitur.* Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Et (Iſa. 43.)* Ego ſolus deleo peccata, & iniquitates populi. *Et Auguſt. (Ioan. 1.)* Nemo tollit peccata niſi ſolus Deus; qui eſt agnus tollens peccata mũdi. Tollit autem, & dimittendo quæ facta ſunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi omnino fieri non poſſunt.

*Eſt tertius modus dicendi; quód & Deus, & ſacerdos dimittunt, vel retinẽt peccata, et ligatos ſoluunt. Sed iſte modus ſubdiuiſus eſt: quoniam eorum, qui hoc aſſerunt; quidã dicunt Deum reuera ſoluere & ligare; ſacerdotem vero ligatum,*

*gatum, vel ſolutum tantum oſtendere. Et videtur hæc opinio Magiſtri, qui (diſt. 18. quarti libri) poſt multa, propriam tandem opinionem aperiendo inquit.* Hoc ſane dicere, ac ſentire poſſumus, quód ſolus Deus dimittit peccata, & retinet; & tamen Eccleſiæ contulit poteſtatem ligandi, & ſoluendi; ſed aliter ipſe ſoluit vel ligat, aliter Eccleſia. Ipſe enim per ſe tantum dimittit peccatum; qui & animam mũdat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis ſoluit; non autem ſacerdotibus hoc conceſsit: quibus tamen tribuit poteſtatem ſoluendi, & ligandi, id eſt oſtendendi homines ligatos & ſolutos. Vnde Dominus leproſum prius ſanitati per ſe reſtituit; deinde ad ſacerdotes miſit: quorum iudicio oſtenderetur mundatus. *Confirmat hunc modũ dicendi Mag. ex D. Hieronymo, qui ediſſerens illud Dominicum verbum* [Quodcunq; ligaueris ſuper terram. &c.] *inter. alia multa hæc dixit.* Et in remittendis, vel in retitendis culpis, id iuris & officij habent euangelici ſacerdotes; quod olim habebát ſub lege legales in curandis leproſis. Hi ergo peccata dimittunt, vel retinent: dum dimiſſa à Deo, vel retenta iudicant, & oſtendunt.

*Quidam (ſicut recitat Magiſter) quarto loco dixerunt ſacerdotes ſoluere & ligare: dum ſatisfactionem pœni-* 

*tentiæ confitentibus imponunt.* Soluunt (*inquit*) cum de ea aliquod dimittunt, vel per eam purgatos ad ſacramentorum communionem admittunt. & ſecundum hunc modum dicuntur etiam ſacerdotes dimittere peccata, vel retinere. *Ideo Auguſt.* (*tract. 121. ſuper Ioan.*) Sacerdotes poſſunt confitẽtibus parcere. quibus enim remittũt, remittit Deus. *Hunc etiam modum dicendi non eſt aſpernatus Magiſter.*

*Sed vt res iſta clariùs intelligatur. Sciendum tres eſſe, qui pænitentem ligant, & ſoluunt. Deus per eſſentiam & propriam auctoritatem; Chriſtus, per propriam excellentiam, cum ſit caput Eccleſiæ; ſacerdos qui Chriſti miniſter eſt, & Eccleſiæ, per miniſterium, mediante inſtrumento, quod eſt pænitentiæ ſacramentum. In hoc autem ſacramento non eſt ſacerdos miniſter tantum, vt eſt in ſacramento baptiſmi; ſed talis miniſter eſt, qui iudex etiam dicitur, et exiſtit. quod latius ſeſſ. 14. canone 9. Trident. Syn. à patribus ſancitũ eſt. Hoc poſito, hos omnes quattuor modos dicendi, non multa difficultate concordare poterimus. primus veritatem dicit, quãtum ad auctoritatem & excellentiam Chriſti, & opus miniſtri. ſecundus auctoritatem tantum, et excellentiam Chriſti conſiderauit. Tertius Chriſti excellentiam, & miniſteriũ tantum ſacerdotis, non autem reſpexit iudicium. Quartus iudicium miniſtri diminuit, & totum non explicauit. Omne*

*igitur veritatem aliquam attigerunt. Ex omnibus autem ſimul collectis, ad dubitationem abſoluta reſponſio coaleſcet. quæ eſt. Deum, & ſacerdotem peccatum remittere, & peccatorem ſoluere; Deum auctoritate, ſacerdotem miniſterio, & iudicandi poteſtate.*

## Dubitatio in ſolutione poſita capite præcedenti. Cap. XXXV.

SED *hoc loco aduerſus ea, quæ ſuperiori capite dicta ſunt, oriri poteſt dubitatio; ſi remittit Deus in contritione peccata, quod vltrò patres omnes confitentur, quid relinquitur ſacerdoti quod dimittat? nihil igitur remittit in confeſſione ſiue abſolutione pœnitenti ſacerdos.*

*Ad hanc dubitationem cum omni ſubmiſſione dicerem, quód (vt ad finem præcedentis capitis dictum eſt) peccata eadem, quæ remittit Deus per auctoritatem, & per ſeipsū, ſua videlicet miſericordia; remittit ſacerdos per miniſteriū, hoc eſt per ſacramenti adminiſtrationem.*

*Sed inſtabis, ante hoc ſacerdotis miniſterium iam ſunt à Deo dimiſſa peccata, quoniam (ps. 31.) legitur.* Dixi cōfitebor aduerſum me iniuſtitiam meam domino; & tu remiſiſti impietatem peccati mei. *Cum de confeſſione peccator cogitat, Deus peccata remittit.*

*Dicam te in hoc fortaſſe falſum aſſumere. poteſt eſſe, vt ante*

*ante dimiſſa non ſint. Docent nonnulli pij, & Catholici patres, inter quos eſt Roffen. vir egregiè doctus, art. 13. aduerſus Lutherum, & dictum in ſuperioribus fuit; quòd peccator, qui cum dolore aliquo, & fide quamuis informi, ad ſacerdotem venerit, prolatis, quibus ad abſoluendum ſacerdos vtitur, verbis, ille gratiam aſſequitur; per quam omnia, quæ prius erant informia, iam in peccatore formata redduntur. Sed demus, quòd in contritione ante actualem confeſſionem dimiſſa ſint; quid? nonne in ipſa contritione eſt confeſſio, & ſacerdotis miniſterium ſiue abſolutio, & pœnitentis ſatisfactio, ſaltem in voto? certè ſi non inerant iſta, contritio non erat. Nec bene dixerat.* Dixi confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino. *Non ergo ante confeſſionem peccata dimiſſa ſunt. Niſi enim in contritione propoſitum habeat ſe ſacerdotis iudicio ſubijciendi, & Eccleſiæ clauibus; vnde peccatorum expiatiuam virtutem hauriat ipſa contritio, peccata dimiſſa non ſunt.*

*Adde, quòd confeſſarius ſacerdos non eſt miniſter tantũ (vt dictum eſt) ſacramenti, ſicut eſt in baptiſmo. ſed quemadmodum verbo Chriſti conficit panem, & vinum, vnde in ſacramento Euchariſtiæ, non miniſter tantum, ſed & corporis Chriſti confector, & ſacrificus etiam appellatur. Ita in ſacramento pœnitentiæ, quia & ligat, & ſoluit, non eſt ſacerdos tantum miniſter; ſed & miniſter & iudex. Iudex autem non facit innocentem vel reum, ſed tantum per ea, quæ*

adducta ſunt, iudicando condemnat, vel abſoluit. Ad ſimilem modum per ea, quæ pœnitens explicat, pro doloris ratione confeſſor iudiciaria poteſtate, vt Chriſti miniſter ligat, uel ſoluit. Hoc autem ſine dubio amplius aliquid eſt; quàm tantum oſtendere ligatum, vel ſolutum. Verum eſt, quòd non ex arbitrio, & ex capite, ſed maximo cum pietatis, & diſcretionis iudicio, omni ablata propria cauſa, nihil niſi peccatoris ſalutem reſpectans atque deſiderans, duce Spiritu ſancto, ligare debet ſacerdos, aut ſoluere. quia iuſtiſsimi iudicis, & qui peruerti non poteſt, miniſter eſt. Quippe traditurus Chriſtus hanc ligandi, & ſoluendi poteſtatem apoſtolis ante omnia ſemel atque iterum dixit illis. Pax vobis. quoniam & ſacerdos in hoc iudicio omni animi perturbatione carere, & pœnitentem Deo peccatorem reconciliare, ac pacificare debet. quo dicto mox intulit. Sicut miſit me pater, & ego mitto vos. quaſi diceret, me miſit pater ad genus humanũ à diabolica tirannide redimendum, ad hoc ipſum ego mitto vos. Ego quidem illud redemi proprio ſanguine; vos veſtra prædicatione exortando, baptizando, ad ſuorum peccatorum pœnitentiam inuitando. His namque modis ad eorum ſalutẽ & redemptionem homines præparabitis. deinde ijs dictis, Inſufflauit, & dixit. Accipite Spiritum ſanctum. Quaſi dixerit. Quemadmodum tanta poteſtas, quam ego ſum vobis nunc daturus, dari non poteſt, niſi per Spiritum ſãctum; ita à quoquam eadem ritè adminiſtrari non poterit: niſi

*niſi per Spiritum ſanctum prius propterea dixit.* Accipite Spiritum ſanctum. *& ſtatim ſubdit.* Quorum remiſeritis peccata. &c.

Tollitur dubitatio. Cap. XXXVI.

NEc *quia in plurali, & hoc loco, & Matth. 18. loquitur Dominus, vbi inquit.* Quæcunq; alligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cœlo, &c. *putandum eſt, in hac (quantum mihi videtur, quod correctioni ſubmitto) etiam cauſa, & in ipſa peccatorum per Chriſtum remißione, vel retentione (ex qua vniuerſorum hominum ſalus aliquo modo dependet, & incolumitas) non voluiſſe Dominum cæteris Apoſtolis præferri Petrum: cui (Matth. 16.) ait.* Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & tibi dabo claues regni cœlorum; & quodcumq; ligaueris &c. *Ne dicamus Eccleſiam corpus eſſe multorum capitum; ſed ita locutus eſt Dominus. Quoniam vniuerſa Eccleſia peccatori ad Deum redeunti, & peccatorum ſuorum ritè pœnitenti opitulatur. ita legitur (ps. 118.)* Particeps ego ſum omnium timẽtium te. *Quamobrem (lib. de vera & falſa pœnit. cap. 12.) S. Auguſtinus inquit.* Laboret pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ vnitatem tendere. Niſi enim vnitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt pecca-

peccatori, ſua opitulatione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum eſt enim, & pietas fidei expoſtulat credere, quód omnes eleemoſynæ totius Eccleſiæ, & orationes, & opera iuſtitiæ, & miſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam, ad conuerſionem ſuam. Ideoq; nemo dignè pœnitere poteſt; quem non ſuſtineat vnitas Eccleſiæ. *Ad iſtam igitur Eccleſiæ, in liberando à diaboli & inferni faucibus peccatore, opitulationem, & cooperationem ſignificandam, in plurali numero loquutus eſt Dominus; maximè quòd in hac vniuerſali opitulatione, miſſæ ſacrificium, quod per ſacerdotis manus Deo offertur, primas partes habere, credendum eſt; ad quos tunc loquebatur, quando Apoſtolis illa dicebat Dominus.* Quorum remiſeritis peccata, &c. *Sed quod remittant, aut retineant peccata ſacerdotes, & quomodo, & quód poteſtas dimittendi peccata ſit Petro principaliter à Chriſto attributa, declaratum eſt hactenus.*

## An remiſſa peccata redeant. Cap. XXXVII.

ALIA *ſupereſt non minus grauis dubitatio. An peccata ſemel dimiſſa redeant. Vt V.C. ſi in contritione, quam cum propoſito ſemper eſſe diximus confitendi: dimiſſa peccata*

*peccata fuerint, contemnet autem ille contritus confiteri, dubitatio eſt, an peccata prius in contritione à Deo dimiſſa redire dicendum ſit. Videntur redire, auctoritate, & exemplo. Ambroſius (Vt à magiſtro citatur) inquit* Donate inuicem, ſi alter in alterum peccat; alioquin Deus repetet dimiſſa. *Auguſtinus.* Dicit Deus dimitte, & dimittetur tibi; ſi ego prius dimiſi tibi, dimitte tu vel poſtea. Nam ſi non dimiſeris, reuocabo te, & quidquid dimiſeram, replicabo tibi. *Exemplum eſt de ſeruo (Matth. 18.) cui dominus eius miſertus debitum, quod grande erat, vniuerſum dimiſerat; ſed cum conſeruo ſuo debitori (debitum autem minimum erat) miſereri ille noluerit; indignatus Dominus tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet Vniuerſum debitum. Et tunc ſubiecit Chriſtus.* Sic & pater meus cœleſtis faciet vobis; ſi non remiſeritis vnuſquiſque fratri ſuo de cordibus veſtris. *quem locum in Homilia quadam ediſſerens S. Gregorius inquit.* Ex dictis euangelicis conſtat, quia ſi ex toto corde non dimittimus, quod in nos delinquitur; & hoc rurſum exigetur, quod iam nobis per pœnitentiam dimiſſum fuiſſe gaudebamus. *Et Rabanus Vir clariſſimus (in Gloſa ſuper Matth.)* Nequam ſeruum tradidit Dominus tortoribus, quoaduſque redderet vniuerſum debitum; quia non ſolum peccata; quæ poſt baptiſmum homo

egit,

egit, reputabuntur ei ad pœnam ; ſed etiam originalia, quę in baptiſmo ſunt ei dimiſſa.

*Verumenimuero ſi requiratur iterum à Deo peccatum, quod ante fuerat ab eo condonatum, iniuſtitia apud Deum eſſe videbitur, & Deus bis in idipſum animaduertere cenſebitur, duplexque conſurget tribulatio; quod S. ſcriptura (Nahaum. I.) negat expreſſe. Vt de Deo, qui ipſiſſima iuſtitia eſt, atq; miſericordia, hoc aſſerere iniuſtiſſimum ſit, atque nefarium.*

*Mitior propterea, ac ſanior illorum patrum ſententia mihi videtur; qui pro dimiſſu ſemel peccatis iterum à Deo puniendum neminem aſſeruerunt; & redire peccata dimiſſa negauerunt. dicuntur nihilominus ab aliquibus catholicis patribus (auctoritatibus & exemplis ante poſitis perſuaſis) dimiſſa redire, & imputari; quòd propter ingratitudinem nimiam (debuerat namq; peccatorum ſuorum ad cauendũ pœnitens habere memoriam; debuerat non obliuiſci omnes retributiones Dei; quæ tot ſunt, quot peccatorum ſunt remiſſiones; debuerat cogitare, tot dona à Deo recepiſſe, quot ei dimiſſa ſunt mala, atque peccata; nec non debuerat pro illis in finem vſque vitæ ſuæ Deo gratias agere) propter ingratitudinis (in quam) magnitudinem ita reus ex nouo ingratitudinis crimine conſtituitur: vt ante ex peccatorum multitudine fuerat. tantæ molis ingratitudo eſt apud Deum.*

## Non eſt tardanda pœnitentia. Cap. XXXVIII.

PEccator (*conſilio B. Aug. cap. 10. lib de Pænit.*) qui vult confiteri peccata ſua, vt inueniat gratiam; quærat ſacerdotem ſcientem ligare, & ſoluere: ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab illo, qui eum miſericorditer monet, & petit; ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit. *Ad pœnitentiam feſtinus peccator accedat; agat pœnitentiam dum peccare poteſt; ne peccata eum dimittere videantur, non ipſe peccata. De ſero pœnitente inquit Auguſtin.* Si ſecurus hinc exierit, ego neſcio; pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem non. Nunquid dico damnabitur? ſed nec dico, liberabitur. *Et rurſum idem* Timendum eſt de pœnitente ſero, maximè cum filij, quos illicitè dilexit, ſint præſentes; vxor, & mundus ad ſe vocet. *Melior eſt tamen ſera penitentia, quàm nulla. Pœnitentia enim & ſi in extremo vitæ hiatu aduenit, ſanat, & liberat. Multum ſera fuit latronis pœnitentia, ſed nō fuit ſera indulgentia; qui audire meruit.* Hodie mecum eris in paradiſo. *Ille, quem verè pœnitet, et non perfecta ſuorum peccatorum in hoc mundo pœnitentia hinc migrat per ignem purgatorij alibi pœnitentiam implebit. Poteſt tamen tanta eſſe cordis contritio, & peccati ſui deteſta*

*tio; ut ad peccata punienda illa ſufficiat; & liber hinc ad æternam vitam demigret, & tranſeat. Confeſſoris propterea ſtudium ad hoc præcipuè dirigendum eſt; ut cordis dolorem (quantum fas eſt) pœnitenti ingerat; ingeſtum cognoſcat, et ſecundum doloris modum, ſatisfactionem iniungat. Infirmo morienti ſatisfactio imponenda non eſt, ſed tantum innoteſcenda pœna: quam, ſi conualuerit, implere teneatur. Venialia confiteri nemo tenetur: niſi talia fuerint, de quibus peccatoris conſcientia multum grauari contingat. Illa pluribus modis, diuina pietate, dimittuntur; per communionem. (De Cõſecr. diſt. 2. cap.* cum omne) *per generalem confeſſionem in miſſa, vel per ſecretam apud Deum; per aquæ benedictæ aſperſionem (de Conſecr. diſt. 3. cap.* Aquam) *per eleemoſynam (de pœnit. diſt. 3. cap.* Sane cauendum. *& cap.* Quotidianis) *per orationem præcipuè per Dominicam; per tunſionem pectoris (de Pœnit. diſt. 1. cap.* Tres ſunt) *per extremam vnctionem, ut poſt ſuo loco dicemus. per pœnam etiam purgatorij, ſi cum veniali, ſine mortali, quiſpiam deceſſerit. Ille namque qui ſine mortali, cum veniali deceſſit, ſuperædificauit lignũ, fœnum, vel ſtipulam. de quo (1. Cor. 3.) ita legitur.* Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur: ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignẽ. *Non me præterit, per indulgentias peccata remitti, & peccatorem excommunicationibus ligari, aut etiam ab eiſdem ſolui: ſed de indulgentijs, & excommunicationibus*

*alibi*

*alibi videndum erit. In hoc ſacramento, ſacramentum tantū, eſt exterior pœnitentia, ut confeſsio, abſolutio, ſatisfactio. Res tantum, remiſsio peccatorum, & diuinæ gratiæ infuſio. Res & ſacramentum, interior pœnitentia, & ipſa de peccato contritio. Ad pœnitentiam peccatorum mouent Dei beneficia, æterni ſupplicij terror, immortalis gloriæ ſpes. A pœnitentia retardent pudor confitendi, conſuetudo cum delectatione peccandi, ſpes diu viuendi. Sed aduerſus pudorem eſt Auguſt. (lib. de Pœnit. cap. 10.)* Verecundia magna eſt pœna; qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. *Aduerſus conſuetudinem eſt illud Luc. 12.* Requieſce, comede, bibe, epulare, ſtulte hac nocte animam tuam repetent à te. *Aduerſus vitam diuturniorem illud eſt quod Luc. 3. ſcriptum eſt.* Iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt. *Et quod ſapiens ille dixit:* Vita hominis inſtans eſt temporis. *Et de pœnitentiæ ſacramento nec non de quattuor ſacramentis illis quæ à nemine fidelium, pro ætatis, & exigentiæ ratione refutari poſſunt, aut prætermitti, abſque aliquo ſalutis ſuæ periculo, dictum ſit hactenus. Libro ſequente de tribus alijs dicendum erit.*

Explicit liber quartus.

# PROMPTVARII THEOLOGICI, IVLII CARRARII SYRENII,

De Brixia Hieronymiani

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

## Liber Quintus.

*IN QVO DE ORDINE, MATRIMONIO,* ET VNCTIONE EXTREMA.

### De tribus Sacramentis in communi. CAP. I.

NON *ſunt eadem ratione ſacramenta omnia fidelibus omnibus neceſſaria; ſed aliquod ita neceſſarium eſt; ut ſine illo ſalutem quiſpiam conſequi nō poßit, ſicut eſt Baptiſmus, ſine quo aut in re, aut ſaltē in voto (vbi videlicet neceßitas illū excludat) nulla ſalutis ſpes eſſe poteſt. Pœnitētia omni fideli adulto, qui exitiali crimine tenetur, ad ſalu-*

*té omnino neceſſaria eſt; & ea ſine ſalutem, quiſquis fuerit, aſſequi non poterit, niſi confeßionem, aut ſatisfactionem aliquando neceßitas excluſerit. Contritio autem in re eſt penitus neceſſaria, cum propoſito & confitendi, & ſatisfaciendi, ſi aderit aliquando facultas. Confirmatio & ſi tantum ad ſalutem neceſſaria non eſt, quantum baptiſmus; qui tamen in ætate congrua illam recipere contempſerit, niſi de contemptu pœniteat, damnabitur; vel hoc vno contemptus ſcelere. Eucharistiam in re quidem adultis, in habituali autem voto neceſſariam etiam infantulis eſſe, patres aliquot affirmauerunt: quòd (Ioan. 6.) Dominus dixerit.* Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberetis eius ſanguinė, non habebitis vitam in vobis. *Omnibus igitur ad ſalutem Chriſtifidelibus ſunt quattuor dicta ſacramenta neceſſaria. Tria vero, quæ ſuperſunt (de quibus hoc libro à nobis dicendum eſt,) Ordo, Matrimonium, & Vnctio extrema, non omnibus vſque adeò neceſſaria ſunt; quin à multis prætermitti poßint. Extrema vnctio non omnibus ſed adultis; nec his omnibus, ſed in mortis periculo conſtitutis; neque his omnibus, ſed ægrotis eſt eo modo neceſſaria, vt & ſi contempta æternæ vitæ adytum excludit, prætermiſſa tamen æternæ mortis periculum non includit. Ordo autem & Matrimonium à fideli quolibet abſque ſalutis detrimento reſpui poſſunt. Non enim vel clericus fieri, vel vxorem ducere, hominum quiſpiam ad ſalutem conſequendam tenetur. de ijs propterea*

*pterea tribus ſacramentis diſtincto libello conſiderationem fe cimus. De Ordine autem à nobis prius dicendum eſt.*

## De Ordine. Cap. II.

D*E Ordine nunc à nobis dicendum eſt. Et ea à nobis de claranda ſunt: quæ in alijs ſacramentis declarata fuerunt. materia videlicet, forma, miniſter, inſtitutio, effectus ſiue res ſacramenti, & ſacramentum & res. In primis autē dicendum eſt, quid ſit Ordo. Video (quantum ad rem propo ſitam ſpectat) ſumi ordinem duobus modis tum pro ſacramē to, tum pro quadam vnius ad alterum relatione. Primo mo do à patribus, vt à Magiſtro (lib. 4. diſtinct 24.) relatum eſt, hoc modo deſcribitur.* Ordo eſt ſignaculum quoddam, quo ſpiritualis poteſtas traditur ordinato, & officium. *Exponit ipſe verbum* [Signaculum] id eſt ſacrum quoddam ſignum. *dixit* [quoddam] *quia in alio & alio ordine ſignaculum ſiue ſacrum ſignum aliud (vt patebit) & aliud eſt. Idem habet Vgo Victorinus (lib. 2. de Sacram. parte 3. cap. 1.) Huius diffinitionis ſententia quantum ad illam partem, qua dicitur* [quo ſpiritualis poteſtas & officium traditur ordinato] *ex ſequentibus magis manifeſta erit. Secundo modo, & pro relatione ita à patribus diffinitur.* Ordo eſt diſpoſitio ſuperiorum & inferiorum rerum; quæ inter ſe ita

aptæ

aptæ ſunt; vt vna ad alteram referatur. *In ſpirituali repub. & in temporali ordo eiuſmodi reperitur. ſunt qui præſunt, ſunt qui ſubſunt. In illis etiam, qui ordinis ſacramentũ ſuſcipiunt, quidam ex vi ſacramenti ſubſunt, quidam præſũt. ſubdiaconus ſubeſt diacono; ſacerdos vtriq; & diacono & ſubdiacono præeſt. Quemadmodum autem in ſacramento extremæ vnctionis ſunt (vt ſuo loco videbimus) vnctiones multæ, vnum verò ſacramentum; ita in ſacramento ordinis ſunt ordines plurimi, ſacramentum autem vnum. vnum (inquam) non vnitate materiæ, aut formæ: ſed vnitate finis. Ad quem modum domus eſt vna, & ſi pluribus conſtat, vt lignis, lapidibus, cemento, & eiuſmodi; quia ad eundem finem (qui eſt protegere Dominum domus, et res illius ab æſtu & imbribus) tendunt vniuerſa. Tendunt enim omnes ordines certa ratione ad miniſterium (vt videbibus) & Sacramentum ſacroſanctæ Euchariſtiæ. Ipſa conſecratio ſiue ipſa ordinatio illud eſt, quod eſt Sacramentum; non ſolum quia ſic ſtatuit Trident. concil. Seſſ. 23. cap. 3. & alia ante ipſum ſtatuerunt concilia; ſed etiam quia eſt inuiſibilis gratiæ viſibile ſignum. Septem ſunt ordines, quia ſeptem ſunt gradus ſpiritualium officiorum ad ſanctiſſimam Euchariſtiã.* Pro ſeptiformi gratia (*inquit Magiſter*) Spiritus ſancti. Cuius (*ait*) qui non ſunt participes, ad gradus Eccleſiaſticos indignè accedunt. *iſti ſunt. Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acoluthus, Subdiaconus, Diaconus,*

*&*

*& Presbyter, ſiue Sacerdos. De quibus ſingulis breuiſſimis nunc dicamus.*

## De quattuor minoribus ordinibus. Cap. III.

TALES *ad ſpirituale miniſterium eligendi ſunt, qui dignè poſsint dominica ſacramenta tractare; ex quorum doctrina, & vitæ inſtitutione, in alios transfundi poſſit diuina gratia. Illi omnes, qui in Eccleſia Domino deſeruiunt, clerici generaliter nuncupati ſunt; quaſi ſortiti; (nam κλῆρος ſors, & κληρὸς ſortitus ſiue ſorte electus nuncupatur) quia in ſortem Domini clerici vocati ſunt, quorum omnis hæreditas Dominus eſſe deberet.*

*Ad tranſitum autem à Laicali ad Clericalem ſtatum, eſt quædam præuia diſpoſitio; vt eſt ad baptiſmū exorciſmus, ad matrimonium ſponſalia: quæ præcedens diſpoſitio à capillorum tonſione prima tonſura appellata eſt; quæ à quibuſdam inter ordines numeratur; ſed impropriè admodum. Tondentur enim illis, qui clerici futuri ſunt, & altari deſeruire propoſuerunt capilli, ad modum regiæ coronæ: quia ſeruire Domino regnare eſt. tondentur autem in vertice capitis: vt eorum mentem abſq; impedimento aliquo ad Dominum intentam eſſe debere, demonſtretur. ad ſenſuum verò & aurium reuelationem vſque tondentur; vt intelligas, vitia, quæ à ſen-*

*ſibus*

*ſibus originem trahunt ita eſſe præcidenda: Vt ad audiendum, & percipiendum Dei verbum, nullum afferant impedimentum. Vſus tonſuræ à Nazareis (inquit Magiſter) exortus videtur: qui vitæ ſanctitate alios præcellebant. Ad Ezechielem ait Dominus (Ezech. 5.)* Fili hominis ſume gladium acutum; & duc ſuper caput tuum; & barbam. &c. *(Act. 18.) Aquila totondit ſibi caput in Cechris.*

*Poſt tonſuram, quæ (vt dictum eſt) non eſt ordo, ſed uia ad ordines, & quædam diſpoſitio; primus & infimus ordinis gradus eſt gradus Oſtiarij: cuius miniſterium eſt, templum, atq; ſacra vaſa, & omnia, quæ in templo ſunt, & ſacrario, cuſtodire, indignos vt excommunicatos à templo, & impœnitentes à Sacramento Euchariſtiæ procul arcere. Huius ordinis materia claues ſunt ex altari ſumptæ; quia per clauium traditionem confertur iſte ordo, accedente verbo Epiſcopi, quod eſt.* Accipe poteſtatem aperiendi eccleſiam, & ſacrarium, & claudendi infidelibus. *quod Epiſcopi verbum forma dicitur. Ad decorem additur*, ſic agite tanquam rationem Deo reddituri pro rebus, quæ clauibus iſtis recluduntur. *In nom. pat. & fil. & Spir. San. Inſtituit hunc ordinem Dominus, quando illum in perſona exercuit; vt pote quando flagello (Ioan. 2.) de funiculis facto, vendentes de templo, & ementes eiecit. Et cap. 10. ſe oſtiarium oſtendit, cum dixit.* Ego ſum oſtium, per me ſi quis introierit ſaluabitur, & ingredietur, & e-

grediețur, & paſcua inuenit. *Etenim ipſemet & ſacerdos eſt, & hoſtia, & oſtium, & oſtiarius.*

*Secundus gradus eſt Lectoris, cuius officium eſt, diuinarum laudum lectiones, & prophetias, & pſalmos rectè, ac diſtinctè legere; prima religionis chriſtianæ rudimenta ſimplicioribus cathecumenis tradere; & eiuſmodi alia peragere. Ordinis huius materia liber eſt, in quo, quæ ad hoc munus attinent ſcripta ſunt. in cuius per manus Epiſcopi traditione ſtat promotio. Forma ſunt verba, quæ ſimul cum ipſa libri traditione ab Epiſcopo proferuntur.* Accipe poteſtatem, & eſto verbi Dei relator. *additur ad honeſtatem,* habiturus, ſi fideliter impleueris officium tuum, partem cum ijs, qui benè Dei verbum ab initio miniſtrarunt. *In nom. pat. & fil. & Spir. s. Inſtitutus eſt ordo à Chriſto, quando (Luc. 4.) in medio ſeniorum librum Iſaiæ prophetæ aperuit, & legit. Hic ordo à prophetis initium accepiſſe videtur; quibus (Iſa. 58.) à Domino dicitur.* Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.

*Tertius, Exorciſtarum ſiue adiurantium, & increpantium eſt; quorum munus eſt, immundos ſpiritus in nomine Domini increpare, atq; ab obſeſſis corporibus, expellere. Debet ipſe ſpiritum mundum habere: qui ab alio pellit immundum. Materia eſt liber, in quo exorciſmi deſcripti ſunt. In cuius traditione accedente forma, id eſt Epiſcopi verbo eſt ordinatio. Verbum eſt.* Accipe, & commenda memoriæ,

riæ, & habe poteſtatem manus imponendi ſuper energumenos, ſiue baptizatos, ſiue cathecumenos. *In nom. pat. &c. Inſtituit ordinem Dominus, quando ipſe dæmones expulit, & quando (Matth. 8.) ſaliua ſua tetigit aures, & linguam ſurdi & muti, & dixit.* [Effœta] *quod eſt adaperire. (Matth. 12.) ait Dominus.* Si ego in Beelzebub eijcio dæmonia; filij veſtri in quo eijciunt? Hic ordo (*inquit Magiſter*) videtur à Salomone deſcendiſſe: qui quendam modum exorcizandi inuenit; quo dæmones adiurati, ex obſeſſis corporibus pellebantur.

*Qartus eſt acoluthorum; quorum officium eſt maiores altaris miniſtros diaconos, & ſubdiaconos aſſectari, eiſq́; inſeruire, ad miſſæ ſacrificium; ad Euangelium cum legitur lumina deferre, vnde & ceroferarij dicti ſunt; vrceolos ad vinum & aquam ſubdiaconis præparare. Materia duplex eſt, candelabrum cum cereo: et duo vrceoli. Et ſimiliter duplex forma. Una.* Accipe ceroferarium cum cereo, & ſcias te ad accendenda Eccleſiæ lumina mancipatum, in nomine Domini. *Altera.* Accipe vrceolos ad ſuggerendum vinum & aquam in Euchariſtiæ ſanguinis Chriſti ſacramentum. *In nom. pat. & fil. & Spir. s. Inſtitutus eſt hic ordo à Domino, quando (Io. 8.) dixit.* Ego ſum lux mundi; qui ſequitur me non ambulat in tenebris. *ipſe eſt candelabrum, ipſe*

*cereus, ipſe lux. Hi quatuor ordines, minores ordines ſunt appellati.*

## De Subdiacono, & Diacono. Cap. IIII.

QVINTVS ordo eſt *ſubdiaconorum, ſiue ſubſeruientium, & ſubminiſtrantium, diacono videlicet, & ſacerdoti; quorum munus eſt, diaconis ad altare ſeruire; calicem imprimis, & patenam in vſum ſacrificij diacono offerre: & ibi alia ad ſacroſancti ſacrificij vſum diacono, vel etiam ſacerdoti præparare, atque ſubminiſtrare. Pontifex dat eis calicem cum patena ſuperpoſita, & archidiaconus eiſdem vrceolos cum vino & aqua, dicente Epiſcopo, eos ordinante ſimul, & admonente.* Videte cuiuſmodi miniſterium vobis traditur: ideò vos admoneo; vt ita vos exhibeatis; quód Deo placere poſsitis. *Dat etiam librum Epiſtolarum dicens.* Accipe librum Epiſtolarum, & habeas poteſtatem legendi eas in Eccleſia ſancta Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis. *In nom. pat. &c. Amictum capiti imponit cum forma verborum.* Accipe amictum, *&c. manipulum ſiniſtro brachio aptat, dicendo.* Accipe manipulum, *&c. Tunicellam induit dicens.* Induat te Dominus veſtimento ſalutis. *&c. Ad hos pertinet tantum de oblationibus po*

*nere in altari, quantum ſufficere poßit populo; necnon corporales, & pallas, & ſubſtratoria lauare. Inſtitutus eſt ordo iſte à Domino quādo (Io. 13.) linteo ſe præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes diſcipulorum lauit, & terſit linteo. Hos Hæbrei Nathineos appellabant. id eſt oblatos, & traditos in ſeruitium Dei.*

*Sextus ordo, qui inter ſacros ſecundus eſt; diaconatus exiſtit. Diaconus græca vox eſt, latine miniſter dicitur. Partes diaconi ſunt; Epiſcopum ſectari, concionantem illum ſeruare, ſacra adminiſtranti praſtò eſſe, Euangelium in miſſa legere, Chriſti ſanguinem (vbi eſt conſuetudo ſub vtraq; ſpecie communicandi) diſpenſare, eos, qui minus chriſtiane viuunt inueſtigare, (diſt. 93. cap.* Diaconi *primo) inuentos Epiſcopo denunciare, vt eos vel admoneat, vel corrigat; catechumenorum nomina recitare, ad ordines promouendos ante Epiſcopum ſtatuere. Promouendis diaconis Epiſcopus ſolus manum dextram ſuper caput imponit; quod ſeptem diaconis factū prius fuiſſe ab apoſtolis (Act. 6.) legimus, et inquit.* Accipe Spiritum ſanctum ad robur, & reſiſtendum diabolo, & tentationibus eius in nomine Domini. *Stolam ſiniſtro humero aptat, & ait.* Accipe ſtolam candidam de manu Dei; imple miniſterium tuum &c. *Induit eum dalmatica dicens.* Induat te Dominus veſtimento ſalutis, &c. *denique Euāgeliorum codicem iſtis verbis eidem porrigit.* Accipe poteſtatem

ſtatem legendi Euangelium in Eccleſia Dei, tàm pro viuis, quàm pro defunctis, in nomine Domini. *Inſtituit hunc ordinem Chriſtus, quando poſt cœnam (Matth. 26.) corporis, & ſanguinis ſui ſacramentum diſcipulis diſtribuit. Et quando ad orationem diſcipulos excitauit dicens*: Vigilate & orate, vt non intretis in tentationem. *Olim ſanè aſtantiū fidelium animos diaconus excitabat, vt ſacra intenderent. Quàm probatæ autem vitæ debeat eſſe diaconus (in priore ad Thimoth. cap. 3) videtur exprimere apoſtolus, cum ait.* Oportet diaconos pudicos eſſe, non bilingues, non multo vino deditos, nō turpe lucrum ſectantes, habentes myſterium fidei in conſcientia pura. Hi autem probentur primùm, & ſic miniſtrent: nullum crimen habentes. Qui enim benè miniſtrauerint, gradum bonum ſibi acquirent.

## De Sacerdotio. Cap. V.

SEPTIMVS *ordo, & inter ſacros tertius, & ſummus Sacerdotium eſt. Hoc ordine initiati & præsbyteri, & ſacerdotes dicuntur. Præsbyter vox greca eſt, latinè Senex redditur. Debent ſacerdotes ſenes eſſe, non tantum propter ætatis maturitatem (non enim pueris debet ordo conferri) ſed multò magis propter morum grauitatem, eruditionem, et pruden-*

*prudentiam. Sic namque ( Sap. 4 ) legitur.* Senectus venerabilis eſt, non diuturna, neq; annorum numero computata, cani autem ſunt ſenſus hominis, & ætas ſenectutis, vita immaculata. *Dicuntur ſacerdotes, et quia ſacro cultui dati ſunt, & quia ſacra dant, id eſt fideli populo ſacramenta adminiſtrant. Diligenter hoc loco notandum eſt; quód quemadmodum corpus Chriſti duplex eſt; verum quod de immaculata matre ſumptum eſt, quod crucifixum eſt, quod reſurrexit, quod in cælum aſcendit, et in cælis reſidet, quod in altari verbo Chriſti, à ſacerdote conficitur. Et myſticum quod eſt catholica Eccleſia, id eſt fideles omnes, qui in ea ſunt, fuerunt, & erunt. Ita ſacerdotium eſt duplex. vnum externum, ad quod per Epiſcopum miniſtri Eccleſiæ promouentur: qui in externo altari lapideo Chriſti ſacratiſſimum corpus, & conficiunt, & Deo offerunt. Alterum internum, ad quod, per Deum ipſum, fideles omnes, in primis autem iuſtos, & pios homines, qui ſummi ſacerdotis Ieſu Chriſti viua membra effecti ſunt, promotos dicere poſſumus: qui in proprio altari, hoc eſt in anima ſua, ſpirituales hoſtias id eſt animas proprias Deo offerunt; non ſine lumine hoc eſt, non ſine bonis operibus, iubente Domino.* Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, &c. *quæ omnia, quia ad Dei gloriam ſunt. Ideò ſequitur.* Et glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. *De hoc ſacerdotio Paulus loquitur, quãdo (ad Rom.*

12)

*12.) ita ſcribit.* Obſecro itaquè vos fratres, per miſericordiam Dei, vt exhibeatis corpora veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. *Et (in priore cap. 2.) Petrus.* Vos autem genus electum regale ſacerdotium, gens ſancta, populus acquiſitionis *Et (Apocal. 1.) de Chriſto legitur.* Qui dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo; & fecit nos regnum; & ſacerdotes Deo & patri ſuo. *de quorum ſacerdotum ſacrificio (ps. 50.) legitur.* Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies. *Apud veteres presbyteri Epiſcopi, & antiſtites dicebantur; quia populum præibant; & illius (quod etiam hodie faciunt) curam habebant. quam, vt diligentius exequantur, multis presbyteris (qui parochi appellantur) pro ſuæ diœceſis amplitudine, diuidit & impertitur princeps Epiſcopus. Ad presbyterum attinet corporis et ſanguinis Domini ſacramentum in altari conficere, orationes in publico recitando ad Deum effundere, ſacramenta fidelibus adminiſtrare, aquam benedicere, & alia id genus facere. Promouendis Epiſcopus, & qui adſunt ſacerdotes omnes manus imponunt, nihil dicendo. deinde ſtolam humeris in modũ crucis ante pectus componit Epiſcopus; vt intelligant crucem Domini deferre teneri; & patientiſsimæ ac ſanctiſsimæ vitæ alijs exempla præbere. Dicit Epiſcopus.* Accipe iugum

Domi-

Domini, &c. *deinde imponit caſulam, & ait.* Accipe veſtem ſacerdotalem &c. *Poſteà ſancto cathechumenorum oleo manus ambas inungit dicens.* Conſecrare, & ſanctificare digneris Domine manus iſtas, &c. *denique calicem ei cum vino, & patenam cum hoſtia ſuperpoſita porrigit dicens.* Accipe poteſtatem offerendi ſacrificium Deo, miſſaſquè celebrandi tàm pro viuis quàm pro defunctis, in nomine Domini. *Manibus deniquè ambabus eius capiti iterum ſuperpoſitis inquit.* Accipe Spiritum ſanctum, quorũ remiſeris peccata, remittuntur eis; & quorum retinueris, retẽta ſunt. *Poteſtas Christi corpus conficiendi, Deoq; placabiles hoſtias offerendi, & pœnitenti peccata remittendi, præcipua ſunt ſacerdotalis ordinis munera. Hic ordo (inquit Magiſter) à filijs Aaronis ſumpſit initium. Inſtituit illum Dominus in vltima cæna: quando panem & vinum in corpus ſuum & ſanguinem conſecrauit, & dixit. (Luc. 22.)* Hoc facite in meam commemorationem.

## Sacerdotij gradus, vita, miniſter. Cap. VI.

ORDO *iſte & ſi vnus eſt; varios tamen dignitatis habet gradus, & poteſtatis. Sunt ſimplices ſacerdotes, & Presbuteri; ſunt Archipresbiteri, Abbates, Epiſcopi, Ar*

RR *chiepiſcopi,*

*chiepiſcopi, qui etiam primates dicuntur, patriarchæ, & demum ſummus Pontifex; de quibus alibi dicendum eſt.* Iſtorum graduum diſcretio (*inquit Magiſter*) à gentilibus introducta videtur; qui ſuos flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim gentilium flamines dicebantur.

*Qualis autem eſſe debeat ſacerdos, ſub nomine Epiſcopi, deſcribit in priore ad Titum cap. 3. Paulus, inquiens.* Si quis Epiſcopatum deſiderat; bonum opus deſiderat. Oportet enim Epiſcopum irreprehenſibilẽ eſſe, vnius vxoris virum, ſobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hoſpitalem, doctorem, non vinolentum, non percuſſorem, ſed modeſtum, non litigioſum, non cupidum, non neophytum. Oportet autem illum & teſtimonium habere bonum ab ijs, qui foris ſunt &c. *Et ante cap. 2. dixerat.* Oportet Epiſcopum ſine crimine eſſe, ſicut Dei diſpenſatorem, non ſuperbum, non iracundum, non vinolentum, non percuſſorem, nõ turpis lucri cupidum; ſed hoſpitalem, benignum, ſobrium, iuſtum, ſanctum, continentem, &c. *Et in priore Petrus cap. 5. ait.* Seniores, paſcite, qui in vobis eſt, gregem Dei, prouidentes non coactè, ſed ſpontaneè ſecundum Deum; neque turpis lucri gratia,

gratia, ſed voluntariè; neque vt dominantes in cleris, ſed vt forma facti gregis ex animo.

*Manifeſtum ex dictis relinquitur, huius ſacramenti miniſtrum, ex officio ſuo, eſſe Epiſcopum; quod etiam ex ſanctis ſcripturis, & patrum teſtimonio, & conciliorum decretis, & Eccleſiæ conſuetudine probari facilè poterit. Verum eſt nihilominus abbatibus ſancti Benedicti minores ordines in ſua familia conferre, à ſummis Pontificibus indultum eſſe. Sunt aliqui, qui dicunt, Papam abbatibus quibuſdam ordinis Ciſtercenſium collationē ſubdiaconatus iam conceſsiſſe: & ſe ſuper hac re pontificias bullas vidiſſe. Sacerdotij autem collationem, ſi alij, quàm Epiſcopo Papa committeret: error (dicunt aliqui apud Franciſcum Victoriam in ſum. Sacrament. q. 235.) eſſet intolerabilis.*

*Sacramentum tantum eſt ſignum viſibile, quo poteſtas traditur. Res tantum eſt gratia, quæ dignè ſuſcipienti confertur. quæ à multis patribus ſacramenti fructus nuncupatur. Res & ſacramentum eſt character, qui in quolibet ordine, dum traditur clauis, vel liber, vel calix, vel aliud ab Epiſcopo, & verba proferuntur, in fine verborum, imprimitur.*

## Ordines ſeptem ad vnum tendunt.
## Cap. VII.

C*IRCA iam expoſitos ordines ſunt nonnulla digna animaduerſione. Vnum, Omnia ordinis ſacramenta or-*

*dinem aliquem & relationem habere, ad corpus Chriſti verum: quod in altari & benedicitur à ſacerdote, & offertur Deo, & populo adminiſtratur. Sacerdos, qui eſt veluti mediator inter Chriſtum & populum, operatur (quidquid vt ſacerdos operatur) ad vnionem inter vtrumq; faciendam. ideò conficit corpus Chriſti, & illud immolat incruentè, & populo ſumēdū diſtribuit; quo creatori, & redemptori ſuo ipſe populus vnatur, vnde ſacramentum vnionis etiam dicitur. quæ vnio, tum per ſacramenti confectionem, tum per populi præparationem efficitur. Vtraq; ſanè ad hanc ſanctam communionem requiritur. Ad confectionem deſeruiunt quattuor ordines priores. Sacerdos conficit; Diaconus ad conficiendū ſacerdoti ſubſeruit, atq; ſanguinem diſpenſat (ſi alicubi conſuetudo perſeuerat communicādi populum ſub vtraq; ſpecie.) Subdiaconus præparat materiam panem & vinum in vaſe ſacro, in quo fit conſecratio. Acoluthus parat materiam conſecrandam ſubdiacono in vaſis non ſacris, vt in vrceolis vinum & aquam; vt præſto ſint, cum voluerit ea ſubdiaconus. Ad populi præparationem tres alij ordines deſeruiunt. Exorciſta & Oſtiarius populum præparant remouendo prohibens. Exorciſta fugat diabolum, ne ſit impedimento, corpus Chriſti ſumere volentibus. Oſtiarius excommunicatos, & indignos ab hoc ſacramento repellit, ne dignos, et deuotos impediant. Lector præparat populum ad cognitionem, & dilectionem Chriſti, prophetas legendo, quæ omnes de Chriſto dixerunt, & de eius Eccleſia.*

## Ordines ſunt ſeptem. Cap. VIII.

*ALTERVM, Dominos Canoniſtas ordines nouem aſſerere; qui dictu ſeptem addunt & primam tonſurã, quam etiam (niſi fallor) appellant quandoque pſalmiſtatũ, & epiſcopatum (diſt. 21. cap.* Cleros. *Et diſt. 23. cap.* Epiſcopus cum ordinatur. *& cap.* Pſalmiſta) *Communis tamen patrum Theologorum opinio eſt; quòd tonſura, & epiſcopatus ordines non ſint; niſi fuſius ſacramentum ordinis ſumere voluerimus. quod S. Th. (in 4 diſt. 24 quæſt. 3.) doctiſsimè declarauit. Tonſura namq; ſiue corona ſecundum illos non eſt ordo; quia conferri poteſt quottidiè, & ſine miſſarum celebratiõne, non poteſt autem ordo; ſed eſt ſignum tonſura, à plebe miniſtrum Eccleſiæ diſtinctum oſtendens. Quantum autem ad Epiſcopatum, notandum, duplicem eſſe poteſtatem eccleſiaſticam, ordinis videlicet, & iuriſdictionis. Poteſtas ordinis ad verum Chriſti corpus in altari, ſiue in Euchariſtia refertur. Poteſtas verò iuriſdictionis Chriſti corpus myſticum reſpicit; quod eſt Eccleſia; & in eo tota verſatur. Iſta quidem poteſtas maxima in Epiſcopis eſt: quæ, quia per quandam conſecrationem eis confertur, ſacramentum id eſt ſacræ rei ſignum iure venit appellandum, non autẽ ordo; et ſi à dominis Canoniſtis ordo etiam epiſcopatus exiſtimatur. Loco citato S. Doctor aſſeruit. Ordinem dupli-*

*duplicem eſſe. Vnum, qui corporis Chriſti veri conſecratiōnē reſpicit: quo, ſimplici ſacerdcte non habet Epiſcopus poteſtatem maiorem. Alterum, qui ſacras quaſdam actiones ex officio operatur: & hic impropriè dicitur ordo; & non eſt ſacramentum; ſed dignitas quædam & eminentia, vt Epiſcopatus. Verba ſancti Doctoris iſta ſunt.* Ordo poteſt accipi dupliciter. Vno modo ſecundum quod eſt ſacramentum, & ſic (vt prius dictum eſt) ordinatur omnis ordo ad Euchariſtiæ ſacramentum. Vnde cum Epiſcopus non habeat poteſtatem ſuperiorem ſacerdote, quantum ad hoc nō erit Epiſcopatus ordo. Alio modo poteſt conſiderari ordo, ſecundum quod eſt officium quoddā reſpectu quarundam actionum ſacrarum, & ſic cum Epiſcopus habeat poteſtatem in actionibus hierarchicis reſpectu corporis myſtici ſupra ſacerdotem, Epiſcopatus erit ordo.

## An ſeptem ordines ſint ſacramenta. Cap. IX.

*ET ſi dubitādū non eſt, ordinem eſſe ſacramentum; nec de re hac catholicorum patrum aliquis dubitat: & tū in alijs, tum in Concilio Trident. Seſſ. 23. hoc definitum exiſtat. Eſt tamen apud patres aliquos, an cuncti ſeptem ordines*

*nes (de quibus diximus) maiores tres, & minores quattuor ſint ſacramenta, dubitatio. Durandus vir in re Theologica egregius (in lib. 4. diſt. 24 quæſt. 2) tenuit ſacerdotium tãtum eſſe ſacramentum; quia in eo tantùm ſpiritualis poteſtas exhibetur, ſine qua conficere corpus Chriſti nemo hominum poteſt; alios verò ordines non eſſe ſacramenta, ſed ſacramentalia quædam. Ad huius rei oſtenſionem ſatis apparentes rationes adducit; Illam in primis, quod illis ordinibus inſigniti faciant nihil; quod non inſigniti nõ facere non poſſit. Illũ videtur ſequutus Card. Caiet. tractatulo breuiſſimo, de Modo tradendi, vel recipiendi ordines. Ab horum opinione non multum abeſt Franciſcus de Victoria, in ſumma ſacramentorum, quam Fr. Thomas de Chaues compilauit q. 226. Adducunt iſti ad confirmandam opinionem rationes aliquot probabiles, quas à Durando omnes fermè ſumpſerunt. Sed quia nobis non licet plus ſapere, quàm oportet ſapere, tenemus nos cum magis communi patrum ſententia; omnes ſeptem ordines ſacramenta eſſe; & in eorum collatione per ſignum ſẽſibile conferri (non ponentibus obicem) inſenſibilem gratiã; & conferri in omnibus ad functiones quaſdam ſpiritualem aliquam poteſtatem; quam non ordinatis (vt Seſſ. 23. cap. 17. de reform. Syn. Trid. ſanciuit) exercere non licet; vt ſunt functiones Oſtiarij, Acoluthi, imò etiam ſubdiaconi, hoc eſt epiſtolarum in miſſa lectoris non ordinati. ſed et ſi ordinis aliqua functione illi vtuntur, carent tamen, & poteſta*

*te &,*

*te & gratia illa ſacramentali, quæ per miniſterium Epiſcopi in ordine recipitur.* O*rdinum omnium ſit mentio in Laodicen. concilio, quod fuit circa annum Domini 350. ca. 24. in quo ſic legitur.* Non oportet altari deſeruientes à presbyteris vſque ad diaconos, & deinceps ordinis Eccleſiaſtici omnes, vſque ad miniſtros, aut lectores, aut pſaltes, aut exorciſtas, aut Oſtiarios, aut etiam eos, qui in propoſito continentiæ ſunt, tabernas intrare. *Item in Concilio Carthag. 4. quod fuit anno 418. omnium ordinum ſit pluribus Can. mentio, vt ex ijs conuinci poſſit iam à principio hos ordines fuiſſe in Eccleſia, & eſſe de iure diuino, et eſſe ſacramenta. quorum etiã meminit doctor antiquiſſimus B. Dionyſius cap. 3. Eccleſiaſticæ hierarchiæ. Signum, quód Ab Apoſtolorum temporibus, ſunt ordines iſti tamquam ſacramenta in Eccleſia recepti, eorumquè functiones receptæ, quamuis pluribus in locis ſunt intermiſſæ quorundam ordinum functiones.*

## Subdiaconatus inter ſacros ordines. Cap. X.

VIDETVR *etiam ab aliquibus dubitatum, an inter ſacros ordines ſit numerandus ſubdiaconatus. Quoniã (extra de Aetate, & qualitate ordinandorum. cap.* A multis.) *Vrbanus primus, referente Innocentio iij. inquit.* Sacros

ordines

ordines diaconatum dicimus, & presbyteratum. hos ſiquidem ſolos primitiua Eccleſia legitur habuiſſe. *Eadem preciſè verba ex Vrbano diſt. 60. repetuntur. Et videtur Vrbani opinio poſſe illo perſuaderi; quòd in ſacris literis nulla fiat ſubdiaconi mentio; fiat autem Epiſcopi ſiue presbyteri & diaconi. vt in act. Apoſt. (cap. 11)* Vnus ex ſeptem diaconibus &c. *Et (in priore ad Titum 3.)* Diaconos ſimiliter oportet eſſe pudicos &c. (*Ad Philip. 1.*) Omnibus ſanctis, qui ſunt Philippis cum Epiſcopis, & diaconis, gratia &c. *His tamen non obſtantibus (capite citato.* A multis *) inquit Innocentius* verùm hodie ſubdiaconatus inter ſacros ordines computatur. *ſicut computauit Vrbanus ij. ſub his verbis.* Erubeſcant impij, & intelligãt iudicio Spiritus ſãcti, eos, qui in ſacris ordinibus presbyteratu, diaconatu, & ſubdiaconatu ſunt poſiti, ſi caſtè non vixerint, excludendos ab omni eorundem graduum dignitate. *Idem ſenſit B. Gregorius, idem ipſemet Innocentius eodem capite ſtatuit; & ita communiter ſentiunt patres Theologi.*

## An idem ſit Presbyter quod Epiſcopus. Cap. XI.

D. *Hieronymus Eccleſiæ doctor celeberrimus, & nunquam ſatis laudatus ſenſiſſe, Presbyterum & Epiſcopum*

*ſcopum eundem antiquitus fuiſſe ; expreſſeq; ſatis, atq; diffuſè (ſuper epiſtola ad Titum cap 1.) ſententiam ſuam explicuiſſe videtur. Deducuntur in medium B. Hieronymi verba à Dom. Canon. & (diſt. 93. cap.* Legimus in Iſa.) *quæ ipſe ſcripſit ad Euagrium. &) (diſt. 93 cap.* Olim idem erat ) *quæ ſuper epiſtola ad Titum idem dictauit: ſed (eadem diſt. cap.* Ecce ego.) *alia adducuntur, quæ ad Ruſticum Narbonenſem Epiſcopum, ipſe ſcripſerat. Mihi ſat erit verba Hieronymi ſuper epiſt. ad Titum, adducere; quibus ipſemet non tantum propriam ſententiam aperit; ſed eandem etiam, S. ſcripturæ auctoritate minimè ambigua nititur comprobare. Ediſſerens igitur illud Apoſtoli ad Titum.* Et conſtituas per ciuitates presbyteros &c. *inquit.* Diligenter Apoſtoli verba attendamus dicentis, Vt conſtituas per ciuitates presbyteros, ſicut ego tibi diſpoſui. Qui, qualis presbyter debeat ordinari, in conſequentibus diſſerens, hoc ait, Si quis eſt ſine crimine, vnius vxoris vir, & cætera. poſtea intulit. Oportet enim Epiſcopum ſine crimine eſſe; tanquam Dei diſpenſatorem. Idem eſt ergo presbyter, qui epiſcopus. Et antequam Diaboli inſtinctu, ſtudia in religione fierent; & diceretur in populis. Ego ſum Pauli, Ego Apollo, Ego autem Cephę; communi presbyterorum conſilio Eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam verò vnuſ-

quiſq;

quiſq; eos, quos baptizauerat, ſuos putabat, non Chriſti; in toto orbe decretū eſt; vt vnus de presbyteris electus ſuperponeretur cæteris; ad quem cura Eccleſiæ pertineret; & ſchiſmatum ſemina tollerentur. *Deinde ſubdit.* Putat aliquis non ſcripturarum, ſed noſtram eſſe ſententiam, Epiſcopū & presbyterum vnum eſſe; & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officij, relegat Apoſtoli ad Philipp. (cap. 1.) verba dicentis. Paulus & Timothæus ſerui Ieſu Chriſti omnibus Sanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, cum epiſcopis, & diaconis, gratia vobis, & pax, & reliqua. Philippis vna eſt Vrbs Macedoniæ, & certè in vna ciuitate plures, vt nū cupantur, Epiſcopi eſſe non poterant; ſed quia eoſdem epiſcopos illo tempore, quos & presbyteros appellabant, proptereà indifferēter de Epiſcopis, quaſi de presbyteris eſt loquutus. *Subiecit.* Adhuc hoc alicui videatur ambiguum; niſi altero teſtimonio comprobetur. In actibus Apoſtolorum (*cap.* 20.) ſcriptum eſt, quòd cum veniſſet Apoſtolus Miletum, emiſerit Epheſum, & vocauerit presbyteros eccleſię eiuſdem; quibus poſteà inter cætera ſic eſt loquutus. Attendite vobis, & omni gregi, in quo vos Spiritus ſāctus poſuit Epiſcopos: paſcere Eccleſiam Domini; quā ac-

quiſiuit per ſanguinem ſuum. Et hic diligentius obſeruate; quomodo vnius ciuitatis Epheſi presbyteros vocans, poſtea eoſdem epiſcopos dixerit. *Addit alia, quæ omnia referre longum eſſet.*

*Multi doctiſsimi viri obſtare D. Hieronymo putauerunt, quod in veteri lege Epiſcopus ſiue ſummus ſacerdos, ex diuina ordinatione, ſingulari quadam conſecratione conſecrabatur. Vngebatur enim (Leu. 8.) oleo ſacræ vnctionis in vertice capitis, & vnus ille ingrediebatur in ſancta ſanctorum, alios item ordinabat in ſuis officijs, & alia exercebat; quæ alijs ſacerdotibus minoribus non licebat. Ad ſimilem modum dicendum videtur, ex diuina ordinatione, caput epiſcopi inungi; & ſibi ſpeciales quoſdam actus conuenire; vt eſt altaris miniſtros ordinare, confirmare omnes, nonnulla benedicere, & eiuſcemodi alia. Et ita ſentire, opinio (inquiunt) communior eſt, & ſecurior. Mihi (ſit autem cum omni humilitate, & ſine pertinacia dictum) videtur ſententia D. Hieronymi ſanctiſsima, & ſanctis ſcripturis optimè confirmata; nec ei aduerſari, quod obiectum eſt de conſecratione ſummi ſacerdotis in veteri lege; & de peculiaribus quibuſdam eius actionibus. Vtrumq; enim verum eſt, videlicet, quòd Epiſcopus ſimplici ſacerdoti præfertur, & quòd præferatur, ſit ex diuina ordinatione; & rurſum quód in primitiua Eccleſia idem fuerit nomine Epiſcopus & presbyter, et vnū alteri non aduerſatur; & ſi prima fronte aduerſari videtur.*

Diſtat

Diſtat presbyter ab Epiſcopo. Cap. XII.

*AD apparentem hanc controuerſiam tollendam eſt notandum quòd Poteſtas Eccleſiaſtica duplex eſt. Vna ordinis, altera iuriſdictionis. poteſtas ordinis corpus Chriſti verum (vt ante dictum eſt) de matre virgine ſumptum reſpicit; vt habet eſſe in ſacramento: & à miniſtris Eccleſiæ conficitur; atquè in memoriam cruentæ immolationis ſine cruore immolatur. Poteſtas verò iuriſdictionis corpus Chriſti myſticum ſpectat ſiue ipſam Eccleſiam, ex fidelibus omnibus & bonis & malis congregatam. Maximus prioris poteſtatis & ſupremus actuum ſuorum gradus eſt conficere corpus Chriſti, & ſanguinem in altari. Quippè nec habet actũ nobiliorem in quoquam illa poteſtas, nec habere poteſt. Aequaliter autem conficit ſimplex ſacerdos, & Epiſcopus, & Papa. Quamobrem quo ad hanc ſolum poteſtatem, & quo ad ipſam tantum panis & vini confectionem, non tantum ſimplicibus Epiſcopis, ſed metropolitanis, patriarchis, ſummiſq; etiam Pontificibus quibuslibet ſimplices ſacerdotes æquauit D. Hieronymus. Ad Euagrium propterea ita ſcriptum ille reliquit.* Quid enim facit, excepta ordinatione Epiſcopus, quod presbyter, non faciat? Nec altera Romanæ vrbis Eccleſia, altera totius orbis exiſtimanda eſt. Et Galliæ, & Britanniæ, & Africa,

Africa, & Perſis, & Oriens, & India, & omnes Barbaræ nationes vnum Chriſtum adorant: vnā obſeruant regulam veritatis. Si auctoritas quæritur, orbis maior eſt vrbe. Vbicunque fuerit Epiſcopus ſiue Romæ, ſiue Eugubij, ſiue Conſtantinopoli, ſiue Rhegij, ſiue Alexandriæ, ſiue Tanis, eiuſdem meriti, eiuſdem eſt ſacerdotij. Potentia diuitiarū & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem, vel inferiorem Epiſcopum non facit. Cæterum omnes apoſtolorum ſucceſſores ſunt.

*Quantum autem ad iuriſdictionis poteſtatem bis (dixerim) per omnia ab Epiſcopo presbyter diſtat. Maximus nāque poteſtatis iuriſdictionis actus, vt mihi videtur, (quod dictum ſit cum proteſtatione) eſt paſcere oues Chriſti vniuerſas. ouium autem omnium paſcendi poteſtas non omnibus eſt à Christo collata apoſtolis; ſed vni Petro, cui (Ioan. 21.) non ſemel aut iterum, ſed tertio conteſtata erga Chriſtum dilectione, idem Chriſtus dixit.* Paſce oues meas. *Et* Tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos. *Quamobrem ab vno Petro, & ab vno legitimo eius ſucceſſore ſummo pontifice (cum ipſe vniuerſis ouibus ſuis vbiq; terrarum diffuſis præſens eſſe non poſſit) alijs hominibus, & ſacerdotibus quos tunc demum appellamus Epiſcopos, tribuitur, per conſecrationem, certorum gregum (ne in Eccleſia eſſet confuſio aliqua) certarumq; ouium paſcendi poteſtas; qui quidem*

*ſunt*

*ſunt ſui gregis, ſuæq; Eccleſiæ Epiſcopi ſiue ſuperintendentes atque ſpeculatores; ipſius autem Petri, ac ſummi paſtoris, ad Chriſti gregis vniuerſi curam ſuffraganei. Eccleſia namque Chriſti vna eſt; vnum igitur ouile, & vnus paſtor. Cyprianus ad Antonianum fratrem ſcribens; ſicut vnam tantum Chriſti Eccleſiam nouit; ita vnum tantum epiſcopatũ, epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſum intellexit. Et libello de vnitate Eccleſiæ inquit.* Epiſcopatus vnus eſt: cuius à ſingulis in ſolidum pars tenetur. *Hæc iuriſdictionis poteſtas, ſicut tradita eſt à Chriſto ipſi Petro, ita Sancti ſpiritus inſtinctu (qui Chriſti Eccleſiam regit, & protegit) diffuſa eſt à Petro in Eccleſiæ miniſtros Epiſcopos prout ipſi Petro imò Spirituiſancto per ipſum Petrum viſum eſt. Per hanc poteſtatem, multa in corpus Chriſti myſticum poſſunt Epiſcopi; quæ non poſſunt ſimplices ſacerdotes; quibus (quantum eſt ex parte ordinis) ouis nulla commiſſa eſt; ſed eas tantum curare tenẽtur; quas ſibi ſuus committit Epiſcopus. aliqua ſimiliter metropolitani, & patriarchæ pro gregis ſibi commiſſi amplitudine poſſunt, quæ nõ poſſunt ſimplices Epiſcopi. Eiuſmodi autem Beati Petri, & ſucceſſorum eccleſiaſticam inſtitutionem, & eorum omniũ ad ſuam poteſtatem ſignificandam, ſanctiſſimam conſecrationem, ex diuina ordinatione procedere, (cum eccleſiam ſuã nunquã ſe deſerturum Chriſtus promiſerit) dubitare catholicus homo non debet. Et de ijs hactenus.*

Cara-

## Caracteris impreſsio. Cap. XIII.

*CVm aliqui ordines (vt in ſuperiore dictum eſt) duarum aliqui plurium etiam rerum exhibitione, quæ non ſimul, ſed ſucceſsiue, & per duos aut etiam per plures actus, tradantur, perficianturq́; dubitare quis poterit, in cuius rei exhibitione, & in quo actu ſit ordinis promotio, & caracteris impreſsio? Dicerem (ſine pertinacia) in præſtantioris inſtrumenti ſiue rei traditione, ſub forma verborum præſcripta promotionem fieri, & caracteris impreſsionem. Rem illam, ſiue iſtrumentum illud appello præſtantius; quod actui ſacerdotis præſtantiori, qui eſt ſacroſanctæ Euchariſtiæ conſecratio, proximius deſeruit, & qui ad Euchariſtiæ ſacramentũ immediatius ordinatur. Exemplo res declaratur. Datur Acolutho candelabrum cum cereo, item dantur eidem duo vrceoli ad vinum & aquam pro miſſæ celebratione præparandam; quoniam autem vinum & aqua immediatius, quàm accenſus cereus Euchariſtiæ conſecrationi deſeruiunt, (cum in ſanguinẽ illa vertantur) in vrceolorum exhibitione, cum forma verborum, ſit in acoluthi ordinatione promotio, atque caracteris impreſsio. Subdiacono ſimiliter & liber epiſtolarum exhibetur, & calix ac patena ad Euchariſtiæ materiam panem & vinum præparandam; ſed quia iſta ſacramento immediatius, quàm epiſtolæ recitatio deſeruiũt; idcircò*

*ſit promotio & caracteris impreſsio in ipſa calicis & patenæ exhibitione, cum forma &c. Diacono manus ſuper caput Epiſcopus imponit, ſuper ſiniſtro humero ſtolam collocat, & euãgeliorum codicem eidem porrigit. per codicem datur poteſtas in miſſa legendi Euangelium; per ſtolam, quæ alio nomine orarium dicitur, inter miniſtros & geſtatores rerum ſacrarũ adnumeratur; per impoſitionem manuum fiunt & corporis Chriſti geſtatores in patena, vel calice, & ſanguinis diſpenſatores. (Nam & diaconi ſeptem, menſarum miniſtri facti ab Apoſtolis fuerunt, per ſolam manuũ impoſitionem Act. 6.) ideò in ipſa manuum impoſitione dicerem promotionem fieri, & caracteris impreſsionem. Non me intereà præterit, patres aliquot tenere fieri promotionem, & impreſsionem in exhibitione codicis; ſed prior opinio, quæ in manuum impoſitione fieri aſſerit, melior mihi ſemper viſa eſt; & quia eſt multorum probatiſsimorum patrum; & quia videtur etiam Dominorum Canoniſtarum 23. diſt. cap* Diaconus *quod ita ſe habet.* Diaconus dum ordinatur, ſolus Epiſcopus, qui eum benedicit, manus ſuper caput eius ponat; quia non ad ſacerdotium, ſed ad miniſterium conſecratur. *Sacerdos, qui conſecrandi habet poteſtatem, & ligandi vel ſoluendi, & baptizandi, & alia faciẽdi; in exhibitione calicis & patenæ cum materia ſuperpoſita promoueri dicatur; & tunc caractere notari; quòd hic actus ſit ipſi Euchariſtiæ conſecrationi quàm proximus.*

## In ordine aliqua aduertenda. Cap. XIIII.

DE ſubſtantia ordinis quinq; ſunt. 1. poteſtas ordinādi. 2. materia cum forma verborum præſcripta, & in ſacerdote vnctio manuum. 3. virilitas ſexus. 4. intentio debita. 5. baptiſmus, quia non baptizato non imprimitur caracter. Extra de presbytero non baptizato. cap. Veniens.

*Impedimenta autem plura ſunt ordinis. ætas, de qua in Concil. Trid. Seſſ. 23. cap. 2. de reformatione. Si quis tamen in minori ætate ordinabitur, tenebit ordo; ſed grauiter errabit, ſi ſine diſpenſatione tentauerit.*

*Homicida poſt baptiſmum, aut homicidio aliquid ex voluntate cooperans, niſi quis ſe cum moderamine inculpatæ tutelæ defendens alium occiderit. Si quis tamen homicida ordinem ſuſceperit, erit ordinatus. poſt ordinem ſuſceptum homicida voluntarius, ſine ſpe reſtitutionis deponitur. diſt. 50. cap. Miror.*

*Saltus in ordinibus. Non enim poteſt fieri diaconus, qui ſubdiaconus prius non fuerit; ſi tamen ordinabitur, tenebit ordo; ſed ſupplendum erit, quod dimiſſum fuerat.*

*Bigamia, de quo impedimento vide extra de bigamis non ordinandis. & diſt. 26. cap.* Acutius. *Triplex à patribus ſtatuitur bigamia, propria; cum quis vna defuncta vxore, aliam duxit, etiam ſi vnam habuit ante baptiſmum. impro*

pria,

*pria: cum quis viduam duxerit. Similitudinaria, cum quis, legitima vxore ſua viuente, cum alia contraxerit.*

*Vitium notabile corporis, de quo vide extra de corpore vitiatis.*

*Seruitus. de quo extra, de ſeruis non ordinandis.*

*Peregrinitas. qui namq; ignoti ſunt, promoueri non debent. extra de Clericis peregrinis. cap.* Inter quattuor.

*Neophytia. vide diſt. 26. cap.* A cunctis.

*Illegitima natalitia. extra de filijs presbyterorum. Redditur ratio. Quia tales vt plurimum ſcelus paternum imitãtur.*

*Simultas. Quia non poteſt quis ad duos maiores ordines ſimul promoueri. Simul, ideſt eodem die. Seſſ. 23. Trid. Syn. cap. 13. de reform.* Duo ſacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur; priuilegijs, ac indultis quibuſuis conceſſis, non obſtantibus quibuſcumq;. *diſt. 77. cap.* Subdiaconus. *ſic ordinatus videtur eſſe deponendus. Et diſt. 51. cap.* Qui in aliquo. *&c. dicitur circa medium cap. quòd* qui per gradus eccleſiaſticos non aſcenderit, &c. *& in fine cap.* Si quis autem deinceps contra prædicta vetita canonum ad ſacerdotij gradum indignus aſpirare contenderit; cum ordinatoribus ſuis adepti honoris periculo ſubiacebit.

*In ordinandis requiritur aliqua literarum cognitio, quæ autem in ſingulis ordinibus requiratur vide Triden. Concil.*

*decreta Seſ. 23:*

*Excommunicati, & hæretici Epiſcopi, atq́ ſchiſmatici ordinem quidem conferunt; ſi ipſi poteſtatem ordinandi aliquando legitimè receperunt, & vtantur materia, & forma, quibus S. Romana Eccleſia eccleſiarum & mater & magiſtra vtitur; & intendant illud facere, quod facit Eccleſia. (peccant nihilominus grauiſsimè, & qui dant, & qui recipiũt, ſi ſcienter recipiant) Sin minus, nec illi conferunt, nec iſti recipiunt. Et de Sacramento ordinis hactenus.*

## De Matrimonio. Cap. XV.

POST *Sacramentum ordinis, ſequitur Sacramentum matrimonij: quod ita ad corporalem propagationem facit, ſicut ordo (de quo dictum eſt) ad ſpiritualem. Matrimonium ſacramentum eſſe, definitum eſt, & in Concilio Florentino ſub Eugenio iiij. & in Trident. Seſ. 24. et in alijs multis. Sed in primis ab Apoſtolo (ad Epheſ. 4.) cum dixit.* Mulieres viris ſuis ſubditæ ſint, ſicut domino; quoniam vir caput eſt mulieris; ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ. *Et paucis interpoſitis.* Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiã; & ſeipſum tradidit pro ea. *Et poſt aliqua.* Ita & viri debent diligere vxores ſuas; vt corpora ſua. Qui ſuam vxorem diligit, ſeipſum diligit. Nemo enim

vn-

vnquã carnẽ ſuã odio habuit, ſed nutrit, & fouet eã; ſicut & Xp̃s Eccleſiã; quia mẽbra ſumus corporis eius, de carne eius, & de oſsibus eius. ꝓpter hoc relinquet homo patrẽ ſuũ, & matrẽ ſuam, & adhærebit vxori ſuæ, & erũt duo in carne vna. Sacramẽtũ hoc magnũ eſt. Ego autẽ dico in Xp̃o, & in Eccleſia. *Ante peccatũ ſignificabat matrimoniũ coniunctionẽ Dei, et animæ; poſt peccatũ Chriſti vnionẽ ſignificat cũ corpore myſtico, quod eſt Eccleſia; nec non diuinitatis vnionem cum humana natura, in vnitate ſuppoſiti; & ideo vtrobiq; eſt ſacramentum, licet alio & alio modo. matrimoniũ ſumere initiũ p ſpõſalia uidetur, ratificari per verba de præſẽti, cõſummari per copulam. Matrimonium à patribus (4. diſt. 27. Mag.) diffinitur,* quòd ſit viri mulieriſq; coniunctio maritalis, inter legitimas perſonas, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. *Dicitur matrimonium quaſi matris munus: quòd matris magis, quàm patris in eo officium vigeat: quoniam ipſa prolem (eſt autem proles matrimonij fructus ac finis) concipit, parit, nutrit, ac fouet multis crebriſq; laboribus. Sumi poteſt bifariam matrimonium (iuxta duos præcipuos fines, quos habere paullo poſt dicemus) vt eſt officium, & vt eſt remedium. Siue (quod idem eſt) vt naturale quid eſt, & vt eſt quid ſupernaturale in peccati remedium. Et quouis modo ſumatur, & ſacramentum dicitur, & illi conuenit data diffinitio. Dicitur* [ Viri

mu-

mulieriſq; coniunctio. ] *quia nec inter virum & virum, nec inter mulierem & mulierem poteſt eſſe matrimonium. Cum inter illos vel illas proles eſſe non poßit. Coniunctio autem, quæ inter virum fit & mulierem quamcumq́, etiam meretricem talis eſt, & tanta; vt ex duobus corporibus corpus vnum aliquo modo fiat, & vna caro. de vxore manifeſtum eſt (ex ſecundo cap. lib. Gen. Et cap. 19. Euãgelij S. Matthæi) de meretrice dubitare non debemus, ita (in priore ad Cor. cap. 6. ſcribente apoſtolo.* Neſcitis quoniã corpora veſtra membra ſunt Chriſti? tollens ergò membra Chriſti faciam membra meretricis? Abſit. An neſcitis quoniam qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur? erunt enim (*inquit*) duo in carne vna. *Additur* [ maritalis ] *quoniam plura coniunctionum genera inter virum, & mulierem eſſe poſſunt; ad quorum omnium diſtinctionem ponitur in diffinitione uerbum* [ maritalis. ] *quod hæc ſola coniunctio ad matrimonium pertineat. Si quæras, per quid efficitur iſta maritalis coniunctio? patrum chorus reſpondebit, per conſenſum uerbo de præſenti debitè explicatũ. Non enim ſufficit ſolus animorum conſenſus ſine verbo de præſenti. Nec ſufficit verbũ de præſenti, ſi abſit conſenſus. Corollario ſequitur, verbum de futuro, etiam ſi iuratum fuerit, matrimonium non efficere. Eſt autem conſenſus triplex, cohabitationis, copulationis, & coniugalis ſocietatis. conſenſus tertius verbo de præſenti debitè* 

uu iiii *expli-*

*explicatus matrimonium efficit, non primus aut ſecundus. Sequitur* [ inter legitimas perſonas ] *per hoc verbum matrimonij explicatur materia, ſecundum multorum patrũ opinionem, quibus, vt aduerſari nequaquam mihi licet, ita, quod ſentiam, dicere non mihi nẽgabitur. Materia mihi iam videtur tacta prius & explicata, quæ eſt, vir & mulier: nunc in materia apponitur conditio; ſine qua non contrahitur matrimonium. quòd non quilibet uir aptus ſit, aut ſi aptus non cum quauis muliere; nec qualibet mulier apta ſit; aut ſi apta, non cum quouis viro contrahere poſſit; ſed quód perſonæ legitimæ ſint, omninò requiritur. Legitimæ illæ perſonæ dicuntur; quæ à legibus excluſæ non ſunt. Duodecim conditiones ſunt, quibus per leges à matrimonio perſonæ nonnullæ excluduntur, repelluntur que, quæ his verſibus breuiſſimè comprahenduntur.*

*Error, conditio, votum, cognatio, crimen,*
*Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas.*
*Si ſit affinis, ſi forte coire nequibis.*

*Hæc facienda vetant connubia, facta retractant. Iſtæ propterea conditiones omnes matrimonij impedimenta dicuntur.*

## Tactæ conditiones breuibus declarantur. Cap. XVI.

I*Mpedimentum primum error dicitur. Eſt autem error quadruplex. Vnus, perſonæ. cum loco vnius perſonæ ſuppo*

*nitur*

*nitur altera, cum qua per ignorantiam ſit copulatio; quod eue nit Iacob: qui loco Rachelis (Gen. 29.) concubuit cum Lia, ei ignorati noctu ſuppoſita. contractus nullus eſt, niſi errore iam detecto, contractui conſentiat ille, qui deceptus eſt. Alter eſt fortunæ; vt quem credebat diuitem, pauper eſt inuētus. Tertius eſt qualitatis, vt quem credebat bonum, nobilem, ſanum, improbū, ignobilem, valetudinarium agnouit. Quartus conditionis, ut quem putabat liberum ſeruus inuentus eſt. error fortunæ & qualitatis coniugij conſenſum non excludit. Error perſonæ & conditionis coniugij conſenſum non admittit.* (*29. q. 1. cap. vnico & quæſt. 2. cap.* Si quis ancillam. *Et extra de coniugio ſeruorum cap.* propoſuit.)

*Impedimentum ſecundum dicitur conditio (de qua in ſuperiore impedimento dictum eſt) quæ triplex eſt, melior, peior, & æqualis. melior vt cum ſeruus vel ſerua contrahit cū libera vel libero. par, vt cum liber vel libera, cum libera vel libero, aut ſeruus & ſerua, cum ſerua vel ſeruo. Peior, vt cum liber vel libera, cum ſeruo vel ſerua. Tertia contractū etiam poſt copulam dirimit; ſi per ignorantiam factum eſt: niſi eius, qui melioris conditionis eſt, ſubſequatur conſenſus.*

*Tertium eſt votum intelligas tu caſtitatis; quod duplex eſt. Simplex, & hoc impedit contrahendum, ſed contractū non dirimit. Solemne, quod fit vel in ſuſceptione ordinis ſacri, vel in profeßione expreſſa, vel tacita probatæ à ſede Apoſtolica religionis; hoc autem & impedit, & dirimit. ſuper*

*quo tamen ( eſt enim impedimentum de iure poſitiuo) Papa diſpenſare poteſt.*

*Quartũ cognatio dicitur : quæ triplex eſt vna carnalis ſiue naturalis, altera ſpiritualis, tertia legalis. Naturalis triplici via ſumi poteſt, uel aſcendẽdo ut pater, auus proauus, atauus. vel deſcendendo, vt pater, filius, nepos pronepos. vel ad latus procedendo, ut pater mater, frater ſoror, ex fratre vel ſorore filius nepos, vel neptis, & ex illis pronepos vel proneptis. In omni via impedimentum eſt nunc ad gradum quartũ vſque incluſiuè, aliàs erat ad ſeptimum vſque; ſed vt aliàs in aliquot illorum graduum erat diſpenſatio vſque ad quartum incluſiue; ita & nunc in quarto gradu eſt non multa difficultate diſpenſatio. pro grauiſsima autem cauſa cum principibus fit in tertio gradu, imò & in ſecundo diſpenſatio. In primo autem, qui inter fratrem & ſororem eſt; non eſt audita diſpenſatio. fuit tamen inter fratres & ſorores in principio mundi, hoc eſt inter filios & filias Adæ matrimonium : ita prolis neceſsitate cogente. Impedimentum hoc, non accedente diſpenſatione & impedit, & dirimit. Cognatio ſpiritualis ex ſacramentorum duorum adminiſtratione procedit Baptiſmi videlicet, & Confirmationis. Ex ſacramento pœnitentiæ ſacerdos pater, pœnitens filius vel filia ſpiritualis dicitur; ſed ex eo cognatio non oritur; ſed tantum paterna quædam charitas, & filialis reuerentia. vt quamuis ſacerdos grauiſsimè peccat, ſi muliere quauis extranea abutatur; multo tamen grauius*

*uius peccaſſe conuincitur, ſi ſpirituali filia abuſus fuerit ( 30. q. 1. cap.* Si quis ſacerdos) *At ex baptiſmo, & confirmatione non ſolum inſurgit cognatio inter baptizantem vel cõfirmantem, & baptizatum vel confirmatum, ſed inter baptizatum etiam vel confirmatum, et eos qui ſuſcipiunt, vel tenent, et patres eorum, quos ita tenent, aut ſuſcipiunt. Vlterius autem non progreditur iſta cognatio. Ita decreuit Côcil. Trid. (Seſſ. 24. cap. 2. de Reformat.) Cognatio legalis eſt inter adoptantem & adoptatum, impedit & dirimit inter adoptantem, & vxorem eius, & adoptatum, & matrem eius aut vxorem. An impedimentum tranſeat vlterius? crederem, quod non, cum non ſit in canone expreſſum. Hoc autem impedimentum (ex cap. vnico extra de Cognatione legali) intelligitur durante adoptione. Super hoc impedimento (cum ſit iuris poſitiui) diſpenſatio fieri poteſt.*

*Quintum impedimentum crimen dicitur. crimina, quæ contrahendum matrimonium impediant & contractum etiã dirimant, duo ſunt. Vnum eſt inceſtus cum conſanguineo, vel conſanguinea vxoris vel viri in primo vel ſecundo gradu, ante conſummatũ matrimonium, ſiue ante ſponſalia ſiue poſt ( 23. q. 7. Et in Trid. Seſſ. 24. cap. 4. de refor. ) ſecus autem ſi poſt matrimoniũ conſummatum. tunc enim non dirimit, exigere tamen (dicunt patres aliquot) debitum prohibet. Alterum, cum quis vxore viuente alteri mulieri commiſcetur, eidemq́ fidem dederit, ſe eam ducturum, vxore*

*mortua*

*mortua. idem de vxore dicendum marito viuente* (31. q. 1.) *præſertim ſi coniunx in coniugem mortem molitus fuerit, quo citius poßit alteri nubere, vbi ſupra.*

## Sequuntur alia impedimenta. Cap. XVII.

*Impedimentum ſextum eſt Cultus diſparitas: quæ præcedat: non autem quæ contractum, & conſummatū matrimonium ſequitur* (*Gen.* 28.) *Iſaac Iacobo præcipit.* Noli accipere coniugem de genere Chanaan. *Et* (*Exod.* 34.) Nec vxorem de filiabus eorum accipies filijs tuis, ne fornicari faciāt filios tuos in Deos ſuos. *Et* (*Deut.* 7.) Non ſociabis cum eis coniugia. *Et* (*lib.* 1. *cap.* 10.) Eſdras vniuerſa cum alienigenis contracta coniugia diremit. *Si autem poſt conſummatum, aut etiam poſt contractum matrimonium religionis diſparitas ſequuta eſt. Permittit Apoſtolus* (1. *Cor.* 7.) *fidelem coniugem cum infideli permanere.*

*Septimum. Vis ſiue violentia. Certum eſt, non eſſe animi cuiuſpiam conſenſum in eo, in quo vim ille patitur. metus etiam, qui in cōſtantem virum cadere poßit, impedit, & dirimit.* (*extra de Sponſalibus.*)

*Octauum. Ordo ſacer impedit matrimonium, & dirimit, ſi præcedat. An autem matrimonium dirimat ordo ſubſequutus; experimur iam in græcis non dirimere, ſed in pri-*

*mitiua etiam Eccleſia coniugati promouebantur. Dicunt nõnulli in Romana Eccleſia iſta matrimonia aliquando tolerari, per antiquam quandam Extrauagãtem Ioan. 22. quam ego non vidi. Certum eſt, quod Papa in hoc diſpenſare poteſt; quoniam hoc impedimentum eſt de iure poſitiuo. Certũ eſt etiam (diſt. 26. cap.* Decernimus.) *neminem in ſacro ordine conſtitutum vxorem poſſe ducere ſine diſpenſatiõne, quæ ſine rationabili cauſa concedi non debet.*

*Nonum impedimentũ dictum eſt ligamen. Ligatus vel ligata vni per verba de præſenti coram ſacerdote ſuo & teſtibus iuxta formam Concilij Trid. non poteſt, cum alio vel alia contrahere; niſi forte alter coniugum ante conſummationem, probatam religionem profeſſus fuerit; poſt cuius profeſſionem poteſt eius coniunx alteri nubere. Ex diuturna etiam abſentia alterius coniugis, quæ tanta ſit, vt de eius obitu rationabiliter credi poßit, alter coniugum (puto) cum alia contrahere poterit; qui ſi viuens tandem ad vxorem ſuam verterit, recipi coniunx à coniuge debet.*

*Decimum eſt Honeſtas, hoc eſt publicæ honeſtatis iuſtitia. extendebatur olim hoc impedimentum ad quartum gradum vſque. Nam ſi quis cum muliere aliqua ſponſalia contraxerit; ex illis ſponſalibus, publicæ honeſtatis iuſtitia oritur, quæ impediebat olim & dirimebat à primo matrimonium vſq; ad quartum gradum; in quibus gradibus nullius mariti conſanguineus ſponſatam in vxorem, & nulla ſimiliter*

*ter ſpenſatæ conſanguinea ſponſum in maritum ducere poterat. Nunc autem (per Trid. Concil. Seſſ. 24. cap. 3. de Reformat. matrim.) impedimentum iſtud vltra primum gradum non progreditur.*

*Vndecimum. Affinitas, quæ ex cuiuſuis mulieris carnali copula contrahitur, olim impediebat vſque ad quartũ gradum; nunc non excedit gradum ſecundum, ex Concil. Trid. vbi ſupra cap. 4.*

*Duodecimum eſt impotentia coeundi, quæ duplex eſſe poteſt, naturalis, & aduentitia, illa in frigidis, iſta in maleficiatis eſt: vtraque & impedire & dirimere poteſt in ijs, qui cupiunt patres fieri, aut matres; niſi impotentia poſt legitimum matrimonium iam conſummatũ fuerit contracta; vt euenit quandoq́ ex genitalium ſectione, vel alia eiuſmodi cauſa. (33. q. 1.) Si tamen poſt agnitum impedimentum ſiue naturale ſiue aduentitium conſentiant permanere coniugati; matrimonium dirimi non poterit.*

*Sunt impedimenta aliqua ad contrahendum, vt temporibus ab eccleſia prohibitis contrahere: quæ nunc prætermittantur.*

## De forma, fine, miniſtro, & inſtitutore. Cap. XVIII.

*QVemadmodum matrimonium duplex eſt fidelium et infidelium; & vnum diſtat ab alio; quod (vt dixit*

*Mag.*

*Mag. diſt. 39. lib.4. ibi.* Copula ergo maritalis. ) *infidelium ( ſi ritè celebratum fuerit) ſit legitimum matrimonium; ſed non ratum. (Quare non ratum? Reſpondet. Quia ſine fide) Fidelium autem & legitimum & ratum eſt. Ita (meo iudicio) duplex eſt matrimonij forma. Vna, legitimi matrimonij non rati, altera legitimi & rati. Illius forma ſũt coniugum verba, quæ de præſenti conſenſum explicant.* Ego te in virum, ego te in vxorem accipio. &c. *Legitimi autem & rati forma. Verba quidem ſunt coniugum de præſenti. Ego te accipio in virum, & ego te accipio in vxorem, ſed requiritur præterea vt illis accedant verba proprij ſacerdotis ( ſi ratum eſſe debeat ) Ego vos coniugo in matrimonium in nom. patris. &c. vel alia eiuſmodi pro conſuetudine ſuæ Eccleſiæ. Non enim eſt ( ex definitione Trid. Concilij ) legitimum & ratum, ſi aut clandeſtinum fuerit matrimonium, aut ſine teſtibus, & ſuo ſacerdote. Hoc mihi perſuadet; quod reliqua omnia ſacramenta à ſacerdote fidelibus adminiſtrantur ( niſi neceſſitas in baptiſmo ſacerdotem excludat) nec ab alio adminiſtrari poſſunt. Sed quid ille in adminiſtratione facit aliud; quàm materiam cum forma verborum præſcripta applicat ſuſcipienti? Si ſacramentum eſt matrimoniũ ( vt eſſe certiſſimum eſt ) dicemus illud ab alio in Eccleſia Chriſti ritè & plenè adminiſtrari poſſe, ita vt legitimum & ratum ſit, quàm à Sacerdote? Hoc quod dixi, à patribus Trid. Syn. (Seſſ. 24 ) ſapientiſſimè & ſanctiſſimè*

*me conſideratum fuiſſe videtur: qui ſine ſuo ſacerdote, & fidelibus teſtibus contracta matrimonia irrita fecerunt; & ad ſcandala multa euitanda; & (vt mihi videtur) quia carent ſuo miniſtro; & vera illa forma; qua vti debent in Eccleſia fideles Chriſti coniugati.*

*Finis matrimonij duplex eſſe poteſt, principalis, & ſecūdarius. Fines ſecundarij multi eſſe poſſunt. Diuitiæ, ſpecies, nobilitas, amicitia, & alia id genus. Principalis autem duplex eſt. Vnus proles, alter remedium, hoc eſt fornicationis, & omnis illiciti coitus, atq; incontinentiæ, & breuiter peccati carnalis euitatio. Ponitur propterea in diffinitione* [ indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens. ] *quæ verba triplicem vnitatem in coniugatis debere eſſe ſignificant. Vna animorum, altera habitationis, tertia carnalis copulationis: ita vt nulla alienæ perſonæ interpoſitio aliquando fiat, vt nullum interueniat diuortium, aut diſsidium.*

*Quis ſit miniſter in matrimonio inter fideles contrahendo dictum eſt: ſacerdos videlicet proprius & non alius (quatenus matrimonium ſacramentum eſt) niſi de eius licentia. Inſtitutor Chriſtus eſt; qui, vt Deus illud inſtituit in paradiſo terreſtri ad officium. (Gen. cap. 1.)* Maſculum, & fœminam creauit eos. Benedixitq; illis Deus, & ait. Creſcite & multiplicamini & replete terram. &c. *Et (cap. 2.)* Immiſit Dominus Deus ſoporem in Adam; cumq; obdormiſſet; tulit vnam de co-

ſtis

ſtis eius, & repleuit carnem pro ea, & ædificauit coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem; & adduxit eam ad Adam; dixitq; Adam. Hoc nunc os ex oſsibus meis, & caro de carne mea. Quamobrem relinquet homo patrem ſuum & matrem, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna. *Et (cap. 9. poſt diluuium conſumptis reliquis hominibus omnibus.)* Benedixitq; Deus Noe, & filijs eius; & dixit ad eos. Creſcite & multiplicamini, & replete terram. *Chriſtus vt homo, & vt caput Eccleſiæ inſtituit illud, vt eſt nouæ legis ſacramentum. Tum confirmando, quæ dicta ſunt in Geneſi, quando (Matth. 19.) Phariſæi illũ interrogant.* Si licet homini dimittere vxorem ſuam quacumq; ex cauſa? Qui reſpondens ait eis. Non legiſtis; quia qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos? & dixit. propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori ſuæ; & erunt duo in carne vna. itaq; iam nõ ſunt duo, ſed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Et quando (Ioan. 2.) honeſtauit ſua præſentia nuptias: & illas nouo miraculo decorauit, aquæ in vinum optimum conuerſione. ſed in primis quando non niſi de legitimo matrimonio naſci ipſe voluerit: non per carnis concubitum inter coniuges, ſed per mentis conſenſum.*

Notanda

## Notanda nonnulla. Cap. XIX.

NOTANDA *ſunt in ſacramento matrimonij nonnulla. Vnum, quód matrimonium inſtitutum eſt, & ante peccatum ad officium in paradiſo (Gen. cap. 1. & 2.) ad naturam multiplicandam; & poſt peccatum in remedium ad vitium cohibendum. (Gen. 9.)* Benedixit Deus Noe, & filijs eius; & dixit ad eos. Creſcite, & multiplicamini, & replete terram. *Auguſt. (lib. 9. in Gen. cap. 7.)* Quod ſanis eſt ad officium: ægrotis eſt ad remedium. *Prior inſtitutio habuit præceptum propagandæ naturæ gratia; poſterior habuit indulgentiam.*

*Alterum, quód tria ſunt bona matrimonij, proles, fides, ſacramentum. Eſt autem educanda proles, non diabolo per vitia: ſed tum vniuerſitatis vtilitati, ad humani generis ſuſtentationem, per virtutes morales, prudentiã, fortitudinẽ, iuſtitiã, temperantiã: tum in primis Deo ad animæ ſuæ ſalutẽ, per baptiſmum, & ſanctiſsima ſacramenta, atq; per theologicas virtutes, fidem, ſpem, & charitatem. Fides, quæ eſt alterum matrimonij bonum, debet eſſe per thorum immaculatum: vt nulli alteri viro vxor, nulli alteri mulieri maritus aliquando per carnalem copulationem coniungantur:* Sed ſit (*Hebr. 13.*) honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. *Sacramentum eſt bonum*

*tertium. quod eſt ſignum ſenſibile inſenſibilis gratiæ. hoc autem ſignum ſenſibile ipſa debita coniugalis coniunctio eſt; quæ coniunctionem Chriſti cum Eccleſia ſua, quæ nos ſumus, ſignificat (ad Hebr. cap. 3.)* Chriſtus tanquam filius in domo ſua; quæ domus ſumus nos; ſi fiduciam & gloriam ſpei vſque in finem firmam retineamus. *Eiuſmodi autem debita coniugalis coniunctio ſine gratia eſſe non poteſt. Sit igitur inter coniuges indiuidua vitæ cōſuetudo ad vnionis indiuiduæ ſimilitudinem, atque imitationem, quæ inter Chriſtum eſt & Eccleſiam.*

*Tertium in legitimo coniugio talis ac tantus nexus eſt viri & mulieris; vt ſola morte diſſolui poßit; non ſolum poſt carnalem copulam, ſed ante etiam, poſtquam rite & legitimè contractum eſt. poſt quidem, morte corporali (nulla eſt enim in terra poteſtas, per quam matrimonium inter fideles legitimum ratum & conſummatum diſſolui poßit) Stat D. N. Ieſu Chriſti ſententia.* Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Ante copulam verò morte ſaltem ſpirituali; vt ſi alter coniugum religionem probatā ingrediatur, & eam profiteatur. Verum eſt. quòd ſuper eiuſmodi matrimonijs, ante copulam, diſpenſauit aliquando Papa. poſſet etiam illud dici (quod Franciſcus à Victoria dixit) quòd Papa non diſpenſauerit; ſed diſpenſare viſus fuerit, cautißimè cognito aliquo; quòd forte matrimonium præceſſerat, impedimento. In matrimonio legitimo & rato, in quo nulla eſt, ſine*

corpo-

*corporali, vel ſpirituali morte ſolutio duplex intelligi poteſt ſeparatio corporalis videlicet, vel ſacramentalis. hæc nunquã non interueniente morte, illa aliquando permittitur in Eccleſia interueniente cauſa rationabili, vt cauſa fornicationis. (Matth. 5. ait Dominus)* Qui dimiſerit vxorem ſuam, excepta fornicationis cauſa, facit eam mœchari; & qui dimiſſam duxerit, adulterat. *Eſt autem, quantum ad coniugium, & quantum ad corporalem ſeparationem, par ius in viro, & in muliere. Vndè Hieronymus.* Non eſt vxor adultera dimittenda, & vir mœchus tenendus. *Quamobrem nequit vxor adultera à viro dimitti, niſi expers vir ipſe fornicationis exiſtat.* Nihil (*inquit lib. 1. de ſerm. Dom. in monte Auguſt.*) iniquius eſt; quàm cauſa fornicationis vxorẽ dimittere; ſi & ipſe cõuincitur fornicari. Occurrit enim iſtud, in quo alium iudicas, te ipſum condemnas: *Si quæras, an pio marito vxorem adulteram retinere liceat Reſpondet Chryſoſt. (& ponitur 32. q. 1. cap.* Crudelis.) Sicut crudelis & iniquus eſt, qui caſtam dimittit; ſic fatuus eſt, & iniquus, qui retinet meretricem. *Et (Prou. 18.)* Qui tenet adulteram ſtultus eſt & inſipiens. *Hæc autem & ſimilia ſanctorum dicta, de ea, quæ in adulterio perſeuerat, intelligenda ſunt; ſi autem, quæ adulterauit, pœnitentiam egerit, non eſt dimittenda; aut ſi dimiſſa fuerit à viro ſuo eſt reconciliãda.* Nec turpis (*in-*

*quit Auguſt.*) aut difficilis erit coniugij reconcilia tio; vbi per claues cœlorum non dubitatur fieri remiſsio peccatorum; non vt poſt diuortiũ adultera reuocetur; ſed vt poſt Chriſti conſortium adultera non vocetur. *Fornicatio, propter quam coniux coniugem dimittere poteſt, eſt omnis illicita concupiſcentia (ſecundum Auguſt. lib. de fide & operibus) non tantum quæ in ſtupris, cum alienis viris, vel fœminis committitur; ſed etiam quæ à lege, & mandatis Dei aberrare faciat; & perniciosè corrumpat; vt infidelitas, hæreſis, & alia quæcumq; quæ bonis tribus matrimonij, aut eorum alicui ſit aduerſa.*

## Inter Mariam & Ioſeph verum coniugium. Cap. XX.

INTER *Mariam Virginem, & B. Ioſeph fuit legitimum & ratum coniugium; quod vtriuſque conſenſus, coram ſacerdote & conteſtibus, ſanctiſsimus effecit: & fuerũt in eo omnia matrimonij bona.* Impletum eſt (*inquit S. Auguſt. lib. de Nupt. & concup. cap. 11.*) in illis parentibus Chriſti omne nuptiarum bonum, proles, fides, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum; Fidem, quia nullum adulterium; Sacramentum, quia nullum diuortium. *addit.* Et licet non interceſſerit coniugalis concubitus; coniuges

iuges tamen verè fuerunt, & parentes, non carne ſed mente. *Sunt tamen qui ſentire videntur, perfectum fieri coniugium per carnalem copulationem, S. Ambroſ. (lib. de Patriarchis. cap. 11.) huic opinioni ſuſcribere videtur his verbis.* In omni matrimonio coniunctio intelligitur ſpiritualis: quam confirmat & perficit coniunctorum commixtio corporalis. *Nota verbum illud [confirmat, & perficit]* Sed intelligendum eſt (*inquit Mag lib. 4. diſt. 30.*) Coniugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem, vel ſanctitatem coniugij; ſed quantum ad ſignificationem; quia perfectius vnionem Chriſti & Eccleſiæ tunc figurat.

*Si quæras, quorſum factum eſt inter ipſos coniugium; ſi non erat Chriſtus naſciturus per concubitum? Multæ ſanctiſſimi huius coniugij à ſanctis patribus redduntur cauſæ. 1. Vt eſſet ſignum coniugij inter Chriſtum & Eccleſiam; quæ virgo eſt, vt fuit Virgo Maria. 2. Vt integerrimæ ſuæ caſtitatis Maria teſtem haberet maritum. 3. Vt, per Ioſeph virum ſuum, genus Mariæ oſtenderetur; quòd eiuſdem tribus eſſent coniuges. 4. Ne bona virginis fama periclitaretur. 5. Ne virgo tanquam incontinens damnaretur. 6. Vt virginē pauidam mariti præſentia ſolaretur. 7. Vt filij diuinitas diabolo celaretur. 8. Ne Iudæis, ad perſequendum Chriſtum tā quam illegitimum, aliqua vel leuis cauſa relinqueretur.*

An

An ſine aliqua culpa, poſsit inter coniuges. eſſe commixtio. Cap. XXI:

E*T ſi de ſemine Adami abſque peccato originali filius naſci non poteſt; poteſt tamen inter parentes abſque culpa fieri coniunctio; ſi prolis tantum ſuſcipiendæ cauſa ordinatè commiſceantur: quacunque autem alia coniuges ratione conueniant, absq; omni culpa conuenire non poterunt.* Coniugalis concubitus. (*inquit Aug. lib. de bono coniugali*) generandi gratia non habet culpam. Concupiſcẽtiæ verò ſatiandæ, ſed tamen cum coniuge, propter thori fidem, venialem habet culpam. *Et alibi dixit.* Incontinentiæ malum eſt; quód vir cognoſcit vxorem vltra neceſsitatem procreandi liberos. *Sed obſtare videtur Apoſtolus, qui (1. Cor. 7.) de coniugatis ediſſerens, & de coniugatorum commixtionibus, inquit.* Hoc autem dico ſecundũ indulgentiam, non ſecundum imperium. *Sed cui præſtatur venia ſiue indulgentia, niſi culpæ? vt inde nuptias Tatiani hæretici, tãquam peccatum, improbare ſint auſi.*

*Adde S. Gregorij ſententiam (quæ ponitur 33. q. 4. cap.* Vir.) Vir cum propria coniuge dormiens; niſi lotus aqua Eccleſiam intrare non debet. *ſed aqua ablui eſt aliqua pœna, at cui debetur pœna niſi culpæ?*

*Addit*

*Addit.* Non ſit, etiam inter coniugatos, carnalis concubitus ſine concupiſcentia. Concupiſcentia autem (*Iacobi 1.*) cum conceperit, parit peccatum. *Non igitur ſine peccato inter coniugatos poteſt eſſe aliquando commixtio: ſi etiam prolis tantum ſuſcipiendæ cauſa fiat.*

*Verumenimuerò ſi ſine peccato coniuges ipſi coniungi non poſſent, malè dixiſſet Apoſtolus (1. Cor. 7.)* Si nupſerit virgo, non peccauit. *abſit tanta blaſphemia ab eo, qui cum veritate dixit.* puto autem, quód & ego Spiritũ Dei habeam. *Falſa etiam eſſet ſcriptura. Prou. 18.* Qui inuenit mulierem bonam, hauriet iucunditatem à Domino, *quæ falſa eſſe non poteſt. Non multa difficultate tolluntur obiecta. primum per indulgentiæ diſtinctionẽ, quæ (lib. 4. diſt. 26.) ponitur à Mag. Eſt indulgentia triplex, cõceßionis, remißionis, et permißionis. Permißio eſt de minoribus bonis vt eſt coniugiũ, et de minoribus malis. ibi ſumitur ab Apoſtolo* indulgẽtia, *quæ non de malo aliquo eſſe dicitur, ſed de minori bono; quoniã matrimonium (ut ſæpe dictum eſt) eſt in remedium. Poteſt etiam illo loco ſumi indulgentia permißionis de minori malo; quoniam coniugatorum incontinentiæ ante meminerat Apoſtolus, inquiens.* Nolite fraudari inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tẽpus; vt vacetis orationi; & iterum reuertimini in idipſum; ne tentet vos Sathanas, propter incon-

tinen-

tinentiam veſtram. *Mox ſubiecit.* Hoc autem dico ſecundum indulgentiam.

*Secundum obiectum ipſemet S. Gregorius remouet loco citato cum ſubdidit.* Nec hoc dicentes culpam deputamus eſſe coniugium; ſed quia ipſa licita admixtio coniugis ſine voluptate carnis fieri non poteſt; à ſacri loci ingreſſu eſt abſtinendum. *Et aliquot interpoſitis.* Si quis verò ita ſua coniuge, non cupiditate voluptatis raptus, ſed tantum creandorũ liberorum gratia vtitur; iſte profectò, ſiue de ingreſſu Eccleſiæ, ſiue de ſumendo corporis dominici myſterio, ſuo eſt iudicio relinquendus; quia prohiberi à nobis nõ debet accipere; qui in ignẽ poſitus neſciat ardere.

*Ad tertium. Et ſi omnis concupiſcentia carnis peccatum eſt ex origine, hoc eſt ortum habet à peccato; non tamen de neceſſitate peccatum formaliter eſt.* Sæpè enim (*dixit aliquando Vgo Victorinus*) delectatur vir ſanctus ſecũdum carnem in re aliqua, vt requieſcendo poſt laborem, edendo poſt eſuriem; nec tamen talis delectatio peccatum eſt, niſi ſit immoderata, *talis poteſt eſſe delectatio carnis cum coniuge; vt ſine peccato formaliter eſſe aliquando poſsit. Nempè ſi propter voluptatem ſolam fiat coniunctio, peccatum eſt formaliter, ſed veniale. In reddendo debito nullum (puto) eſt peccatum: in exigendo au-*

*do autem eſſe poteſt. imò etiam ſine peccato quandoq; poteſt non reddi; ſi reddere ſalutis ſit detrimentum animæ, vel corporis. Sunt enim aliqua, quæ exigere debitum prohibent; nulla quæ reddere exactum. Quattuor de cauſis ad vxorem acceditur. cauſa prolis, cauſa reddendi debiti, cauſa vitandæ incontinentiæ, et cauſa explendæ libidinis. in quarta ſolum peccatum eſt veniale; poteſt etiam eſſe mortale, pro ratione libidinis. Quando menſtruis patitur mulier, quando vacandũ eſt orationi, quando communio eſt facienda, & alijs quibuſdam temporibus, non eſt debitum exigendum; ſi tamen exigatur, multorum patrum iudicio, mortale peccatum nõ erit.*

## An plures vxores habere liceat. Cap. XXII.

VIRO *Chriſtiano duas habere vxores prohibitum eſt 32.q.7.cap.* Si quis: *Et Concil. Trid. Seſſ. 24 can. 2.* Si quis dixerit, licere chriſtianis plures ſimul habere vxores; & hoc nulla lege diuina eſſe prohibitum, anathema ſit. *Nempe de coniugibus (Matth. 19.) ait Dominus.* Itaque iam non ſunt duo, ſed vna caro. *Quod per os Adami ante dixerat.* Et quod Deus coniunxit, homo non ſeparet. *Coniunxit autem Deus vnam vni (Gen. 2) Euam Adamo. Lamech reprehenditur, qui ad explendam tantum carnis libidinem (Gen.*

*4) primus plures habuiſſe Vxores perhibetur. Abraam, et Iacob, & alij Patriarchæ commendantur; quod non pro ſatianda libidine, ſed pro augendo populo electo, ab Abraam propagando, pluribus Vxoribus Vtebantur. S. Auguſt. (libro de Bono coniugali cap. 15. ait.* Antiquis iuſtis non fuit peccatum, quòd pluribus fœminis vtebātur; nec contra naturam hoc faciebant, cum non laſciuiendi cauſa, ſed gignendi hoc facerent; nec contra morem, quia illo tempore ea fiebant; nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. *Sed quid de Dauid, & Salomonem dicendum; qui ſub lege fuerunt; & plures Vxores habuerunt? Dixerunt multi patres Regibus permiſſam polygamiā, quòd (Deut. 17.) ſcriptum ſit.* Non habebit (*rex*) vxorês plurimas; quę alliciant animum eius. *quaſi regibus liceat plures Vxores ducere; modo non tales ſint, quæ alliciant, et à Deo auertant regis animum. Non ſum ego ita inſipiens, Vt tantis patribus me obijciam; dicam tamen, me ita dictum illud Deut. intelligere; vt ſenſus ſit. Non debere Regem plures Vxores habere; ne eueniat, Vt Vxoribus, Vel occupatus, Vel nimium indulgens auertatur (quod euenit Salomoni) à Deo; & in ijs, quæ ad Dei cultum, Vel ad ſubditorum curam pertinent negligens reddatur. Non eſt intereà in probis, et iuſtis nuptijs plurificatis, Vt in Abraamo, Iacobo, Dauide, & eiuſmodi alijs, neganda diuina diſpenſatio; qui plures Vxores habebant*

*bebant caſtius, quàm nunc vnam multi chriſtianorum; quorum matrimonia cœlibatui noſtro æquipararunt Sanct. Auguſt. (lib. de Bono coniugali cap. 21.) inquit.* Sicut non eſt impar meritum patientiæ in Petro, qui paſſus eſt; & in Ioanne, qui paſſus non eſt; ſic non eſt impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus eſt nuptias; & in Abraamo, qui filios genuit. Sed continentiam habuit Ioannes in opere, Abraam in ſolo habitu. *Et B. Hieron.* Quis ignoret; ſub alta diſpenſatione Dei, omnes retrò ſanctos eiuſdem fuiſſe meriti; cuius nunc chriſtiani ſunt? Quomodo Abraam ante placuit in coniugio; ſic nunc virgines placent in caſtitate. *Si autem quæratur, quid melius matrimonium an cœlibatus? Reſpondebit S. Auguſt. loco paullo antè citato duobus ijs uerbis.* Melior eſt caſtitas cœlibum, quàm nuptiarum. *Et Apoſt. (1. Cor. 7.)* Volo autem omnes homines eſſe ſicut me ipſum, Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant; ſicut & ego. *Et cum dixit.* Mulier, ſi dormierit vir eius, libera eſt; cui vult nubat, tantum in Domino. *Subdit.* Beatior autem erit; ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium; puto autem quòd & ego ſpiritum Dei habeam. *quibus verbis cœlibatum Apoſtolus prætulit matrimonio. De re hac extat Trid. Concil. definitio (Seß. 24. can. 10. de Matrim n.)*

Si quis dixerit ſtatum coniugalem ante ponendũ eſſe ſtatui virginitatis, vel cœlibatus, & non eſſe melius, ac beatius manere in virginitate, aut cœlibatu; quàm iungi matrimonio anathema ſit.

*De matrimonio hactenus. ſupereſt, Vt de Vnctione extrema dicamus.*

## De Vnctione extrema. Cap. XXIII.

DOMINVM *noſtrum illis potiſſimum duobus nominibus appellamus, quæ ſunt.* IESVS CHRISTVS. *Ieſus dicitur, quia ſaluator eſt humani generis (Matth. 1.) ad Ioſeph ita loquitur angelus.* Ioſeph fili Dauid noli timere accipere Mariam coniugem tuam. quod enim in ea natum eſt; de Spiritusãcto eſt. pariet autem filium, & vocabis nomen eius Ieſum. Ipſe enim ſaluum faciet populum ſuum à peccatis eorum. *Dicitur vero Chriſtus id eſt Vnctus; tum quia ipſe à Deo Vnctus eſt. (ps. 44.)* Vnxit te Deus Deus tuus oleo letitiæ præ participibus tuis. *Et (ps. 88.)* Oleo ſancto meo vnxi eum. *Et (Luc. 4. ex Iſa.)* Spiritus Domini ſuper me, propter quod vnxit me. *Et (Act. 4.)* Conuenerunt aduerſus ſanctum puerum Ieſum; quem vnxiſti. *Et (cap. 10.)* Quomodo vnxit eum Deus Spirituſancto, & virtute. *tum quia ipſe*

*Vngit*

vngit vniuerſum populum ſuum (1. Ioan. 2.) legitur. Vos vnctionem habetis à ſancto. *Et paucis interpoſitis.* Et vos vnctionem, quam accepiſtis ab eo, maneat in vobis. *Et.* Vnctio eius docet vos de omnibus, *Vnctio, quæ in Eccleſia vſum habuit, duplex eſt; vniuerſalis, & particularis, illa in fidelibus omnibus, vt in baptiſmo et confirmatione; iſta non in omnibus vtitur Eccleſia, ſed in certis perſonis, vt in pontificibus, regibus, & ſacerdotibus. de particulari vnctione non eſt nobis nunc ſermo. Vniuerſalem eam vnctionem appello, quam omnibus Chriſtianis (quantũ ex ſe eſt) communicat Eccleſia. hæc autem quintuplex eſt (extra de ſacra vnctione. cap. vnico) duæ vnctiones ſunt ante baptiſmum; vna in pectore cathecumeni, altera inter ſcapulas, & hæ ſunt ex oleo benedicto poſt baptiſmum duæ aliæ, vna in vertice baptizati, altera in fronte in confirmatione. duæ iſtæ poſtremæ ſunt ex Chriſmate. Præter has quattuor vnctiones eſt quinta vnctio, quæ & ſi omnibus communis eſt, non tamen vſq; adeo communis omnibus eſt; quin ab illis, qui per infirmitatem in mortis periculo conſtituti non ſunt, prætermitti ſine peccato poſſit. Reuerenter autem illam recipere tenentur, nec ſine peccato negligere eam illi poſſunt; quibus ex infirmitate extrema imminet dies. Tria ſunt ſacramenta, in quibus fit communis (ſic dixerim) vnctio. Baptiſmus videlicet, Confirmatio, & ipſa extrema vnctio. Quinque ſunt loca diuerſa, in quibus per hæc ſacramenta fit vnctio*

*ctio. Per baptiſmum, in pectore, in ſcapulis, in capitis vertice. Per confirmationem in fronte. Per extremam vnctionẽ in ſenſiterijs maximè. In baptiſmo in capitis vnctione, & in confirmatione, vtitur miniſter Chriſmate: quod ex oleo (vt dictũ fuit) et balſamo conficitur. Hæc duo ſacramẽta baptiſmus et cõfirmatio sũt chriſtianis omnibus paßim cõmunia. Vnctio autem extrema eſt ægrotis chriſtianis adhibẽda, ita male ſe habentibus; vt illorum vita in maximo ex infirmitate ſit conſtituta periculo, & nulla fermè ſit corporis ſalutis ſpes derelicta. In extrema vnctione non chriſmate, ſed oleo ex olearum baccis expreſſo, prius ab Epiſcopo conſecrato, miniſter vtitur. de vnctione, quæ in baptiſmo, & quæ in cõfirmatione fit, quæ dicta ſunt, ſufficiunt. Nunc ſupereſt vt de vnctione, quæ infirmantibus exibetur, dicamus.*

*Duplici de cauſa ſacramentum iſtud dicitur extrema vnctio; Vna, quia vltima eſt (inter omnes vnctiones ſiue vniuerſales, ſiue particulares) quæ ab Eccleſia homini conferatur. altera, quia homini non confertur niſi quaſi in extremis agenti. Quòd autem ſit ſacramentum, non ſolum eſt definitio Eccleſiæ in Concil. Florent. ſub Eugen. IIII. & in Trident. (Seß. 14.) & alijs multis. Et ſummi Pontif. Innocent. (diſt. 95. cap.* Illud ſuperfluum. *) Et ( Extra de hereticis cap.* Ad abolendam. *) Sed etiam eſt ipſa ratio; quia eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma: cum ſit illa in peccati remißionem, ſenſibile ſignum. Quæ ad doctrinam huius*

*acra-*

*ſacramenti faciunt, ſubiectum, materia, forma, miniſter, effectus ſiue res, necnon ſacramentum & res, videntur fere omnia breuiſsimis à S. Iacobo in ſua canonica epiſtola, & in vltimis eiuſdem epiſtolæ verbis fuiſſe collecta, vbi inquit.* Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, vngentes eum oleo, in nomine Domini: & oratio fidei ſaluabit infirmũ, & alleuiabit eum Dominus: & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. *Cum inquit.* (infirmatur quis in vobis) *ſignificauit ſubiectum cui præbẽdum eſt ſacramentum iſtud. quoniam non niſi infirmis adhibendũ eſt, ratio aſſertur. quia inſtitutum hoc ſacramentum eſt, nõ modo vt animæ, ſed corpori etiam medicinam afferat. Communis autem patrum conſenſus eſt; vt adultis illis adhibeatur tantum: qui iniungi poſtulant, & extremo quaſi vitæ periculo ex infirmitate periclitari videntur. Non multum interea probare illos poſſum: qui ægroti vngendi tempus illud obſeruare ſolent: cum iam ſenſibus & vita carere, & vix ſummis labris vitam tenere incipiat; & adeò prope finem vitæ ſuæ perductus, vt quid circa ipſum agatur, minimè intelligat: ſed multo melius, ad ſaniorum quorundam patrum ſententiam, videtur; ſi dum integra mens eſt, quamuis corpore infirmus, & ſenſus viget, exhibeatur. quoniam deuotam tanto tamque ſalutiferi ſacramento voluntatem, & reuerentiam exhibere infirmus tunc poterit. Colligitur ex dictis; non eſſe aliquem vngendum, qui*

infirmus non ſit, & ſi maxinno alioqui vitæ periculo, vt pote naufragio laboret, immò etiam ſi capite damnatus fuerit. Sequitur in litera Apoſtoli (inducat presbyteros Eccleſiæ) iterum in verbo (inducat) ſignificatur, infirmum eſſe, qui hoc ſacramentū recipiat. alioquin non dixiſſet (inducat) id eſt intrà domum ad ſe ducat; ſed accedat dixiſſet. An vero ſeni decrepito petenti, ſit danda vnctio extrema nihil ægrotanti. Piè, cum aliquot patribus crederem poſſe dari. In verbo (presbyteros) miniſtrum huius ſacramenti ſignificauit Apoſtolus. (presbyter) græca vox eſt: & ſenem ſignificat. nunc autem pro ſacerdote ſeculari clerico vſurpatur. dicunt propterea nonnulli patres, regularem ſiue monachum, & ſi ſit ſacerdos, non poſſe eſſe huius ſacramenti ordinarium miniſtrum. quod verum eſt; ſi illi non incūbat animarum cura; aut niſi inſtet neceſſitas; aut niſi eidem ab eo, qui poteſtatem habet, vt inungat, præceptum fuerit. quia verus miniſter de iure parochus eſt, vel Epiſcopus (95. diſt. cap. Illud ſuperfluum.) Ex quo loco nonnulli affirmant, presbyterū oleo; Epiſcopum Chriſmate inungere. Loquitur Apoſt. in numero plurali (presbyteros) quoniam & si vnus tantum vngit; vtile eſt tamen infirmo, vt plures adsint orationi atq; deprecationi, quæ inter vngendum Deo effunditur, quia (Matth. 18.) ait Dominus. Si duo ex vobis conſenſerint ſuper terram; de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Additur

*ditur* [ Eccleſiæ ] *vel quia debet presbyter eſſe ab Epiſcopo rite ordinatus; vel quia hæretici, & excommunicati, qui extra Eccleſiæ vnitatem ſunt, ſacramenta adminiſtrare de iure non poſſunt.*

## De Forma. Cap. XXIIII.

SEQVITVR ( Et orent ſuper eum ) *Notatur ex hoc verbo differentia in forma huius ſacramenti ab alijs; quia in alijs omnibus ſacramentis vtitur in forma ſacramenti miniſter, & per miniſtrum Eccleſia verbo vel indicatiuo, vt in baptiſmo.* Ego te baptizo, &c. *in confirmatione.* Ego te ſigno, &c. *in pœnitentia.* Ego te abſoluo, &c. *vel imperatiuo, vt in ſacramento ordinis.* Accipe poteſtatem, &c. (*vt dictum eſt in ſuperioribus*) *quo modo loquendi certus ſacramenti effectus ſignificatur. In hoc autem ſacramento deprecatione Eccleſia vtitur. Dixit propterea Apoſtolus* [ & orent, &c. ] *cuius diuerſitatis ratio à patribus redditur; quia ſacramentum iſtud & ad animæ, & ad corporis ſanitatem inſtitutum eſt; non ſemper autem à morbis conualeſcunt vncti ægroti: ideo rogamus; vt illud, quod non perpetuo tenore, aut vi ſua exhibet ſacramentum, per Dei clementiam impetremus, corporis videlicet ſanitatem. Precatio autem, quæ hoc loco affertur, forma eſt ſacramenti. quibus autem verbis exprimenda ſit iſta forma, Apoſtolus non do-*

*cuit. Hanc autem ad nos fideli patrum traditione perueniſſe credendum eſt. vt omnes in latina Eccleſia eam in ſacramentis formæ rationem retineant; qua, omnium mater & magiſtra Sancta Romana Eccleſia vti conſueuerit. illa autem eſt ſecundum Gregorium.* Per iſtam ſanctam vnctionem & ſuam piiſsimam miſericordiam, indulgeat tibi Deus quidquid v. c. oculorum vitio deliquiſti. *Nonnulli patres dicunt Ambroſium vſum fuiſſe hac forma.* Vngo (*verbi c.*) oculos tuos oleo conſecrato in nomine Pat. & Fil & Sp. s. amen. *Sed & ſi verba non ſint eadem, eſt tamen eadem ſententia; propterea quód vngere oculos in nomine Trinitatis eſt orare Deum, vt remittat, quod oculis peccauit infirmus. Unguntur autem corporis partes illæ, quæ peccatorum præcipuæ ſunt cauſæ, ut ſenſiteria. In ſenſibus namq; appetitus ſenſuales vigent; renes, in quibus carnalis concupiſcentiæ feruere videtur delectatio; ſed in mulieribus honeſtatis cauſa renes non vnguntur; manus, & pedes, quibus ad peccandum ſatagimus, & properamus. Multæ licet ſunt vnctiones, vnum tamen eſt ſacramentum, vnitate finis, & perfectionis: quomodo eſt domus vna multis diſtincta habitationibus; aut vna curatio, multis medicationibus procurata. Sequitur in litera Apoſtoli* (Vngentes eũ oleo) *hic ponitur materia ſacramenti, quæ eſt oleum. cum autem abſolutè oleum dicitur, olearum oleum intelligitur, oleũ (inquam) ab Epiſcopo conſecratum; & hoc eſt, quod ſubdit.*

[in

[in nomne Domini.] *quia debet ſacerdos non ſolum in un gere in nomine Domini, ſed vngere etiam oleo in nomine Domini ſanctificato. Huic namque olei materiæ ſi accedat verbum, illud in corpore ægroti per ſacerdotem efficitur; quod ui ſacramenti in anima effici ſignificatur. Oleum corporis dolores mitigat, ſanitatem reſtituit, hilaritatem affert, vires debilitatas recreat, lumini pabulum præbet. Hæc omnia in ægroti anima hoc ſacramentum ſubminiſtrat, animæ nitorem efficit, triſtitiam leuat, ſanitatem dimittendo peccata reducit, vires miniſtrat, & charitatem auget. Et ideo ſequitur* [& oratio fidei] *id eſt quæ ex vera et viua fide procedit,* [ſaluabit infirmum] *id eſt illum ſanitati reſtituet. & quaſi ſe exponens Apoſtolus ſubdit* [& alleuiabit eum Dominus.] *id eſt, eriget illum dominus. Deniq; ſubdit Apoſtolus.* [& ſi in peccatis ſit, remittentur ei.] *hoc verbo finis exprimitur. Ad hoc enim inſtituta ſunt ſacramenta, vt conferant per ſigna aliqua ſenſibilia gratiam, & peccata remittantur.*

*Sed dubitare quis poterit; quæ peccata per extremam unctionem remittantur, venialia ne tantum, an etiam mortalia? Concordant in eo patres omnes; ut ui ſacramenti, remittantur venialia. Mortalia etiam remittantur: ſi modo, & ordine debito ægrotus ſacramentum recipiat. Modus eſt, vt infirmo, ante extremam vnctionem, pœnitentiæ, & Eucharistiæ ſacramenta adminiſtrentur. Apoſtolus propterea*

*poſt verba de vnctione ante explicata ſubdit.* Confitemini ergo alterutrum peccata veſtra; & orate pro inuicem; vt ſaluemini. *Nulli debet eſſe dubium, quin hoc modo ſeruato dimittantur etiam mortalia omnia. Quidam non contemnendi doctores, ex illo prius expoſito verbo* [ſi in peccatis fuerint, dimittentur eis.] *intulerunt verba iſta.* Ex quo patet, quòd ſi peccator cum ſola attritione recipiat hoc ſacramentum, recipiet gratiã, virtute illius, & remiſsionem peccatorum mortalium. *Tria notauerunt patres in peccatore, maculam, pœnã, & reliquias quaſdam poſt peccati remiſsionem, ſicut in corpore, vulnere ſanato, remanet cicatrix, ſanato per pœnitentiam peccati vulnere, communi conſenſu tolli vulnerum cicatrices hoc ſacramento, & peccatorum reliquias, ſi aliquæ remanſerunt, confitentur patres.*

## De inſtitutione, & effectu. Cap. XXV.

INſtitutum ſacramentum eſt, non ab Apoſtolis (*vt doctores nonnulli alioqui præſtantiſsimi ſenſiſſe viſi ſunt*) *ſed ab ipſo Domino noſtro Ieſu Chriſto. Cum Apoſtoli* (*vt narratur Marc. 6.*) *hoc ſacramento, dum erant cum domino, uſi fuerint. niſi velimus dicere* (*quod dicunt moderni hæretici*) *vſos illos fuiſſe officio Chirurgico vngentes oleo vſuali, non*

apoſtolico

*apoſtolico (cuius eſt vngere oleo conſecrato & myſtico) quod dicere ſtolidiſsimum eſt. Chriſti nempe auctoritate, mandato, atque inſtitutione ab Apoſtolis hanc vnctionem ægrotis adminiſtratam fuiſſe, credendum eſt: qui in ſibi commiſſa legatione, data ab ipſo Domino tantum poteſtate, vſos illos fuiſſe, credere nos debemus; poteſtatem autem receperunt predicãdi, immundos ſpiritus eijciendi, domos intrandi ad viſitandos. ſcilicet infirmos, qui domum exire non valebant, & eoſdem vngendi. idcirco in Euangelio legitur.* Et exeuntes prædicabant, vt pœnitentiam agerẽt; & dæmonia multa eijciebant; & vngebant oleo multos ægros; & ſanabantur. *Sacramentum iſtud non eſt de neceſsitate ſalutis. ſi tamen contemnitur periculoſum, & damnabile eſt; cũ ſit de neceſsitate præcepti ( Seſs. 14. Trid. Syn. cap. 3. in fine ſic legitur. )* Nec vero tanti ſacramenti contemptus, abſque ingenti ſcelere, & ipſius Spiritus sãcti iniuria eſſe poſſet. *Iterari poteſt ſacramentũ, ſi morbus iteratur. ( Non enim imprimit caracterẽ ) ſi morbus cohiberi non poteſt; cur medicina prohiberi debet? Nec proptere a verum non eſt; quod aduerſus Parmenianũ ſcribit S. Auguſtinus.* Sacramentum non eſſe iterandum; ne ſacramento fiat iniuria. *Nullum enim iteratur ſacramentum, quantum ad ſenſibilis elementi ſanctificationem. Non ſanè idem panis bis benedicitur, aut idem oleum, aut eadem aqua bis ſanctificatur. Iterantur autem aliqua ſacramenta,*

*quantum*

*quantum ad ſuſceptionem, ab eodem namq́; pluries recipitur Euchariſtiæ, aut pœnitentiæ ſacramentum. In eadem autem infirmitate quamuis periculoſa, iterari non debet hoc ſacramētum; niſi forte fuerit adeo longa; vt duarum ægritudinum rationem ſubire poßit; vt potè ſi vltra annum ægritudo durauerit. Tres ſunt huius ſacramenti præſtantiſsimi effectus gratiæ collatio, peccatorum remißio, infirmantium alleuiatio. In Trident. Syn. ( Seß. 14. can. 2.) ita definitum eſt.* Si quis dixerit, ſacram infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos; ſed iam ceſſaſſe, quaſi olim tantum fuerit gratia curationum, anathema ſit. Sacramentum *(inquit Magiſter.)* eſt ipſa exterior vnctio. Res ſacramenti vnctio interior, quæ peccatorum remiſsione, & virtutum ampliatione perficitur. *Clarius dixeris, ſi rem ſacramenti peccatorum remißionem, & virtutum ampliationem dicas. Et de extrema unctione, necnon de omnibus ſeptem ſacramentis, denique de ipſa gratia dictum ſit hactenus. quam nobis ſua miſericordia dominus largiatur, per quam ad eius gloriam conſcendere mereamur de qua ſupereſt, vt dicamus.*

Explicit Liber Quintus.

# PROMPTVARII THEOLOGICI, IVLII CARRARII SYRENII, De Brixia Hieronymiani.

*Sacræ Theologiæ Doctoris.*

## Liber Sextus.

### *IN QVO DE GLORIA AGITVR.*

### De triplici merito. CAP. I.

*CVm de gratia, quæ vel immediatè, vel medijs ſacramentis cum diuinorum præceptorũ obſeruatione à Chriſto Saluatore noſtro procedit; quæ omnis meriti noſtri cauſa præcipua exiſtit; pro compendij ratione, quod magis opportunum viſum eſt, dictum fuerit; ſequitur, vt de gloria, quæ meriti, præmium dicitur, & de beatitudine, ad quam, & gratia, & opera noſtra, & diuina præcepta, & ſacra-*

ſacramenta vniuerſa diriguntur: compediosè diſſeramus. Quoniam autem inter meritum & præmium, ſiue inter opera noſtra & operum noſtrorum mercedem, & præmium, quod eſt gloria, intercedit diuinum iudicium. (Meritum nãq; præcedit, gloria ſequitur, inter vtrunq; Dei iudicium interponitur.) De tribus propterea ſuo ordine hoc eſt de merito primùm, poſtea de iudicio, & demum de gloria dicendum erit. Meritum, de quo nunc loquimur, eſt opus noſtrum propriũ, per quod (ſi cum diuina gratia à nobis factum eſt) æternam vitam, ſi abſq; diuina gratia æternam mortem demeremur. Si aliorum, vt ſanctorum ſiue militantium, ſiue cum Chriſto regnantium, & in primis ipſius Chriſti nobis merita auxiliantur, & bonum nobis aliquod impetrare illa dicuntur: hæc ſunt merita aliorum, non noſtra, niſi quatenus illa nobis bonum merentur, & cauſa ſunt, quód nos operibus noſtris, bonum illud, quod aliorum meritis nobis gratuito collatam eſt, mereamur. Ad huius rei intelligentiam notãdum, triplex meritum patres poſuiſſe. Vnum appellãt meritum congrui, quando homo facit, quod in ſe eſt; & benè quantum ex viribus naturalibus poteſt, facit. Alterum meritum digni, quando pro altero alter, bonum precatur, & obtinet. Tertium, meritum condigni, quando pro ſe ipſo iuſtus precatur, & quantum poteſt ad bonum obtinendum contendit precibus & operibus ſanctis, quæ opera à propria quidem voluntate ſunt, ſed diuina gratia ita ſuffulta, vt ab ea eue-

piant

*niant illa maximè (1. Cor. 15.)* Abundantius omnibus laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. *Meritum congrui non niſi impropriè meritum dici poteſt, propterea quòd nos homines fecit Deus; & rationalem animam dedit nobis, vt ſecundum rationem ageremus atque ita agere teneremur; non tamen ſic agendo ſupernaturale bonum aliquod demeremur; ſed ſerui adhuc inutiles ſumus; quod debuimus facere, fecimus. Quoniam autem ſic agentes diuinæ gratiæ obicem aliquem non apponimus, gratiā autem ſuam (quæ bonum ſupernaturale excellentiſſimū eſt) vltrò nobis (ſi impedimentum nullum apponamus) ſua clementia impertitur Deus; eiuſmodi operatio propterea meritum congrui à multis patribus appellata eſt. Meritum digni multò adhuc magis impropriè meritum appellatur; cum non merenti ſæpius ſed immerenti bonum, quod premij rationē ſubit, conferatur; non eius, cui tribuitur, ſed alterius operatione, & merito. Meritum igitur condigni tantum verè & propriè meritum appellandum eſt; & eſt opus illud, quod cum diuina gratia ex propria voluntate homo ipſe bene operatur. Hoc vnum eſt, quod à Deo retributionem expectat; quod (vt dictum fuit) à nobis quidem eſt; & à noſtra voluntate; ſed multo magis à Deo, & à diuina nobis per ſuam miſericordiam collata, & cooperante gratia. Hoc eſt, quod (ad Cor. 3 in poſteriore epiſtola) ſcripſit Apoſtolus.* Fiduciā talem habemus per Chriſtum ad Deum, nō quòd

ſufficientes ſimus cogitare aliquid à nobis, quaſi ex nobis; ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt. *Omnis quippe ſufficientia noſtra, & omne meritum noſtrum ex Deo eſt. Et (in priore cap. 15.)* Laboraui, non ego autem, ſed gratia Dei mecum. *De condigno non meremur, niſi dum in via ſumus. Quod de membris ſuis in persona propria (Ioan. 9.) affirmauit Chriſtus cum dixit.* Me oportet operari opera eius, qui miſit me, donec dies eſt; venit nox, quando nemo poteſt operari. *Nemo (inquit) nocte poteſt operari, id eſt poſt hanc vitam de condigno mereri nemo poteſt. Dixit propterea (Rom. 14.) Apoſtolus.* Vnuſquiſq; noſtrum pro ſe rationẽ reddet Deo. *Eorum videlicet quæ in hac vita fuerit operatus. Et ibidem.* Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. *ad iudicium ſcilicet, de illis, quæ in via geſſerimus, iudicandi. Et (2. Cor. 5.)* Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis, pro vt geſſit, ſiue bonum, ſiue malum. *inquit [pro vt geſſit,] in via videlicet quando corpore ſimul & anima conſtabat, & opera meritoria, vel demeritoria operari poterat. In via namq; eſt omne meritum cõdigni, poſt viam, nullum. Nam iſtam quiſq; finiens vitam, niſi quod in ea meruerit, non poterit habere poſt eam.*

De

## De merito digni ſiue de ſuffragio. Cap. II.

MERITVM *digni (quod, vt diximus, eſt opus vnius ad alterius ſalutem proficiens) & in via, & extra viam homini contingere poteſt; ſi, vt extra viam eueniret, in via, illud ſibi euenire, meruerit. Hoc ſanè illis tantum prodeſt; qui cum viuerent (de communi lege loquendo) hoc ſibi, vt poſteà poſſet prodeſſe, meruerunt; de quibus virgilianum illud (lib. 6. Aen.) dicere poſſumus.*

*Quique ſui memores alios fecere merendo.*

*Dixi (de communi lege loquendo) propter illud, quod Serm. de defunctis de Traiano, & de Falconilla Ioan. Damaſcenus theologus præſtantiſſimus, & de alijs patres alij nobiliſſimi theologi ſcriptum reliquerunt; qui Traianus & Falconilla, & alij nonnulli nullo ſuo merito, à pœnis inferni liberati ſunt. De quibus in libro de Prædeſtinotione fusè ſatis à nobis dictum eſt. Tale meritum digni, quo etiam defunctorum animæ à pœnis purgatorij celerius liberari poſſunt, in Eccleſia ſuffragium appellatur. Et licet innumera eſſe poſſint eiuſmodi defunctorum ſuffragia, & adiumenta. Gregorius tamen II. ad quattuor capita illa redegit; quando dixit (13. q. 2. cap.* Animæ.) Animæ defunctorum quatuor modis ſaluantur, aut oblationibus ſacerdotum, aut

precibus ſanctorum, aut charorum eleemoſynis, aut ieiunio cognatorum. *Opus autem ſuffragij, quatenus à viatore eſt, nonniſi à viatore vel iuſto ipſo, vel ſaltē operis iuſti miniſterio effici poteſt. Qui namque in peccato eſt, & iniqua opera exercet, quomodo alteri ad gloriam ſuffragari poterit? Miſſæ ſacrificium, quoniam opus ſanctiſſimum eſt, etiam ſi à malo ſacerdote operetur, meritum digni & ſuffragium eſſe poteſt animabus illis in purgatorio, pro quibus offertur. Operi namq; per ſe iuſto, & ſua ratione Deo gratiſſimo, miniſtri prauitas parum oberit; ſicut parum obeſt eleemoſinæ bonitati, ſi per malum ſeruum pauperi dominus illam exhibeat. Meritum digni ad æternam vitam de lege communi illi prodeſſe non poteſt, qui ſiue viuat, ſiue ſit functus vita, in malo obſtinatus eſt. Tres namque ſunt viuendi modi, vni quorum tantum proſunt ſuffragia; & ea opera, quæ meritum digni à patribus nuncupata ſunt. Non proſunt valdè bonis, qui iam beata viſione fruuntur; non valdè malis, qui in inferno iacent ſepulti; proſunt autem tantū mediocriter bonis, ſi quidem vita functi fuerint. Si autem adhuc ſuperſunt, poſſunt etiam valdè malis prodeſſe ad conuerſionem, & peccati ſui deteſtationem. Hæc omnia, quæ de defunctis diximus (lib. Enchir. cap. 110.) habet ijs verbis pater Auguſtinus.* Neque negandum eſt, defunctorum animas, pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatoris offertur; vel

eleemoſynæ in Eccleſia fiunt: ſed eis hæc proſunt, qui, cum viuerent, vt hæc ſibi poſtea prodeſſe poſſent, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem; nec tam malus, vt eis non proſint iſta poſt mortem. Eſt verò talis in bono, vt non requirat iſta; & eſt rurſus talis in malo, vt nec ijs valeat, cum hæc vita tranſierit, adiuuari. *Et paucis interpoſitis.* Non enim omnibus proſunt. Et quare nõ omnibus proſunt? niſi propter differentiam vitæ, quam quiſq; geſsit in corpore. Cum ergò ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarumcunq; eleemoſynarũ, pro baptizatis defunctis omnibus offerũtur; pro valdè bonis gratiarum actiones ſunt, pro non valdè malis propitiationes ſunt, pro valdè malis, & ſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcũq; viuorum conſolationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſsio; aut certè tolerabilior fiat ipſa damnatio.

## Dubitatio. Cap. III.

*DVbitatio eſt, de duobus æqualiter bonis, & in æquali bonitate iam vita functis, quorum vnus diues, alter pauper; diues multa ad pias cauſas pro animæ ſuæ ſalute legauit*

*gauit; pauper, quod pro anima ſua piè legaret, nihil habuit; illi multa, communia videlicet, & ſpecialia; huic tantum cō munia ſuffragia auxiliantur (communia illa dicuntur; quibus pro fidelibus defunctis omnibus, ab vniuerſa catholica Eccleſia Deus communiter imploratur;) num tantum iuuatur pauper ad æternam vitam ſuffragijs communibus, quantum diues & communibus & proprijs? Magiſter (lib. 4. diſt. 45.) dat duas reſponſiones. Vna eſt.* Poteſt dici, tātum valuiſſe pauperi generalia, quantum diuiti, & generalia & ſpecialia ſuffragia; & tamen profuerunt diuiti ſpecialia, non quidem ad aliud, vel ad maius aliquid; ſed ad idem, ad quod generalia; vt ex pluribus & diuerſis cauſis vnum perciperetur emolumentum. *Altera eſt.* Poteſt dici aliter, illa plura ſubſidia contuliſſe diuiti celeriorem abſolutionē, nō plenioré. *Poſterior iſta reſponſio eſt multò priore probabilior, quā libētius amplexati ſunt patres. Indulgētiæ etiam & viuis & defunctis per modum ſuffragij opitulantur; per quas aliorum merita vt ſanctorum, & perfectorum, & in primis Ieſu Chriſti per ſummum pontificem (qui huius tanti tamque precioſi theſauri diſpenſator eſt; aut ſi quis alius diſpenſat, vt illius legatus hoc facit) alijs ſiue viuentibus, ſiue mortuis (vt Eccleſiæ Chriſti magis expedire iudicauerit) per aliquas iuſtorum viuentium deprecationes, & operationes applicantur. Vnius quippe merita alteri applicare*

&

& *Vnius opera alteri auxiliari, illi ſuffragari eſt: & eiuſmodi opus illius meritum digni appellatur: ſub quo merito indulgentiæ comprehenduntur illæ, quæ defunctis prodeſſe dicuntur. Sed de indulgentijs exactius alibi videndum erit.*

## De Purgatorio. Cap. IIII.

TRIPLEX *eſt Dei de homine iudicium; vnum, dum viuit, & ſuperſtes eſt; alterum in ipſo vitæ huius egreſſu, quamprimùm à corpore ſeparata anima fuerit, et in termino viæ conſtituta; tertium, cùm corpus animæ tandem in reſurrectione reddetur, & eidem iterum coniungetur. Tertium iſtud per antonomaſiam iudicium abſolutè & ſimpliciter dicitur. duo alia, vel quia particularia ſunt, vel quia nobis occulta ſunt, iudicij nomen vix tenuerunt. Iudicium primum, quod de homine dum adhuc in via eſt, efficitur, occultum valdè eſt; de quo Auguſt.* Deus nunc occultè iudicat: cuius occultum iudicium pœna intelligitur; qua quiſq; vel exercetur ad purgationem, vel mouetur ad conuerſionem, vel ſi contemnit, excœcatur ad damnationem. *Dei etiam de rebus ſingulis diſpenſationes aliquo modo iudicia Dei ſunt appellatæ. Vnde Apoſt. (Rom. 11.)* quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius. *Et (pſal. 15.)* Iudicia Dei abyſſus multa. *S. Auguſt. (lib. de vita Chriſtiana cap. 4.) de eiuſmodi*

*di occulto Dei iudicio inquit.* Ne tardes cõuerti ad Dominum, ſubito venit ira eius, quod in pleriſq; impletur; quibus ob nimia peccata, & in præſenti ira Dei ſuperuenit; & in futuro ſeruatur. Sed hoc nemo intelligit. Idcircò Deus in præſenti non videtur punire peccantes; quia cum punit, non cognoſcitur. Multi ſunt enim, quos nemo intelligit; qui ob multitudinem peccatorum iam ante iudicij diem, in præſenti etiam iudicantur. *Alterum etiam iudicium eſt nobis occultum; quod, cum à corpore ſeparatur, & in termino viæ anima reperitur, abſoluitur, quo pro meritorum ratione, animæ vel in paradisũ æternum aſſumũtur, vel in infernum perpetuò detruduntur, vel in limbo abſq; pœna ſenſus, ſed tantum perpetui damni ſeruantur, vel in purgatorium ad explendas peccatorum ſuorum pœnas, quas in hoc mundo complere vel noluerunt, vel non potuerunt, aut ad aliqua venialia diluenda peccata temporaliter deſtinantur. Diuerſa quippè animarum à corpore exeuntium receptacula ponunt Sancti patres. (cap. 109. lib. Enchir.) S. Auguſt. inquit.* Tempus autem, quod inter hominis mortem & vltimam reſurrectionem interpoſitum eſt, animas abditis receptaculis continet, ſicut vnaquæque digna eſt vel requie, vel erumna, pro eo, quod ſortita eſt in carne, dum viueret. *Purgatorium ſiue locus aliquis ſit, ſiue ſtatus, idcirco*

*circo purgatorium dicitur; quòd in eo à peccatorum maculis, quæ in eis remanſerant, animæ expurgantur. Diſtat à paradiſo purgatorium; quia cum pœnis eſt; pœnæ autem à paradiſo relegatæ ſunt vniuerſæ. Diſtat ab inferno, quia cum ſpe eſt purgatorium & certitudine euaſionis; à qua procul abeſt infernus. Diſtat à limbo, quia cum pœna ſenſus purgatoriũ eſt non limbus. Et rurſum pœna illa eſt temporalis, pœna autem damni in limbo poſt Chriſti reſurrectionem perpetua eſt. Purgatorium multi negarunt hæretici. Sed multa nos illud cogũt aſſerere. Inter quæ vnum eſt. Summa diuina iuſtitia; quæ ſicut non patitur, vt bonum remaneat irremuneratum; ita malum non patitur perpetuo impunitum. Allerum. quia nulli debet ſua negligentia ſuffragari; ſed ex pœnitentiæ negligentia multis reportaretur commodum; ſi tolleretur purgatoriũ. Tertium S. ſcripturæ auctoritas, (lib. Machab. 2. cap. 12.)* Niſi enim eos, qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, ſuperfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis &c. *Apoſtolus (in priore ad Cor. 1.) inquit.* Si cuius opus arſerit; detrimentum patietur; ipſe autem ſaluus erit; ſic tamen quaſi per ignem. *Pœna purgatorij duplex eſt, ſicuti duplex etiam eſt pœna inferni, damni, & ſenſus; pœna damni diuinæ viſionis priuatio eſt; qua & illi qui in inferno, & qui in purgatorio, & qui in limbo ſunt, puniuntur; ſed modis diuerſis. Pœna autem ſenſus eſt dolor, & realis quædam afflictio. pœna ſenſus in limbo*

*non eſt; ſed in inferno tantum & in purgatorio; modis admodum diuerſis.*

## Dubitatio. Cap. V.

OCcurrit hoc loco dubitatio; *cum paßiones ſenſus non ſint (vt tradunt ſapientes huius ſeculi) ſolius corporis, aut ſolius animæ, ſed coniuncti; ad quem modum filare, & texere operationes coniuncti ſunt, & ipſius hominis, non autem corporis per ſe, aut animæ; quomodo animæ in purgatorio, aut in inferno ſine corpore exiſtentes ſenſus paßionem aliquam perpeti posſunt?*

*Adde, quòd ex communi patrum ſententia, ignis eſt, qui animabus ante corporum reaſſumptionem in inferno vel purgatorio degentibus pasſionem infert: at quomodo corpus (ignis namq; corporea ſubſtantia eſt) poteſt in animam agere, quæ incorporea eſt; cum ſit agens ſemper patiente præſtantius?*

*Eſt ad dubitationem una patrum omnium reſponſio, creaturam omnem inſtrumentum eſſe diuinæ voluntatis (quod lib. 3. de Trin. cap. 3. & 4. ab Auguſtino fuſius declaratur) & vnamquamq; ita agere aut pati, vt diuinæ voluntati eſt placitum, apud quem nulla eſt vis naturalis ſiue creata, quæ vrgeat. Neſcire quomodo in animam agat ignis, obeſt nihil; ſcire autem quód agat, multum nobis viatoribus prodeſſe deberet, et aliorum periculo nos reddere cautiores. Anima*

*ma diuitis ab igne in inferno cruciata ad Abraã (Luc. 16.) inquit.* Pater Abraham miſerere mei; & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquã, vt refrigeret linguam meam; quia crucior in hac flamma. *Purgatorij pœna qualibet maxima eſt (lib. 21. de Ciu. cap. 26.) inquit S. Aug.* Sed quia dicitur. *(1. Cor. 3.)* Saluus erit quaſi per ignem; contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille: quàm quidquid poteſt homo pati in hac vita. *Verum & ſi pœna illa maxima eſt; pœna tamen parua pro peccatis ſuis ab homine (dum in via eſt) ſpontaneè ſuſcepta multo eſt Deo gratior, quàm maxima pœna illa purgatorij; nulla alia ratione, niſi quia eſt ab homine ſponte et voluntariè aſſumpta: illa autem purgatorij extrinſecus & alienæ voluntatis imperio inflicta eſt. Plus enim ponderat Deus in pœna virtutem bonæ voluntatis; quàm pœnam afflictionis. plus vel minus cruciat ille ignis, prout plus vel minus ſecum tulit anima de cremabili, quod eſt peccatum veniale, & ſiue venialium ſiue mortalium peccatorum maculæ. Cremabilia ſunt ex Apoſtolo (1. Cor. 3.) ligna, fœnum, ſtipula; de quibus alibi videto; per quæ peccatorum in anima differentes maculæ denotantur, & venialium peccatorum diuerſitates. Tantum autem (dicunt patres) durat pœnæ purgatoriæ dolor: quantum ligno, vel fœno, vel ſtipulæ purgandi hæſerat amor.* Tanto enim *(inquit Auguſt.)* torquebitur diutius; quan-

to affectus eius venialibus inhęſerit fortius. *Ignis in ligno diutius permanet, à ſtipula citiſſimè expeditur, in fæno mediocriter durat. Expurgatæ animæ ad cælum continuò euolant; quia tunc nihil eſt, quod earum aſcenſui obſtet, nullum impedimentum eſt, quo minus ſuæ gloriæ coniungantur; ad quam impertiendam pronior eſt Deus, quàm ad pœnam infligendam; alioquin qui in pœnis ignium ſatisfeciſſet, iterũ puniretur in dilatione præmiorum. Adde quòd multò eſt efficacior charitas, quæ ducit ad gaudia, quàm iniquitas, quæ ducit ad ſupplicia. de purgatorio autem quæ dicta ſunt, ſufficiant. Sequitur, vt de vniuerſali iudicio dicamus.*

## De Iudicio vniuerſali. hoc capite de aliquot ſignis illius. Cap. VI.

I*Vdicium, quod in fine ſeculi futurum eſt, iudicium abſolutè, & iudicium vniuerſale dicitur; quia iudiciorum omnium extremum, & maximum erit, in quo nihil, quod iudicio definiri fuerit opus, prætermittetur. Exactum adeò iudicium illud futurum eſt; vt in eo, quod minus iuſtum fuerit contingere poterit nihil. Cum ab omnium iuſtiſſimo, & ſcientiſſimo iudice abſoluendum ſit. Omnes quotquot ab orbe condito fuerunt, ſunt, & ad finem vſque erunt homines, quin etiã angeli ſiue boni, ſiue mali huic iudicio aderunt. legitur* (*Ioel 3.*) Cõgregabo omnes gentes &c. *Et* (*pſ. 93.*)

Iu-

Iudicabit orbem terræ in æquitate. *Hoc iudiciū aliqua præcedent, aliqua ſequentur, aliqua ſimul cum ipſo erūt de tribus iſtis ſuo ordine compendiò diſſerendum nunc eſt. Eorum, quæ præcedent, aliqua multò ante, aliqua ſub ipſum iudicium præceſſura ſunt. Habentur autem tàm illa, quàm iſta ex Euangelio Matth. (cap. 24.) quo loci legitur.* Sedente Domino ſuper montem oliueti, acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecretò dicentes. Dic nobis quādo hæc erunt. (*dixerat Dominus de templo.* Non relinquetur hic lapis ſuper lapidem &c.) & quod ſignum aduentus tui, & conſummationis ſeculi? *Ex ſignis quæ multò ante præcedent, ſex à domino recitantur. Vnum.* Multi venient in nomine meo, dicentes Ego ſum Chriſtus. *Ante excidium Hieruſalem, multi dicebant ſe eſſe quid magnum, aut etiam diuinum aliquid, vt Simon magus (Act. 8.) Theodas (Act. 5.) Elimas magus (Act. 13.) & alij. Ante & poſt excidium fuerunt, & ſunt, & erunt hæretici; qui apud ſe dicunt ita eſſe Chriſtum; vt non apud alios exiſtat. Hoc eſt commune hæreticorum omnium vitium, vt ſolos ſe putent ſanctas ſcripturas legitimè interpretari, & ſolos Chriſtum verè profiteri; alios vero à Chriſto procul abeſſe. Alterum ſignum.* Erunt prælia, & opiniones præliorum; conſurget gens in gentem, & regnum in regnum. *Oppoſitum fuit in primo aduentu Chriſti. legitur (Iſai. 2.)* Conflabunt gladios ſuos in vo-

*rit de prædicatione Euangelij Apoſtolus.* Sed dico. Num quid non audierunt? Et quidem. In omnem terram exiuit ſonus eorũ, & in fines orbis terræ verba eorum. *Reſpondebunt ad dubitationem Ambroſ. in comment. ad Rom. Hieronymus & alij multi doctiſſimi uiri, vbique terrarum vel fuiſſe prædicatores Euangelij, vel ſaltem ſonum eius & famam perueniſſe. inquit Ambr.* Vbi præſentia hominis prædicantis defuit; ſonus tamen & fama peruenit. *Inquit Hieronymus.* Quamquam non habuerit prædicatorem, tamen ex vicinis gentibus, opinionem fidei non poteſt ignorare. *Aliqui ſunt etiam, vt Hilarius, & Origenes ſuper Matth qui verba illa exponunt; vt ſuis ſint temporibus implendæ, non autem Pauli temporibus impleta. inquit Hilarius.* Abundante nequitia Charitas refrigeſcet; ſed vſque in finem perſeuerantibus, ſalus ſeruata eſt; ac tunc per omnes orbis partes, viris apoſtolicis diſperſis, Euangelij veritas prædicabitur &c. *Inquit Origenes.* Et in hoc ſtatu conſtitutis rebus, Euangelium quod prius non fuerat prædicatum in toto mundo (Multi enim vſque nunc, non audierunt chriſtianitatis verbum) tunc autem prædicabitur; vt omnis gens euangelicam audiat prædicationem; vt nemo derelinquatur; qui non audierit; & tunc erit ſeculi finis. *Sed redeamus vnde diſceſ*

*ſerat*

*ſerat oratio. Sequitur* Et tunc veniet conſummatio., *id eſt ſeculi conſummatio proxima erit, non quia ſtatim veniet; ſed quia (vt ad Eſichium ſcribit S. Auguſt.) non ante veniet, quàm vbique terrarum prædicatum fuerit Euangelium. Sextum ſignum eſt quod ſequitur.* Cum videritis abhominationẽ deſolationis, quæ dicta eſt à Danielle propheta (*cap. 9.*) ſtantem in loco ſancto. *Ad literam S. Hieronymus retulit hæc verba, ad excidium Hieruſalem in cuius templo poſitum fuit idolum ab Antiochio (1. Machab. 1.) aliquando etiam imago Cæſaris, aliquando ſtatua Adriani in eodem templo culta fuit. Cæſari (lib. 1. de bello iudaico cap. 16. referente Ioſepho) multa templa Herodes erexit; quæ Cæſaria appellabat. ſed hæc ſigna omnia à mundi conſummatione, & ab vniuerſali iudicio multum aberunt. ſi annorum multitudine temporis magnitudinem, ad humanæ vitæ breuitatis rationem metiri voluerimus. Myſticè ſignum hoc vltimum, ad ſententiam probatorum interpretum, de malo prælato Eccleſiæ exponi poterit; quem abominationis, & deſolationis idolum dicere poſſumus; ſecundum illud (Zachar. 11.)* O paſtor idolum derelinquens gregem, &c. *Talis eſt Deo abominabilis (prou. 11.)* Abominabile Domino cor prauum. *Et (cap. 15.)* Victimæ impiorum abominabiles. *Additur.* [deſola tionis.] *quia prauo exiſtente prælato deſolatur populus, negligentia, malo exemplo, ſubtractione rerũ,*

*& ſpi-*

*& ſpiritualium, & temporalium. Hoc modo exponendo ſignum erit mundi conſummationi proximum. Sed adhuc proximius indicabit mundi excidium; ſi de Antichriſto expoſuerimus: qui erit abominatio deſolationis, & ſtabit in loco ſancto. de quo (2. Theſſ. 2.) Apoſtolus.* Nemo vos ſeducat vllo modo; quoniam niſi venerit diſceſsio primum: & reuelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui aduerſatur, & extollitur ſupra omne quod dicitur Deus, aut quod colitur; ita vt in templo Dei ſedeat, oſtendens ſe tanquam ſit Deus. *Et quia tunc erit maxima piorum perſequutio; quod pro alio proximo ſigno poni poterit: dicitur in Euangelio.* Erit tunc tribulatio magna, qualis non fuit ab initio mundi vſq; modo, neque fiet. *erit tunc tam magna tribulatio, tum bonorum hominum perſequutione, tum malorũ præſtigijs (impij enim aduerſus pios non modicum ſuis faſcinationibus præualebunt) ideo in Euangelio legitur.* Surgent enim pſeudo Chriſti, & pſeudo prophetæ, & dabunt ſigna magna, & prodigia; ita vt in errorem inducantur (ſi fieri poteſt) etiam electi. *Iſta quæ dicta ſunt ſigna, aliquanto tempore ſeculi conſummationem præcedent. quattuor, quæ ſequuntur, ſub ipſum iudicium erunt.*

## De ſignis proximioribus. Cap. VII.

IN *Euangelio ſequitur.* Statim autem poſt tribulationem dierum illorum Sol obſcurabitur. *Non quidem ita ſtatim, quia inter tam diram piorum hominum perſequutionem, ſiue etiam inter mortem Antichriſti (à quo, vt dictum eſt, & ſequacibus ſuis maxima erit tribulatio prædicta) & diem ſeculi extremum, temporis aliquid intererit; in quo, ab Antichriſto & ſequacibus decepti, errorem ſuum (ſi voluerint) agnoſcere poterunt, & deplorare, ac pœnitentiam agere (Apoc. 8. quo capite ſub extremum iudiciū euentura nonnulla ſignificantur) legimus* Quum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentiū in cœlo, quaſi media hora. *Vt per horam mediam annos aliquot quamuis paucos exponere poſſimus, qui inter mortē Antichriſti, & mundi excidium interceſſuri ſunt. et in hoc tempore, quod iudicio extremo erit quamproximum, erunt ſequētia ſigna. Unum* Sol obſcurabitur; & luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de cœlo. *imminēte extremo die.* (Sol obſcurabitur.) *vel luminis ſui, vel ſui fœcundi influxus retractione, vel interpoſitione lunaris corporis. Vt factum fuiſſe in paſſione Domini, Dionyſius Areopagita ad Polycarpum (& eſt Epiſt. 7.) affirmauit, qui ſcripſit, cum eſſet apud Heliopolim cum Apollophane, dum*

*dum Hieroſolymis Dominus pateretur, vidiſſe ſe lunam ſub intrare ſolem.*[ Et ſtellæ cadent de cœlo. ] *id eſt de ſuperiori parte aeris cadent ſagittæ, fulgetra, & impreſſiones aliæ ignitæ, & incenſæ; quæ hominibus ſtellæ cadentes apparent. (Ioel. 2.) legitur.* A facie eius contremuit terra, moti ſunt cœli, Sol & Luna obtenebrati ſunt, & ſtellæ retraxerunt ſplendorem ſuum. ( *Apoc. 8.* ) Tertius angelus tuba cecinit, & cecidit de cœlo ſtella magna, ardens tanqum facula. &c. *Alterum ſignum quod multa includit ſigna ( Luc. 21.) ponitur, cum dicitur.* Et in terris preſſura gentium, præ confuſione ſonitus maris, & fluctuum, areſcentibus hominibus præ timore, & expectatione, quę ſuperueniēt vniuerſo orbi. *Sex ſigna hoc loco tanguntur. 1. præſſura gentium. 2. confuſio. 3. maris ſonitus. 4. ingentes fluctus. 5. ſtupor hominum. 6. terror mali impendentis. Multi ex D. Hieronymo, ipſe autem ex annalibus hebræorum, ſigna quindecim enumerant; quæ proximè diem extremum præcedent, quorum aliqua in Euangelio deſcripta videntur, alijs vero tantum fidei dandum eſt, quantum ex ſanctis ſcripturis clarè et apertè probari poterūt. 1. Super montes mare eleuabitur, & fixum vt murus perſiſtet. Fortaſſis ad hoc ſignum facere videbitur, quod ſcriptum eſt. (pſ. 92.)* Mirabiles elationes maris. *Et ( pſ. 103. )* Super montes ſtabunt aquæ. *2. Mare iterum reſidebit, & vix appa-*

*rebit (ps. 106.)* Poſuit terram ſine aqua in exitus aquarum. *3. fera maris animalia ad cœlum vſque rugiēt. 4. Mare ardebit vſque ad fundum. 5. Arbores ſudabunt ſanguinem. 6. Corruent omnia ædificia. 7. Petræ inuicem collidentur. 8. Erit terremotus maximus & vniuerſalis. (ps. 67.)* Terra mota eſt, etenim cœli diſtillauerunt à facie Dei Sinai. *Et (ps. 17.)* Commota eſt, & contremuit terra; fundamenta montium conturbata ſunt, & commota ſunt; quoniam iratus eſt eis. *9. Montes vallibus æquabuntur, huic forte aptabitur illud Iſa 40.* Omnis vallis exaltabitur; & omnis mons & collis humiliabitur; & erunt praua indi recta, & aſpera in vias planas; & reuelabitur gloria Domini. *10. Exibunt de cauernis homines, velut amētes, & loqui neſcientes. huic forte accommodabitur verbum illud Euangelij [ areſcentibus hominibus &c. ] & quod legitur. ( Amos 4 )* Ecce dies venient ſuper vos; & leuabunt vos in contis; & reliquias veſtras in ollis feruentibus; & per aperturas exibitis altera contra alteram, & proijciemini in Armon, dicit dominus. *[ Armon ] interpretatur mons numerationis; hoc eſt, ex numeroſitate ingenti ſine ordine proiectorum conſurgens. 11. Oſſa mortuorum ſuper propria ſepulchra venient. (Ezech. 37.)* Factus eſt ſonitus, prophetante me, & ecce commotio, & acceſſerunt oſſa ad oſſa *12.*

*Stellæ cadent de cælo. de hoc ſigno habetur in Euangelio. Et in Ioelle* (*2*) *Et in Apoc.* (*6.*) Sol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus; & luna tota facta eſt ſicut ſanguis; & ſtellæ de cœlo ceciderunt. *13. Morientur omnes homines; qui tunc viui reperientur; vt cum mortuis reſurgant* (*1. Theß 4.*) Deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis. *Et* (*Hebr. 9.*) Statutum eſt hominibus ſemel mori. *14. Cælum & terra ardebunt. 15. Cælum nouum erit, & terra noua. de horum aliquibus ſignis in ſequentibus dicemus. Sed* (*vt ante dictum eſt*) *non maiorem tenemur hijs fidem adhibere, quàm Sacri codices permittant. Hæc autem deſeruiant* (*vt poſſunt*) *ad ſecundi ſigni, in quo plura ſigna poſita ſunt, ex Euangelio deſumpti intelligentiam. Tertium ſignum.* [ Virtutes cœlorum mouebuntur. ] *id eſt angeli* (*qui cæleſtes virtutes appellati ſunt*) *mouebuntur. hoc eſt vel ad modum trepidantium iudicem verebuntur* (*Iob. 26.*) Columnæ cœli contremiſcunt, & pauent aduentum eius. *vel mouebuntur ad perficienda iuſſa Dei* (*ps. 102.*) Benedicite Domino omnes virtutes eius, miniſtri eius, qui facitis voluntatem eius. *vel mouebuntur multa admiratione eorum, quæ intuebuntur, & fient. Sequitur in Euangelio quartum ſignum, videlicet aduentus iudicis.* [ Tunc videbunt filium hominis. ] *quoniam poſt illa ſigna, continuò ſequitur iudicium. de illis*

*igitur*

*igitur ſignis, quæ ſimul cum iudicio erunt, ſupereſt vt dicamus.*

## De ijs, quæ in iudicio, hoc capite de tempore. Cap. VIII.

SEPTEM *inter alia erunt in iudicio, quæ ſunt, Tempus, locus, iudex, citatio, citati id eſt illi qui erant iudicandi, accuſatio cum probatione, & ſententia. præter hæc etiã erũt aliqua, quæ ante iudicium incipient, & ſub iudicio perſeuerabunt, inter quæ potiſſimum eſt conflagratio mundi (ps. 17.)* Aſcendit fumus in ira eius, & ignis à facie eius exarſit. *(Deut. 31.)* Ignis accenſus eſt in furore meo, & ardebit vſque ad inferni nouiſsima. *Et (ps. 96.)* Ignis ante ipſum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. *Et (Iſa. 66.)* Ecce Dominus in igne veniet, reddere in indignatione furorem ſuum; & increpationem ſuam, in flamma ignis; quia in igne Dominus dijudicabit. *(lib. 20. cap. 18 de Ciu.) S. Auguſtinus ignem ſiue incendium tunc tantum aſcenſurum affirmauit; quantũ in diluuio aſcenderunt aquæ. Aqua autem (ita Gen. 7. legitur.)* Quindecim cubitis altior fuit ſuper montes, quos operuerat; opertique ſunt omnes montes excelſi ſub vniuerſo cœlo. *Cum enim varijs hominum fornicationibus, adulterijs, ſtupris,*

*ſtupris, homicidijs, furtis, mendacijs, blaſphemijs, & id genus ſceleribus alijs, polluta ſint elementa; illa præſertim in quibus homines facinoroſi habitant; terra, aqua, & aëris inferior portio; expurganda erunt iſta omnia igne, in quo homo non habitauerat. Sed ſeptem enumerata iam explicemus. Primum igitur erit tempus, ſiue menſura aliqua, qua tàm localis motus iudicis, & eorum qui ad iudicium venient; quàm aliorum motuũ, & actionũ, aut paſsionum omnium, quæ in iudicio fient duratio metiri poterit. Determinatum autem tempus, quo iudicium futurum eſt, nemo hominum nouit, dicente Domino (Matth. 24.)* De die autem illa, & hora nemo ſcit, neque angeli cœlorum, niſi ſolus pater. *ſignificatur hoc loco dies naturalis, vel temporis menſura aliqua. An autem die vel nocte artificiali futurum ſit iudicium, quis poterit facile dubitare. Videtur futurum nocte, quia (Matth. 25.) legimus.* Media nocte clamor factus eſt, ecce ſponſus venit &c. *Et ſæpius legitur.* Veniet tanquàm fur. *Fures autem noctu maximè furantur. (Luc. 12.)* Si ſciret pater familias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique &c. *Videtur rurſus die futurum iudicium. (Luc. 21.)* Ne ſuperueniat in vos repentina dies illa &c. *Et (1. Cor. 3.)* Dies Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſ cuiusq; opus quale ſit, ignis probabit. *S. Petrus die ſimul, & nocte futurũ eſſe iudiciũ dicere videtur, cum in*

poſte-

*poſteriore [cap. 3.] ſcribat.* Adueniet dies Domini, ſicut fur. *in quibus verbis & furis meminit, & diei. Idem Apoſtolus Paulus [ad Theſſ. 5.] cum inquit.* Dies Domini ſicut fur in nocte veniet. *Et benè vtrũque tempus complexa eſt S. Scriptura. noctem & diem, id eſt clarum, & obſcurum. Erit namque per noctem; quia occultus erit Domini aduentus. Ait Dominus [Matth. 24.]* Sicut in diebus Noe, ita erit, & aduentus filij hominis. Sicut enim erant, in diebus ante diluuium, comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, vſque ad eum diem; quo intrauit Noe in arcam; & non cognouerunt, donec venit diluuiũ, & tulit omnes; ita erit & aduentus filij hominis. *Erit autem per diem, quia non ſolum quæ palam facta ſunt, ſed omnium etiam conſilia, & occultæ cogitationes patebunt. [Matth. 10. & Luc. 12.]* Nihil opertum, quod non reueletur. *Et Paulus (Rom. 2.)* Teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium in die, cum iudicabit Deus occulta hominum, ſecundum Euangelium meum. *De die iſto ita legitur (Sophon. 1.)* Iuxta eſt dies Domini magnus, iuxta eſt, & velox nimis; vox diei Domini amara, tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa, dies tribulationis, & anguſtiæ; dies calamitatis, &

miſeriæ, dies tenebrarum, & caliginis, dies nebulæ, & turbinis, dies tubæ, & clangoris, ſuper ciuitates munitas, & ſuper angulos excelſos.

## De loco, & iudice. Cap. IX.

ALTERVM, *quod cum iudicio erit, locus eſt. De loco iudicij ſcriptum eſt (Ioel. 3)* Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & ibi diſceptabo cum eis. *Non intelligas futurum iudicem Chriſtum in terra, in valle Ioſaphat (vt fuerunt nonnulli prophetam pueriliter interpretati) ſed in aeris medio, iuxta locum montis Olíueti, ex quo in cœlum Chriſtus ipſe olim aſcenderat. (Ezechiel. vltimo) legitur.* Et ſtabunt pedes eius in die illa ſuper montem Oliueti, qui eſt contra Hieruſalem ad orientem. *Et (Act. 3.) ad Apoſtolos angelus ait.* Hic Ieſus qui à vobis aſſumptus eſt in cœlum, ſic veniet; quemadmodum vidiſtis eũ euntem in cœlum. *Aſcendit autem in cœlum ex monte Olíueti; in eundem igitur locum, in aere videlicet, de cœlo iudicaturus redibit. In terra erunt reprobi; iuſti autem* rapientur. *(Vt dixit Apoſtolus 1. Theſ. 4)* obuiã Chriſto in aera. *& de loco hactenus.*

*Iudex erit Chriſtus, ab homine morti olim turpiſſimæ cõdemnatus (Ioan. 5.)* Neque enim pater iudicat quẽ-

quam; ſed omne iudicium dedit filio (*Act.* 2.) Ipſe eſt, qui conſtitutus eſt à Deo, iudex viuorum & mortuorum *hoc eſt piorum, & impiorum hominum; vel etiam iam pridem mortuorum, & eorum qui viui tunc reperientur. Sedebit quidem iudex, ſed ſuper qua ſede explicari exactè non poſſe credo.* ( *Apoc.* 1. ) *legitur.* Ecce venit cum nubibus. *Et* ( *Luc.* 21. ) Tunc videbunt filium hominis venientem in nube. *Vt eius ſedes futura ſit candidiſſima aliqua, & admiranda nubes; non qualis ex terræ & aqua vaporibus virtute ſolis coaleſcit; ſed qualis Deo placuerit ideo* ( *Apoc.* 20. ) Et vidi thronum magnum candidum, & ſedentem ſuper eum, &c. *Et* ( *Matth.* 25. *legitur.* ) Tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ *id eſt ſuper ſedem admirandam; & quæ à nobis explicari non poßit; vt non poteſt diuina maieſtas Iudicabit autem Chriſtus non in forma diuinitatis, ſed humanitatis. ſic enim legimus* ( *Ioan* 5.) Poteſtatem dedit ei iudicium facere; quia filius hominis eſt. *Vt ab omnibus qui iudicio aderunt videri poßit. Poteſt autem eſſe dubitatio; in qua humanitatis forma tunc apparebit; num infirma, in qua & iudicatus & paſſus eſt; an glorioſa, in qua ut in monte aliquando coram Petro &c. apparuit; aut in qua in cœlis fulgentiſſimus & impaßibilis regnat. Sunt qui dicãt, infirma. quia &* ( *Ioan.* 19 ) *ſcriptum eſt.* Videbunt in quem tránsfixerunt. *Et* ( *Apoc.* 1. ) Videbit eum

omnis

omnis oculus; & qui eum pupugerunt. *Melius fortaſſe erit, cum multis patribus dicere, quòd in forma glorioſa venturus ſit. Ita namque (Matth. 25.) legimus.* Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, tunc ſedebit ſuper ſedem maieſtatis ſuæ. *Et (Luc. 21.)* Tunc videbunt filium hominis venientem in nube, cum poteſtate magna, & maieſtate. *Et ad hoc aliqua poteſt adhiberi ratio. Quia ſi iudicandus venit in infirmitate; iudicaturus venire debet in maieſtate. Chriſti autem humanitatis glorioſæ maieſtas, ab oculo non glorificato videri poteſt. Viderunt Petrus & Ioannes Dominum in monte transfiguratum & glorioſum. Chriſtum propterea non ſolum electi intuebuntur glorioſum, & iuſti, ſed etiam reprobi. ita legimus (Matth 24.)* Sicut fulgur exit ab oriente, & paret vſque in occidens; ita erit & aduentus filij hominis. Et videbunt filium hominis venientem in nubibus cœli, cũ virtute multa, & maieſtate. *Et (cap. 16.)* Filius hominis venturus eſt in gloria patris ſui cum angelis ſuis; & tunc reddet vnicuique ſecundum opera ſua. *Sed hanc gloriam Chriſti & maieſtatem alio modo boni viſuri ſunt, & alio mali: boni quidem cum gaudio, & inenarrabili lætitia; mali vero cum trepidatione, & horrore. (Sap. 5.)* Videntes turbabuntur timore horribili. *(Matth. 24).* Plangent omnes tribus terræ. *Et (Zachar. 12)*

*eſſe iudicaturos patres cuncti confitentur. Quomodo autem iudicaturi ſunt, non idem omnes ſentiunt. Sunt aliqui (ut eſt apud Mag. 4. diſt. 47.) qui affirmant, ſanctos auctoritate etiã, & poteſtate fore iudicaturos, iſtos uidetur ſequi Magiſter. Si quæratur ab eis: quæ erit iſta eorum poteſtas, & auctoritas in iudicando? Reſpondet ijs uerbis pro ſe, & illis Magiſter.* Puto non ante ſciri, quàm videatur; niſi diuina reuelatione quis didicerit. *Alij rectius fortaſſe dixerunt, iudicaturos eſſe ſanctos, id eſt cum iudice aſſeſſuros, & iudicis ſententiam approbaturos. Nempè illi, qui iudici aßident, & iudicis ſententiam approbant, ex conſueto modo loquendi, iudicare aliquo modo dicuntur. Poteſt etiam dici, quod malos ſancti iudicabunt per comparationẽ; quia credentibus & benè operantibus ipſis, mali credere, aut benè operari noluerunt. Ad quem modum ait Dominus (Ierem. 3.)* Iuſtificauit animam ſuam auerſatrix Iſrael, comparatione præuaricatricis Iudæ. *Et (Matth. 12.) inquit.* Viri Niniuitæ ſurgent in iudicio cum generatione iſta, & condemnabunt eã; quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ; & ecce plus quàm Ionas hic. *Addit.* Regina auſtri ſurget in iudicio cum generatione iſta, & condemnabit eam; quia venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic. *Sequitur in Euangelio. (Matth. 24.)* Et tunc parebit ſignum

gnum filij hominis in cœlo. *hoc ſignum eſt ſignum crucis. ita namq; canit Eccleſia* Hoc ſignum crucis erit in cœlo; cum Dominus ad iudicandum venerit. *credunt inter patres aliqui, crucem illam ligneam cui affixus fuit Ieſus, ad iudicium miniſterio angelorum deportandam; quemadmodum cadauerum pulueres eorundem miniſterio reſumendos; Vt & contra diabolum victoria, & aduerſus impios iudæos ingratitudo, & ſæuitia, & erga bonos, & pios miſericordia, immenſaq; erga hominem Dei beneficentia ſimul omnia manifeſta reddãtur; & reproborum imprudentia penitus opprimatur. Ipſa autem ſanctiſſima crux nouo quodam, & admirabili ſplendore illuſtrabitur. Nonnulli dixerunt, non crucem illam ligneam, ſed ſignum aliquod crucis in frontibus beatorum egregium appariturum; quodcumq; illud fuerit; de quo inquiunt, ( Apoc. 7. ) legitur.* Vidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui. Et clamauit voce magna quattuor angelis, nolite nocere terræ, & mari, neq; arboribus, quoaduſq; ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum *Et( Sap. 16.)* Signum habentes ſalutis, ad commemorationem mandati legis tuæ. *Nihil prohibet & horum & illorum patrum ſimul approbare ſententiam; & crucem ligneam fulgentem deportandam eſſe, & ſignum aliquod crucis in frontibus beatorum appariturum. Nec ſolam crucem deportandam, ſed colum-*

*columnam, claues, coronam ſpineam, lanceam, ſpongiam, harundinem, & flagella, piè credendum eſt angelos eſſe tũc in iudicium delaturos, cicatrices quoq; & vulnerum ſuorum veſtigia oſtendet Chriſtus in iudicio.* Videbunt. (*inquit Ioan.*) in quem transfixerunt.

*Altera poterit cuipiam ſuboriri dubitatio. An pater & Spiritus ſanctus ſint ſicut filius iudicaturi. Videtur quod non. quia legimus (Ioan. 5.)* Neque enim pater iudicat quemquam; ſed omne iudicium dedit filio. *Et ibidem.* Poteſtatem dedit ei iudicium facere; quia filius hominis eſt.

*Ad iſtam dubitationem dicendum eſt. quod quemadmodum pater extra ſanctiſsimam Trinitatem, operatur nihil; quod idem non operentur filius, & Spir. ſanctus. Ita nil operatur filius, quod idem & pater & Spir. ſanctus non operentur. Iudicat igitur pater, iudicat & Spir. ſanctus. Sed dicitur omne iudicium traditum filio; propterea quód ab omnibus videbitur filius, non autem pater, aut Spir. ſanctus; quia filius hominis eſt; non quia eſt filius Dei; quia reprodi diuinitatem non ſunt conſpecturi. Si dicas (Matth. 28.) legitur.* Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo, & in terra. *Non igitur pater iudicabit aut Spir ſanctus. Dicendum eſſe quidem Chriſto homini collatam omnem poteſtatem; ſed non ablatam à patre, aut à Spir. ſancto. Inſtabis. quia Chriſtus eſt Dei filius. Deo nihil de nouo aduenit, quomodo ait*

*ſcriptura.* Data eſt mihi omnis poteſtas? *Dictum eſt in ſuperioribus, loca ſcripturæ, quæ Deo aliquid de nouo aduenire ſignificare videntur, exponi debere, pro eo quod dicerent, nunc intelligent hoc vel illud homines, et angeli. Vt ſenſus illorum verborum* [ data eſt mihi omnis poteſtas. ] *ſit, mihi omnem eſſe poteſtatem, omnes tribus, omnes nationes, & omnes denique homines, ſi non ante, ſaltem in die iudicij intellecturi ſunt, & conſpecturi. Ad hunc modum exponitur illud* ( *Gen.* 22. ) *quod ad Abraam dixit Dominus.* Nunc cognoui quód timeas Dominum. *id eſt cognoſcent ex hoc omnes te timere Dominum. Et de Iudice; quod erat tertium, hactenus.*

## De citatione & iudicandis. Cap. XI.

QVARTVM, *quod in iudicio futurum eſt. eſt vltima, & peremptoria citatio. ſequitur propterea in Euangelio* ( *Matth. cap.* 24. ) Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius, à quattuor ventis, à ſummis cœlorum vſque ad terminos eorum. *Eſt autem citatio ad ius rei vocatio. quæ* (*niſi aliter neceſſitas, vrgeat*) *edictis tribus fieri debet. primàm citationem præceſſit admonitio in lege naturæ per naturam ipſam hominis, qui rationalis eſt, & per Noe facta. qui tempore, quo arcam fabricabat* ( *quod fuit centum*

annorum

*annorum & amplius) omnes homines admonebat [quod admonet etiam ipſa naturalis ratio] vt mundi vanitatem experti reſipiſcerent. quod cum facere neglexiſſent, ſubſequuta eſt pœna, & aquis diluuij obruti perierunt, ad vniuerſæ poſteritatis exemplũ. legitur [Gen. 6.]* Videns Deus quod multa malitia hominum eſſet in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta eſſet ad malũ omni tempore, pœnituit eum, quod hominẽ feciſſet in terra. *Facta eſt igitur & per naturam ipſam, & per Noe vniuerſalis quædam admonitio; & per diluuium exhibitum eſt pœnæ illis debitæ exemplum, qui Dei præcepta contemnunt. Poſt admonitionem citatio prima facta eſt in lege ſcripta per prophetas, à Moyſe, & ab exitu iſraëlitici populi de Egipto ad aduentum Domini vſque (prou. 1.)* Conuertimini ad correptionem meam, en proferã vobis ſpiritum meum, & oſtendam vobis verba mea, &c. *Altera citatio per Apoſtolos tempore gratiæ; & per apoſtolicos viros facta eſt; & quottidie fit & ad conſummationem vſque ſeculi fiet. (Luc. 10.)* Deſignauit Dominus, & alios ſeptuaginta duos; & miſit illos binos ante faciem ſuam, in omnem ciuitatem, & locũ, quo erat ipſe venturus. *Et (cap. 14.)* Miſit ſeruum ſuum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirẽt; quia iam parata ſunt omnia: *Cum autem rei & improbi homines per duas citationes comparere, & à mala eorum via reſipi-*

*ſcere neglexerint, per tertiam tandem & peremptoriam cita tionem ad iudicium extremum ad audiendam ſententiam ab angelis compellentur. Vocabuntur omnes tàm probi, quàm improbi in iuſſu, in voce archangeli, & in tuba Dei* (*Matth.* 24) Et mittet angelos ſuos cum tuba, & voce magna, & congregabunt electos eius &c. *Et* (1. *Cor.* 15.) Canet enim tuba, & mortui reſurgent incorrupti; & nos immutabimur. *Omnes certè* (*vt dictum eſt*) *per totum orbem terrarum diffuſi homines ad iudicium venturi ſunt, & ad clangorem tubæ quidquid fuerit iſta tuba, & iſta vox archangeli, & iſta iuſſio Dei. præclarum certè ſignum aliquod erit. quo reſurgent omnes mortui*(*Iſa.* 26.) Viuent mortui tui, interfecti mei reſurgent, expergiſcimini, & laudate; qui habitatis in puluere. *Et* (*Ezechiel* 37) Dixit ad me, vaticinare de oſſibus iſtis, & dices eis Ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & viuetis; & dabo ſuper vos neruos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes & ſuperextẽdam in vobis cutem & dabo vobis ſpiritum, & viuetis; & ſcietis, quia ego Dominus. *Mortuorum reſurrectio, articulus eſt fidei, cui ſalutis noſtræ ſpes fermè vniuerſa innixa videtur. Apoſtolus*; (1. *Cor.* 15.) *inquit.* Si Chriſtus prædicatur, quòd reſurrexit à mortuis; quomodo quidam dicunt in vobis, quòd reſurrectio mortuorum non eſt? Si autem reſurrectio

mor-

mortuorum non eſt; neque Chriſtus reſurrexit. Si autem Chriſtus non reſurrexit, inanis eſt ergo prædicatio noſtra, inanis eſt & fides veſtra. *Et aliquot interpoſitis:* Si (ſecundum hominem) ad beſtias pugnaui Epheſi; quid mihi prodeſt, ſi mortui nó reſurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur. *Et (1. Theſſ. 4.)* Si enim credimus, quód Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt per Ieſum, adducet cum eo. *Vt fidei noſtræ ſit mortuorum reſurrectio tuta prorſus & fidelis anchora. Reſurgent igitur homines vniuerſi, & ad iudiciũ venturi ſunt omnes; quo & cuiuſq; conſcientia in præſentia iudicis notn fiat omnibus; & ſimul diuina ipſa iuſtitia omnibus innoteſcat. Apoſtolus (2. Cor. 5.)* Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; vt referat vnuſquiſq; propria corporis, pro vt geſsit, ſiue bonum, ſiue malum. *Et (in priore cap. 4.)* Nolite ante tempus iudicare, quoaduſque veniet Dominus; qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. *Et (Matth. 13.) ait Dominus.* Mittet filius hominis angelos ſuos; & colligent de regno eius omnia ſcandala, & eos qui faciunt iniquitatem. *Et (cap. 24.)* Mittet angelos ſuos, & congregabunt electos eius à quattuor ventis, &c. *Non illi ſolum, qui pridem vita functi fuerint*

*ad iudicium venturi ſunt; ſed illi etiam, qui viui adhuc in mũdo reperti fuerint. Ita ( 1. Theſ. 4. ) ſcribente Apoſtolo.* Mortui qui in Chriſto ſunt, reſurgent primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur, ſimul rapiemur cum illis, &c. *cum dixit* [ reſurgent primi ] *ſignificaſſe videtur, eos poſtea eſſe reſurrecturos, qui tunc viui inuenti fuerint; qui niſi prius moriantur, reſurgere non poterunt. Cuncti igitur aſtabunt diuino iudicio; ſed modis diuerſis, quia mali à bonis ſeparabuntur. Sic ait Dominus ( Matth. 25. )* Cum venerit filius hominis in maieſtate ſua, & omnes angeli cum eo, congregabuntur ante eũ omnes gentes, & ſeparabit eos ad inuicem; ſicut paſtor ſegregat oues ab hædis, & ſtatuet oues quidem à dextris ſuis hoedos autem à ſiniſtris. *Dicũt nonnulli patres, quod non ſolum à bonis ſeparabuntur mali; ſed inter ipſos etiam malos fiet aliqua ſeparatio, per quam auari ſeparabuntur ab adulteris, & adulteri ab homicidis, & alij ab alijs, pro ratione ſceleris, quo erunt præcipuè maculati, & infecti. Malis dolor futurus eſt maximus; anguſtæ erunt reproborum viæ; ſuperius erit iudex iratus, inferius os horrendum inferni, ab vno latere peccata, ab alio dæmonia ad ſupplicium illos trahentia, intus conſcientiæ vermis remordens, foris mundus ardens; latere erit impoſſibile, apparere intolerabile. Apud iudicem duo erunt pœnitus integra; quibus omne iudicium maximè abſoluitur, Auctori-*

*tas, &*

*tas, & Poteſtas. auctoritate ſententiam feret: poteſtate pro meritorum ratione retribuet ita Iudex, vt ſententiæ exequutionem effugere quemquam, fuerit penitus impoſſibile. Iudicandorum ordines quattuor tradunt patres; electorum duos, & duos reprobatorum. Electorum vnus ordo eorum erit, quorũ adeo fulgebit probitas, & iuſtitia; vt nulla ſit de eorũ operibus diſcuſſio futura. Vt ſunt B. mater, Ioannes baptiſta, Apoſtoli, & alij perfecti: qui aſſeſſores erunt. de quibus (Iſa. 3.) legitur.* Dominus ad iudicium veniet cum ſenatoribus populi ſui. *Et (Ioan. 3.)* Qui credit in eum, qui me miſit, habet vitam æternam; & in iudicium non venit; ſed tranſit à morte in vitam. *Huic ordini reprobatorum eorum reſpondet ordo; qui adeo improbi, & impij fuerint, vt ſine aliqua operum ſuorum malorum diſcuſſione, perituri ſint. de quibus (Ioan. 3.) ait Dominus.* Qui non credit, iam iudicatus eſt. *Et (cap. 16.)* Princeps huius mundi iam iudicatus eſt. *Et (ps. 1.)* Non reſurgent impij in iudicio. *Electorum rurſus & reprobatorum alter ordo erit eorum; qui & bonum promiſcuè operati ſunt, & malum; quorum alij in bono vſq; ad finem, alij in malo perſeuerauerunt. Bona namque & mala cuiuſq; opera appendet in ſtatera dominus. (Iob. 31.)* Appendat me in ſtatera iuſta, & ſciet Deus ſimplicitatem meam. *Et (prou. 16.)* Pondus & ſtatera ſunt iudicia Domini. *Et (Dan. 5.)* Appen-

ſus

ſus eſt in ſtatera, & inuentus eſt minus habens. *De iis erit iudicium diſceptationis, horum diſcutientur merita, et approbationis, vel condemnationis in eos ſententiam proferet Iudex. de qua paullo poſt dicturi ſumus.*

## De accuſatione, & ſententia.
## Cap. XII.

QVONIAM *indicta cauſa ſententiam æquus iudex, ferre non poteſt. cauſæ namque cognitio, vt iudicium rectum præcedat, neceſſarium eſt. cauſæ autem cognitionem accuſatio rei præcedit; ideo Pilatus ad iudæos, qui illum ad Chriſtum iudicandum vrgebant, dixit. (Ioan. 18.)* Quã accuſationem affertis aduerſus hominem hunc? *Accuſatores vt in qualibet cauſa multi eſſe poſſunt; & ſinguli cum ſuis probationibus adeſſe tenentur, ita tunc multi cum ſuis teſtibus iudicio aderũt. Vnus erit diabolus, de quo (Apoc. 12.)* Proiectus eſt accuſator fratrum noſtrorum; accuſabat illos ante conſpectum Dei noſtri, die ac nocte. *Alter eſt S. Scriptura. (Ioan. 5.)* Eſt qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. *(Apoc. 20.)* Tunc libri aperientur. *(Dan. 10.)* Annunciabo tibi, quod expreſſum eſt in ſcriptura veritatis. *Tertius cælum & terra (Iob. 20.)* Reuelabunt cœli iniquitatem eius, & terra conſurget aduerſus eũ.

*Quar-*

*Quartus filius improbus aduerſus patrem improbum.* (*Eccl.* 41.) De patre impio quæruntur filij; quoniã propter illum ſunt, in opprobrio. *Mala denique omnia in pauperes, pupillos, viduas, & innocentes cuiuſque ſexus perpetrata tunc aduerſus patratores inclamabunt.* (*Gen.* 4) Sanguis fratris tui clamat ad me de terra. *Et* (*Gen.* 18.) Videbo vtrum clamorem, qui venit ad me, opere compleuerint. *Et* (*Zachar.* 7.) *ait Dominus*: Iudicium verum iudicate, & miſericordiam, & miſerationes facite; & viduam, & pupillum, & aduenam, & pauperem nolite calumniari, &c. *Maximè autem omnium vnumquemq; accuſabit conſcientia propria.* Etenim virtute diuina fiet. (*vt alibi dixit S. Auguſt.*) vt cuique opera ſua bona vel mala cũcta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur; vt accuſet vel excuſet hominem conſcientia; eaque teſtę damnetur, aut ſaluetur. *Et Apoſt.* (*Rom.* 2.) Teſtimonium reddẽte illis conſcientia ipſorum, & inter ſe inuicem cogitationum accuſantium, aut etiam defendentium, &c. *Et* (*1.Cor.* 4.) Itaque nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium. *Et* (*Dan.* 7.) Antiquus dierum ſedit, & libri aperti ſunt coram eo. *Libri ſunt*

con-

*conſcientiæ ſingulorum. In tam clara, & exacta cauſæ cognitione, pronunciabitur à Iudice ſententia, pro iuſtis.* Venite benedicti patris mei, poſsidete paratum vobis regnum, à conſtitutione mundi. *O ſuauiſsima ſententia, omnis amoris, gaudij, & lætitiæ plena. In reprobos, & iniuſtos.* Diſcedite à me maledicti in ignem æternum; qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius.. *O quam terribilis & horrenda ſententia, omni dolore, & triſtitia repleta. Sententiæ vtriuſq; ratio, & ſi omnibus erit aperta. paucis tamen à iudice explicabitur, bonos blandè ita alloquètur.* Eſuriui enim, & dediſtis mihi manducare; ſitiui, & dediſtis mihi bibere, &c. *Malis vero toruo aſpectu reddet tàm diræ ſententiæ cauſam dicens.* Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare. Sitiui, & nõ dediſtis mihi bibere, &c. *Et tàm boni, quàm mali tũc dicent.* Domine, quando te vidimus eſurientem, aut ſitientem? *quibus ille pijs benigne, impijs auſtere reſpondebit.* Amen dico vobis, quandiu feciſtis, aut non feciſtis, vni de ijs fratribus meis minimis, mihi feciſtis, aut non feciſtis. *Sequitur (Matth. 25.)* Et ibunt hi in ſupplicium æternum, iuſti autem in vitam æternam: *(Matth. 3.) de Chriſto inquit Ioannes:* Cuius ventilabrum in manu ſua, & permundabit aream ſuam, & congregabit triticum ſuum in horreum, paleas autẽ comburet igni inextinguibili..

An

## An morientur in fine, qui ſuperſtites erint. Cap. XIII.

*IN ijs quæ dicta ſunt multæ occurrunt dubitationes. Vna, An ſancti illi, quos viuos dies extremus ille iudicij inuenerit, morientur; & poſteà ſtatim ad iudicium reſurgent; an viui potius rapientur obuiam Chriſto in aera; vt Apoſtolus dicere videtur, de improbis non eſt dubitatio, ſed de electis tantum. Fuit aliquando à S. Marcella ſuper re iſta D. Hieronymus interrogatus, (vt in tertio ſuorum voluminũ tomo quilibet videre poteſt) cui ille reſpondens inquit.* Sancti, qui in aduentu Saluatoris fuerint deprehenſi in corpore, in ijsdem corporibus occurrent ei; ita tamen vt inglorium, & corruptiuum, & mortale; gloria, & incorruptione, & immortalitate mutetur. vt qualia corpora ſurrectura ſunt; in talem ſubſtantiam etiam viuorum corpora transformétur. Vnde dicit in alio loco Apoſtolus. (*2. Cor. 5.*) propter quod nolumus expoliari, ſed ſuperueſtiri; vt abſorbeatur mortale hoc à vita; ne ſcilicet corpus ab anima deſeratur; ſed anima habitante in corpore, fiat inclitum, quod ante inglorium fuit. *Ex quibus verbis non eſſe ſanctos illos morituros, nec à corporibus eorum animas ſeparandas; ſed eſſe tantũ corpora*

*tranſformanda; ad tanti doctoris opinionem aperte ſatis intelligere poſſumus. Alij tamen patres fermè omnes oppoſitæ ſunt ſententiæ. quód (Hebr. 9.) ſcriptum ſit.* Statutum eſt ſemel mori. *Et (pſ. 88.)* Quis eſt homo, qui viuet, & non videbit mortem? *Adde, quód ſanctos illos reſurrecturos affirmet Apoſtolus; non reſurgerent autem ſi prius non morerentur. (1. Theſſ. 4.)* Mortui qui in Chriſto ſunt reſurgēt primi; deinde nos, qui viuimus, qui relinquimur. &c. *Et (1. Cor. 15.)* Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Chriſto omnes viuificabuntur. *Non viuificatur autem, qui prius non eſt mortuum; Et (eodem capite.)* Omnes quidé reſurgemus: *Non poteſt autem reſurgere, quod non moritur. in quo loco S. Ambroſius inquit.* In ipſo raptu eorum, qui viui reperientur, mors erit, & reſurrectio; vt anima quaſi per ſoporem egreſſa de corpore, eidem in momento reddatur. *Hunc modum dicendi patrum chorus alacriter amplectitur.*

## An ſuffragijs adiuuari poterunt animæ eorum qui in fine mundi ſunt morituri viri mediocriter boni. Cap. XIIII.

ALTERA *dubitatio eſt, ſi eorum, qui in fine mundi mediocriter boni decedent, animæ, ſuffragijs iuuari poterunt*

*runt; nullis in hoc ſeculo remanentibus, qui ſuffragentur.*

*Meliori ſine contentione iudicio ceſſurus dicerem. Vel non militantis ſed triumphantis Eccleſiæ ſuffragijs animas illas adiuuandas fore: Vel ignem illum (quo mundus tunc cõflagrabitur) purgaturum, quidquid in illis purgandum inuenerit: Vt ſaluari eos dicere poßimus, ſic tamen quaſi per ignẽ. Poteſt tertia afferri reſponſio. quod ex ſignis illis iudicium præcedentibus (de quibus ante dictum eſt) tam horrendis, vt in malis fiet tribulatio & mentis confuſio maxima, ita in mediocriter bonis tanta fieri poterit peccati ſui pœnitentia, atq; contritio: vt ad vniuerſa ſua peccata, peccatorumque ſuorũ ſupplicia penitus diluenda ſufficiat, vt aliorum ſuffragijs illi non egeant. Ex ijs quæ dicta ſunt ad dubitationem illam an valde bonis, & ſanctis viris pœnam aliquam mundi conflagratio ſit allatura. reſponſio patere poteſt. ad quam (lib. 20. de Ciu. cap. 18.) multis verbis S. Auguſtinus reſpondet, quorum ſententiam. Magiſter (lib. 4. diſt. 47.) breuibus ſtringit, inquiens.* Ille ignis malis, qui viui reperti fuerint, erit conſumptio; Sanctis vero hoc erit incẽdium mundi, quod fuit caminus tribus pueris; in quibus ſi aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur.

## An cum noſtris ipſi corporibus reſurgemus. Cap. XV.

E*ST tertia dubitatio. An cum noſtris iſtis corporibus, quæ modo viui portamus, ſinguli reſurgemus? Dicendum cum noſtris omnino corporibus (quantum ad ſubſtantiam) nos eſſe reſurrecturos. legimus (Iob. 19.)* Scio quód redemptor meus viuit; & in nouiſsimo die, de terra ſurrecturus ſum; & rurſum circundabor pelle meá; & in carne mea videbo Deum; quem viſurus ſum ego ipſe, & oculi mei conſpecturi ſunt; & non alius. *Quod dicit.* [& non alius] *ſignificat, quód ipſemet qui nunc viuit, reſurget; & oculi ſui, quibus nunc mundum intuetur, tunc Deum ipſum conſpicient; nec ipſe alius fiet, aut aliud corpus in reſurrectione reſumet. Quidquid igitur corporeæ in nobis aliquando fuerit ſubſtantiæ; totum à nobis in reſurrectione reſumetur. Quod (cap. 88. lib. Ench.) ijs verbis S. Auguſt. explicauit.* Non perit Deo terrena materies; de qua mortalium creatur caro; ſed in quemlibet puluerem, cineremue ſoluatur, in quoſlibet halitus auraſque diffugiat, in quamcunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quorumcunque animalium etiam hominum cibum cedat, carnemque mu-

mutetur; illi animæ humanæ puncto temporis reddit; quæ illam primitus, vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit. (*Idem habet diffuſius lib. 22. de Ciu. cap. 20.*) *Sed quamuis ea omnia ad corpora noſtra redibunt ſubſtantialia, quæ ab eis delapſa fuerint; non tamen (vt in citatis locis copioſius declarat S. Auguſt.) ad eaſdem corporis partes, vbi prius fuerant, redire illa neceſſum eſt. Nihil enim refert ad corporis redintegrationem, vt capilli ad capillos redeant, aut vngues ad vngues; & an quidquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur; curante artificis prouidentia, ne quid indecẽs fiat. Quemadmodum ſi metalli ſolubilis artifex liquefaceret ſtatuam, & eandem rurſus ex eadem materiæ quantitate reparare vellet; ad eiuſdem integritatem intererit nihil, quæ materiæ particula, cui membro ſtatuæ redderetur; dum tamen totum, ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret.*

## Qua ætate & ſtatura reſurgemus. Cap. XVI.

Q*Varta dubitatio. An in ſua ſinguli ætate, & ſtatura reſurgent homines? Sunt aliqui & pij & docti viri, qui in ea ætate, & corporis ſtatura reſurrecturos omnes affirmauerunt, in qua Chriſtus & paſſus eſt, & reſurrexit, quod (ad Epheſ. 4.) ſcribat Apoſtolus.* Donec occurramus

omnes

omnes in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti. *Sed iſte locus, & ſi ad ætatem aliquid facit, nihil tamen facit ad ſtaturam. Communior igitur patrum ſententia eſt (quam lib. 22. de Ciu. cap. 15. expreſſit S. Auguſt.) quòd in ætate quidem Chriſti omnes reſurgemus; in ea autem ſtatura, non quam habuit Chriſtus, ſed quam vnuſquiſque vel habuit in iuuentute, ſi ſenex obijt; vel fuerat habiturus, ſi ante defunctus eſt. Ita de infantibus (cap. 14.) ante dixerat.* Quod eis tardius acceſſurũ erat tempore, hoc ſunt illo Dei opere miro, atq; celerrimo recepturi. *Sequitur.* In ſententia quippe Domini, vbi ait. Capillus capitis veſtri non peribit, dictum eſt, non defuturum eſſe, quod fuit; non autem negatum eſt, affuturum eſſe, quod defuit. Defuit autem infanti mortuo perfecta quantitas ſui corporis. *Et paucis interpoſitis.* Hunc perfectionis modum ſic habent omnes: vt cum illo cõcipiantur, atq; naſcantur: ſed habent in ratione, non in mole. In qua ratione vniuſcuiuſq; materiæ indita corporali, iam quodammodo (vt dicam) liciatum eſſe videtur, quod nondũ eſt; imò quod latet: ſed acceſſu temporis erit, vel potius apparebit. *Et quia viri, non autem mulieris loco citato meminit Paulus. Et (ad Rom. 8.) cum inquit:* Quos prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui. *Fuerunt, qui*

*crederent, ( quod libi 22. de Ciu. cap. 17. ) notauit S. Aug. in ſexu fœmineo non reſurrecturas fœminas, ſed in virili omnes. Addunt, ad huius rei probationem, ſolum virũ ( Gen. 1. ) feciſſe Dominum ex limo, fœminam autem ex viro.* Sed (*inquit S. Auguſt.*) mihi melius ſapere videntur, qui vtrumq; ſexum reſurrecturum eſſe non dubitant. Non enim libido ibi erit, quę confuſionis eſt cauſa. Nam prius quàm peccaſſent, nudi erant, & non confundebantur vir & fœmina. Corporibus ergo illis vitia detrahentur, natura ſeruabitur. Non eſt autem vitium ſexus fœmineus, ſed natura. Erunt tamen membra fœminea, non accomodata vſui veteri, ſed decori nouo, quo non allicitur aſpicientis concupiſcentia, quæ nulla erit, ſed Dei laudetur ſapientia, atque clementia; qui & quod non erat fecit, & liberauit à corruptione, quod fecit.

## An abortiui fœtus, an monſtra, an vitiata corpora reſurgent. Cap. XVII.

DVBITATIO *eſt. 1. Si abortiui fœtus reſurgent. 2. Si monſtra, vt monſtra ſunt. 3. Si corpora vitiata, vt clauda, gibba, & eiuſmodi alia, cum vitijs ſuis reſurrectura ſunt.*

Ad

*Ad primam dubitationem (22. de Ciu. cap. 13. necnõ lib. Enchir. cap. 85.) reſpondet S. Auguſt. & reſurrecturos abortus affirmat. In lib. de Ciuit. ita ſcriptum reliquit.*

Abortiuos fœtus, qui cum iam vixiſſent in vtero, ibi ſunt mortui, reſurrecturos vt affirmare, ita negare non audeo; quamuis non videam, quomodo ad eos non pertineat reſurrectio mortuorum, ſi non eximuntur de numero mortuorum. Aut enim non omnes mortui reſurgent, & erunt aliquæ humanæ animæ ſine corporibus in æternum; aut ſi omnes recipient ſua corpora, non inuenio quemadmodum dicam, ad reſurrectionem non pertinere mortuorum, quoſcunq; mortuos etiam in vteris matrum. *In lib. autem Enchi. ſic inquit,* Informes abortus, quis non procliuius perire arbitretur, ſicut ſemina, quæ concepta non fuerint? Sed quis negare audeat, & ſi affirmare nõ audeat, id acturam reſurrectionem, vt quidquid defuit formę, impleatur? atque ita non deſit perfectio, quæ acceſſura erat tempore; quemadmodum nõ erunt vitia, quæ acceſſerunt tempore. vt neque in eo, quod aptum, & congruum, & dies allaturi erant, natura fraudetur; neque in eo quod aduerſum, atq; contrarium dies attulerant, natura turpetur; ſed integretur, quemadmodum erat integrum

grum

grum; ſicut inſtaurabitur, quod erat vitiatum.

*Ad dubitationem alteram (cap. 87. eiuſdem libri) reſpondet idem S. Auguſt. ijs verbis.* Neque monſtra, quę naſcuntur, & viuunt, quamlibet cito moriantur, aut reſurrectura negabunt, aut ita vitiata, reſurrectura credenda ſunt; ac non potius correcta, emẽdataque natura. Abſit enim, vt illum bimembrẽ, qui nuper natus eſt in Oriente, de quo & fratres fideliſsimi, qui eum viderunt, retulerunt; & ſanctę memorię Hieronymus presbyter ſcriptum reliquit. Abſit (inquam) vt vnum hominem duplicem, ac non potius duos, quod futurum fuerat ſi gemini naſcerentur, reſurrecturos exiſtimemus. Ita cetera ad humanæ naturæ figuram reuocabuntur; vt ſingulæ animæ ſingula ſua corpora obtineant, ſingulis ſua membra geſtantibus, quibus humani corporis completur integritas.

*Ad illud quod de vitiatis corporibus dubitatum eſt, ante (ex cap. 85. lib. Ench.) dictum eſt. quòd in reſurrectione non erunt corperum vitia; ſed fuſius hoc explicat idẽ S. Auguſt. (lib. 22. de Ciu. cap. 19.) tacta prius (cap. 12.) dubitatione, de vnguibus diſſectis, & tonſis capillis, quo loci inquit.* Neque hoc ideo dixerim, quòd aliquid exiſtimem corpori cuiquam periturum, quod naturaliter inerat; ſed quod deforme natum fuerat, ſic

eſſe rediturum; vt ſeruata integritate ſubſtantiæ, deformitas pereat. *Sequitur.* Si enim ſtatuam poteſt artifex homo, quam deformem fecerat, conflare, & pulcherrimã reddere; ita vt nihil inde ſubſtantiæ, ſed ſola deformitas pereat; ac ſi quid in illa figura propriè indecenter extabat, nec parilitati partium congruebat, non de toto vnde fecerat amputare, atque ſeparare; ſed ita cõſpergere vniuerſo, atque miſcere; vt nec fœditatem faciat, nec minuat quantitatem; quid de omnipotenti artifice ſentiendum eſt? *& aliquot interpoſitis.* proinde nulla erit deformitas; quam facit incongruentia partium, vbi & quæ praua ſunt corrigentur, & quod minus eſt quàm decet (vndè creator nouit) inde ſupplebitur; & quod plus eſt, quàm decet; materiæ ſeruata integritate detrahetur. *Hæc quæ de corporeorum vitiorum correctione dicta ſunt hactenus, vera ſunt penitus, ſi de corporibus glorificandis loquamur. An vero vitiata damnandorum corpora, correcta reſurgent, dubitatio eſt, de qua paullo poſt cum de inferno agemus, duo verba dicemus.*

## Dubitationes nonnullæ. Cap. XVIII.

EST *dubitatio. An ſit aliqua cauſa, ſtatuendæ reſurrectionis? Apoſtolus (2. Cor. 5.) finalem cauſam reſurre-*

*ſurrectionis aſsignauit, cum dixit.* Omnes nos manifeſtari oportet ante tribunal Chriſti; vt referat vnuſquiſq; propria corporis, pro vt geſſit, ſiue bonū, ſiue malum. *Finis igitur reſurrectionis eſt: ne boni fraudentur ſuis premijs, nec mali meritis pœnis; quod ſummæ diuinæ iuſtitiæ, & bonitati congruit maximè. Eandem cauſā (in priore cap. 3.) attulit dicens.* Vnuſquiſque propriā mercedem accipiet ſecundum ſuum laborem. *Aequum nempè eſt; vt corpus, quod ſimul cum anima in opere defatigatum eſt; ſimul cum ea operis mercedem recipiat: & quem habuit anima in labore ſocium, habeat in quiete, vel erumna conſortem. Adde, quod adeò ad proprium corpus inclinata eſt qualibet anima; vt ſine eo perfectè beata vix dici poſsit illa, quæ beata eſt.*

*An cælum & terra ſint igne conſummanda?*

*Eſt (communi patrum conſenſu, firmata reſponſio; cælum concremandum, non eſſe illud æthereum, in quo fixa sūt ſydera, quod incorruptibile eſt, & per conſequentiam incremabile; ſed aereum iſtud, in quo habitamus; quod paullum eleuatiores montium ſummitates tranſcendit. Nam (vt lib. 20. de Ciu. cap. 18. tradidit S. Auguſt.) illucuſque aſcendet ignis, quouſq; iam in diluuio aſcenderunt aquæ; hoc eſt quindecim cubitos ſupra vniuerſam montium altitudinem. Hoc autem non conſummabitur quo ad ſubſtantiam, ſed tātum quo ad qualitates mutabitur. Terra ſimiliter incendio*

*quo ad qualitates permutabitur; quo ad ſubſtantiam autem permanebit.* (*Eccl primo*) Generatio præterit, & generatio aduenit; terra autem in æternum ſtat. *Et* (*ps. 103.*) Qui fundaſti terram ſuper ſtabilitatem ſuam, non inclinabitur in ſeculum ſeculi.

*Cum conflagratio & alia* (*quæ diximus*) *multa in iudicio futura, tempus de neceſſitate requirant, quomodo Apoſtolus* (*1. Cor. 15.*) *ponit omnia puncto temporis euentura inquiens.* Omnes quidem reſurgemus ſed non omnes immutabimur. In momento, in ictu oculi, in nouisſima tuba? *Dicendum, Ipſam quidem reſurrectionem futuram eſſe in momento, & in ictu oculi; hoc eſt in quam paruo tempore, non autem alia omnia; quibus iudicium erit abſoluendum; quanquam ſint omnia paruo tempore perficienda; pro ratione tum multitudinis, tum magnitudinis eorũ, quæ in iudicio fient. Sed dices. Quid tandem erit de iſto igne, quo mundus conflagrandus eſt? Reſpondent patres multi, hunc ignem, cum omnibus huius mundi ſordibus, in infernum deinceps fore detrudendum, quód* (*ps. 28.*) *dixerit David.* Vox Domini intercidentis flammam ignis. *Vbi concione quinta, ignem, in ſupplicium diabolo præparatum & angelis eius, voce Domini diſſecandum affirmauit magnus Baſilius; Vt vis, quam habet, vrendi damnatos affligat; vis autem illuminandi beatos recreet. Cuius verba ex interprete ſunt.* Quoniam duæ ſunt in igne facul-

tates

tates vſtoria ac illuminatoriai actis quidem, & punitoria vis ignis, permaneat apud eos, qui digni ſunt, vt vrantur; illuminatoria vero ac ſplendida ipſius facultas, ad exhilarandos beatorum in gaudio fruentes cedat. Vox igitur domini diſſecantis, ac diuidentis flammam ignis, vt supplicij quidem ignis obſcurus ſit; lux vero requiei expers vrendi permaneat.

*Eſt dubitatio. An tam bonorum, quàm malorum peccata omnia erunt omnibus manifeſta? Reſpondet ad dubitationem Magiſter (libr. 4. diſt. 43.) his verbis.* Si quæritur, vtrum peccata, quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium; ſicut mala damnando rum omnibus erunt nota? Non legi hoc expreſſum in ſcriptura. Vnde non irrationabiliter putari poteſt; peccata hic per pœnitentiam tecta, & deleta, illic etiam tegi alijs: alia vero cunctis propalari. *D. Thomæ (eadem diſt. quæſt. vnica art. 5. quæſtiuncula prima) non arridet ſententia Magiſtri, nec D. Bonau. nec alijs patribus multis, qui ſanctorum etiam peccata omnibus tunc eſſe manifeſtāda ſunt arbitrati; quo plenius & ſanctorum meritum per pœnitentiam perfectam, et Dei iuſtitia ſimul & miſericordia omnibus innoteſcat. per eiuſmodi autem manifeſtationem, non ad verecundiam aliquam, ſed ad immenſas Deo gratias agendas ſancti excitabuntur.*

*buntur. Vtranq́ reſponſionem piè & catholicè tueri quilibet poteſt.*

## Aliæ dubitationes. Cap. XIX.

D*Vbitari etiam poteſt. Ad quem modum eſt illa iudicis futura ſententia.* Venite benedicti, &c. *Et* Diſcedite à me maledicti, &c. *Voce ne, an potius aliquo ſigno? Dicunt patres aliqui, quòd voce; quoniam ſententia, ut ſententia ſit, voce, ut feratur, videtur neceſſarium. Addunt aliqui (20. de Ciu.) dicere Auguſtinum.* Per quot dies hoc iudicium tendatur, incertum eſt. *quaſi innuat cum multa alia, tum ſententia ipſa tempore eſſe perficienda. Dicunt nonnulli alij, quòd ſigno, & non voce fiet ſententia. quòd (Sap. 4.) ſcriptum ſit.* Dirumpet illos inflatos ſine voce. *Sunt qui dicant utroque modo futuram ſententiam. Et ſigno mentali interius: quia libri conſcientiarum diuina virtute aperientur. Et voce; quia Chriſtus quemadmodum & Deus eſt, & homo; ita non tantum ut Deus, ſed ut homo etiam iudicabit; ideo non diuino ſolum modo iudicabit Chriſtus, & ſigno mentali; ſed etiam modo humano, & voce. Magiſter (lib. 4. diſt. 47.) affirmat, non poſſe iſtud perſpicuè explicari: quòd ſcriptura non definiat an voce verba illa proferēda ſint.* Venite. &c. Diſcedite. &c. *an virtute iudicis ita fiet: conſcientijs ſingulorum de vita pro-*

*propria atteſtantibus.*

*An in reprobos ſine miſericordia aliqua ſit futura ſententia & diuinum iudicium? Quòd ſine miſericordia videtur* (*Iac. 2*) Iudicium ſine miſericordia fiet illi; qui nõ fecit miſericordiam. *Adde quod in hoc ſeculo eſt iudicium miſericordiæ, in foro videlicet pœnitentiæ; in futuro igitur erit iuſtitiæ. Dicendum nunquam ſine miſericordia eſſe iudicium diuinum* (*ps. 24*) Vniuerſæ viæ Domini miſericordia, & veritas. *Et* (*ps. 76.*) Non enim obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas. *Abac. 3.* Cum iratus fueris miſericordiæ recordaberis. *dictum autem Iacobi intelligi poteſt. Vel quod damnationis iudicium illi fiet qui non fecit miſericordiam. Vel fiet illi iudicium ſine miſericordia liberante, non autem prorſus ſine miſericordia ſubleuante.*

*Dubitari poteſt, cum Apoſtolus dixerit* (*Rom. 6.*) Gratia Dei vita æterna. *Et* (*ad Eph. 2.*) Gratia Dei vos eſtis ſaluati. *quomodo ſententia, quam in iudicio laturus eſt Dominus, ab operibus eſt deſumenda? quia in Euangelio iudicij ſui rationem videtur reddere inquiens.* Eſuriui, & dediſtis mihi manducare, &c. *gloria igitur, & ſalus, & vita æterna merces eſt, & non gratia: quod iam* (*ad Rom. 4.*) *affirmauerat idem Apoſtolus dicens.* Ei autem qui operatur, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum.

*Ad*

*Ad difficultatem iſtam dictum à nobis eſt diffuſiſſimè libro noſtro de prædeſtinatione Beatiſſ. Gregorio XIII. dicato. Nunc breuiſſimis dicam, opera noſtra bona, hoc eſt illa, quæ ex bono liberi arbitrij vſu noſtro proueniunt, bifariã poſſe conſiderari, vno modo vt ſunt ab homine tantum non excluſo generali diuino influxu, ſed ſpeciali id eſt gratia tantũ, & ſic nihil ipſa merentur; ſed tantum ſic operantibus largitur gratiam ſua pietate Deus; per quam poſtea qui operantur mereri poſſunt. alio modo vt ſunt ab eo ſimul & à diuina gratia; & hoc modo merentur vitam æternam; ſed quód mereantur, habent ab ipſa gratia. Vita igitur æterna & merces eſt, & gratia. Et quia gratia à Deo eſt; opus autem bonum bonitate moris (vt ſunt opera miſericordiæ dicta quatenus moralia ſunt & ſine gratia ab humano arbitrio proueniunt) à nobis eſt. ab ijs quæ à nobis ſunt ſumit iudicium ſuũ; & improbis, quod in illis eſſe debebat; quod idem cum diuina gratia, quæ nulli deeſt, ineſſe poterat meritorium; non autem quod in ſolo Deo eſt, cuius eſt gratiam præſtare, obiecturus eſt Dominus. Poſſumus namque ex nobis exercere miſericordiæ opera, quatenus moralia ſunt, & naturalia; quæ eadem cum diuina gratia operari poſſumus, et multo melius, ſine ea mereri quidquam minime omnium poſſumus. Illis propterea improperat non opera meritoria, ſed moralia, quæ illi ſeipſis exercere poterant.*

Dubi-

## Dubitationes aliæ. Cap. XX.

DVbitatio eſt circa ipſam Domini diſceptationem [Eſuriui, & non dediſtis mihi manducare, &c.] Iſta autem dubitatio continet dubitatiunculas quattuor. 1. Cur potius obijcit Dominus miſericordiæ opera, quàm iuſtitiæ; cum teneamur nos magis ad opera iuſtitiæ? 2. Cur magis fit increpatio de omiſſione, cum ea quæ commiſſione fiunt ſint maioris criminis? 3. Cur magis de peccatis in proximū, quàm in Deum, vt ſunt blaſphemia, infidelitas, & eiuſmodi? 4. Cur nihil de opere ſeptimo miſericordiæ, quod eſt ſepultura; ſed tantum de ſex operum miſericordiæ omiſſione fit increpatio.

Ad iſtam dubitationem, & ad omnes in ea dubitatiunculas, (ſuper caput 25. Euangelij S. Matth.) reſpondet vir egregiè doctus Nicolaus Gorran circa finem. Ad primam. Idcirco miſericordiæ opera obiecturum eſſe iudicem inquit; vt ad miſerendum ſuam promptitudinem oſtenderet; et viatores nos ad idem acrius accenderet. Adde. quia opera miſericordiæ faciliora ſunt operibus iuſtitiæ; ut ſi illa remunerat, multo magis iſta; aut ſi pœnam illa demerentur aliquam, multo maiorem iſta. Si iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam; quale iudicium fiet illi, qui fecit etiam rapinam? per hæc ad ſecundam reſponſio patet.

 Ad

*Ad tertiam, Hoc ideo fecit Dominus; vt oſtenderet, ſi peccata in proximum puniuntur, magis eſſe illa punienda, quæ ſunt in Deum. Ad quartam. Sepultura omittitur; quia ſaluti fidelium minus neceſſaria eſt; cum ſepultura, & exequiæ (inquit S. Auguſt.) ſint magis ad viuentium conſolationem, quàm ad defunctorum aliquam vtilitatem. Vltima dubitatio eſt. Quoniam vita cuiuſlibet hominis id eſt bona opera cuiuſque vel mala in eius morte iudicantur à Deo; latroni (Luc. 23.) ait Dominus.* Hodie mecum eris in paradiſo *Et (Luc. 16.)* Mortuus eſt diues, & ſepultus eſt in inferno. *ſcriptum eſt autem (Nahum cap. 1.)* Non iudicat Deus bis in idipſum. *ſiue (vt alij legunt.)* Non conſurget duplex tribulatio; *Non igitur eiuſmodi vniuerſale iudicium futurum erit. Dicendum illum non ſtatim & penitus mori, à cuius corpore ſeparatur anima Viuit enim in hominum memoria, viuit in filijs, & hæredibus, viuit in illis, qui eius exemplo benè, vel malè operaturi ſunt; quorum ſiue bonorum, ſiue malorũ operum cum ipſe futurus ſit aliqua cauſa; præmium aliquod accidentarium vel pœnam, in finali iudicio, quando nullo modo victurus eſt amplius, non ante, æquum eſt vt reportet.*

*Additur quoniam & ſi de iudicio ſuo hoc eſt de pœna, vel præmio ſuo eſſentiali ſit quilibet certus in morte ſua, non tamen de pœna, vel præmio, & breuiter de iudicio aliorum, ſunt omnes certi, de quo tunc in vniuerſali iudicio quilibet cer*

*tus*

*tus erit; & cuique apparebit, quàm iuſtè, & ipſe, & cæteri omnes puniantur vel præmientur.*

*Adde tertio. Quia tunc anima cum à corpore egreditur, iudicatur quidem; ſed anima ſimul cũ corpore benè vel malè operata iam fuerat, corpus autem non adeſt niſi iudicio uniuerſali, & extremo, in quo bonum vel malum pro ratione factarum operationum ipſum recipere æquum erat; futurum eſt propterea tale vltimum, & vniuerſale iudicium. cui vtinam per diuinam miſericordiam læti adeſſe poſſimus. Et de extremo iudicio hucuſq;.*

## De Inferno. Cap. XXI.

*PEracto iudicio, cum vnitæ prius fuerint animæ ſuis corporibus iuſti æterna vita fruentur, improbi æternũ ſupplicium ſubibunt. Damnatorum corpora incorruptibilia quidem erunt; ſed non impaſſibilia, cum ſint ſummo dolore, & nunquam finiendo cruciatu, in igne perpetuó concremanda.*

*An autem ſine deformitatibus illis, quæ in eis viuentibus prius fuerant reproborum corpora reſurgent; ſub dubio reliquit Sanct. Auguſtinus lib. Enchir. cap. 92. dum inquit.* Vtrũ verò ipſi (*reprobi*) cum vitijs, & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quæcũque in eis geſtarunt; inquirendo laborare, quid opus eſt? Nõ enim fatigare nos debet incerta eorũ habitudo,

vel pulchritudo; quorũm erit certa, & ſempiterna damnatio *S. Doctor. (4 diſt. 44. quæſt. 3.) deformitates aſſerit illas remouendas in damnatis, quæ ex debilitate principiorum naturalium ortum duxerint; vt febris, lipitudo, & ſimilia; non illas autem quæ ex naturalibus principijs in humano corpore naturaliter conſequuntur; vt ponderoſitas, tarditas in motu, grauitas, & ſimilia. Adde quoniam malis reſurrectio non eſt ad vitam, ſed ad ſupplicium, vero ſimile eſt, quòd cum deformitatibus & defectibus ſuis ſuſcitentur eorum corpora.*

*Cur autem peccato, quod citiſſimè tranſit, pœna perpetua debeatur; multæ à patribus redduntur rationes. Vna eſt, quia peccato accedit voluntas & ratio; quæ in peccato ipſo perpetuæ ſunt in illis; qui cum peccato mortale decedunt. Altera, quia peccati macula, quæ per pœnitentiam non deletur in anima, quæ perpetua eſt, perpetua remanet. Tertia, quia peccatum eſt contra Deum, qui infinitus eſt; ideo pœna debet aliquo modo, id eſt duratione non intẽſione eſſe infinita. Quarta, quia peccatum interimit bonum, quod in homine creauit Deus, & in eo debebat eſſe perpetuum, rectitudinem videlicet rationis, & naturalis iuſtitiæ; ideo ſi per pœnitentiam non deleatur inducit perpetuum malum, non culpæ poſt mortem, pœnæ igitur. Quinta, quoniam à vita perpetua animã, quæ perpetua eſt, peccatũ ſeparat, æquum eſt; vt morti perpetuæ illã coniungat. Et quoniam peccatũ adeo vile eſt, vt eo,*

*vilius*

*vilius ſit nihil, infimis & viliſſimis rebus peccatorem ſubijcit, & tandem eum in infernum deijcit habitationum omnium viliſſimam, atque turpiſſimã. Vbi autem infernus ſit, in quo animæ ſiue cum corporibus poſt iudicium, ſiue ſine ipſis, ante iudicium pœnas luant; humano ingenio cognoſci non poteſt. ſed per reuelationem tantum. Quapropter (lib. 20. de Ciu. cap. 16.) inquit B. Auguſt.* Ignis æternus cuiuſmodi ſit, & in qua mundi, vel rerum parte futurus ſit, hominem ſcire arbitror neminem; niſi forte cui ſpiritus diuinus oſtendit. *Verum eſt, quòd vbi vbi infernus ſit; ibi miſerrimæ manſiones multæ ſunt. quoniam vt in beatitudine alius alio præſtabilius, ita in miſeria alius alio tolerabilius permanebit. Omnes tamen ingenti, atque æterna pœna torquebuntur. An autem ibi exiſtentes damnati peccare poſſint. S. Auguſtinus (lib. Ench. cap. 111.) inquit:* Bonis voluntas, malis facultas non poterit eſſe peccandi. *Voluntatem autem illam malam, quam habent damnati, aut non eſſe peccatum, ſed tantum ſupplicium; aut ſi peccatum illam dicere voluerimus; fatebimur eam eſſe ſine malo merito; quòd damnati ſint extra ſtatum merendi, vel demerendi.* Voluntas eorum (*inquit Auguſt.*) talis erit, vt habeat ſemper in ſe malignitatis ſuæ ſupplicium; numquam tamen recipere poſſit bonitatis affectum. *Simul autem cum mala voluntate, vermem illi perpetuum habituri ſunt; cuius Iſaias meminit*

*nit cap. ultimo.* Vermis eorum non morietur. *Non eſt vermis iſte animal, quòd præter hominem, nullum ſit poſt iudicium futurum animal; ſed triſtitia quædam in damnatis intenſa, & perpetuus quidam propriæ conſcientiæ remorſus, de quibus (Sap. 5.) legitur.* Intra ſe pœnitentiam agentes, & pre anguſtia ſpiritus gementes. *Nulla erit in inferno indulgentia; quia & ſi erit ibi ſtimulus pœnitudinis; nulla tamen erit ibi correctio voluntatis. Neque aliquid ibi erit; quod damnatis gaudium aliquod vel minimum ſit allaturum, nec etiam ipſa beatorum viſio; qua licet ante iudicium quoquo modo potiri poſſunt, poſt iudicium tamen perpetuò ſunt carituri. Tradunt patres, quòd & boni malos, & mali bonos ad iudicium uſque videbunt; ſicut Lazarum vidit Epulo. poſt iudicium vero, boni quidem malos videbũt; non autem bonos mali. S. Gregorius (Homil 40.)* Infideles in imo poſiti, ante diem iudicij fideles ſuper ſe in requie attendunt; quorum gaudia poſt contemplari non poſſunt. *An vero mali in inferno nunc id eſt ante iudicium videant quæ circa nos agantur, et ſi non clarè ſatis explicauit Auguſtinus, in negatiuam tamen partem inclinare videtur; qui (in ps. 108.) ita inquit.* Quæret aliquis, an vllus dolor tangat mortuos, de hijs, quæ ſuis poſt mortem contingunt; vel quomodo ea, quæ circa nos aguntur, nouerint ſpiritus defunctorum? cui reſpondeo magnam eſſe
 quæſtionem,

quæſtionem, breuiter tamen dici poteſt; quòd eſt cura mortuis de ſuis charis, vt de diuite legitur (*Luc. 16.*) quos ſciunt viuere; quia nec in locis pœnarum vident eos, nec in requie beatorũ. Non tamen ideo conſequens eſt eos ſcire, quæ circa charos ſuos aguntur hic, vel læta, vel triſtia. *Habent ante iudicium damnati & dæmones, & homines aliquam extrinſecam lucem, quæcunq; illa ſit; quia eorum aliqua, quæ ſunt & in inferno, & in paradiſo cognoſcunt; nullam autem intrinſecam lucem habent; quia ſine Deo, & ſine diuina gratia exiſtunt. Sunt aliqui, qui dubitant, an poſt iudicium, ad puniendum, malis præerunt adhuc dæmones; vt ante præfuiſſe videntur. Apoſtolus (1. Cor. 15.) inquit, quod Chriſtus in fine euacuabit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. Verba eius ſunt.* Deinde finis; cũ tradiderit regnum Deo, & patri, cum euacuauerit omnem principatum, & poteſtatem, & virtutem. *Non igitur, (vt modo ſunt) tunc erunt animarum tortores dæmones ipſi; ſed virtute diuina abſque aliqua vnius in alterum prælatura, igne cruciabuntur in inferno damnati, & in gehenna illa, quæ ſtagnum ignis, & ſulphuris dicta eſt; in qua dæmones, & damnati omnes ardebunt corporali, & inextinguibili igne, quod nãque prius cap. de purgatorio, de animabus dictũ eſt; idẽ de dæmonibus dictũ intelligatur. Vnus enim vtriſq; erit ignis, ut ueritas dixit in Euãgelio (Matt. 25)*

Ite

Ite maledicti in ignem æternum paratum diabolo, & angelis eius. *S. Auguſtinus (lib. de triplici habitaculo, ſi liber non ſit Auguſtini, certè eſt pij viri, cap. 2.) inquit.* Principalia duo ſunt in inferno tormenta, frigus intolerabile, & calor ignis inextinguibilis. Vnde in Euangelio legitur, illic erit fletus, & ſtridor dentium. Fletus namq; & liquefactio oculorũ ex calore, ſtridor vero dentium ex frigore naſcitur. Hinc etiam beatus Iob de aquis (inquit) niuium tranſibunt ad calorem nimium. de quibus duobus innumera pendent pœnarum genera. Sitis intolerabilis, pœna famis, pœna fætoris, pœna horroris, pœna timoris, pœna anguſtię, pœna tenebrarum, ſeueritas tortoris, preſentia dæmonum, ferocitas beſtiarum, crudelitas miniſtrantium, dilaceratio immortalium vermium, ignitæ lachrymæ, ſuſpiria, miſeriæ, dolor ſine remedio, vincula ſine ſolutione, mors æterna, pœna ſine fine. Væ igitur illis perenne, qui ſubire hæc omnia mala, etiam ſine fine merentur, pro delectabili vnius horæ ſomnio.

## De Paradiſo. Cap. XXII.

*Purgato per ignem mundo, & lata de iudicandis omnibus ſententia, in ignem æternum inferni deijcientur reprobi*

*probi, electi autem & prædeſtinati, id eſt illi omnes, qui diuinis mandatis obtemperare conati ſunt, ad vitam paradiſi aſſumentur æternam. Et tunc mundi machina innouabitur, hoc eſt in melius reformabitur. legitur ( 2. pet. 3. )* Adueniet dies Domini vt fur: in quo cœli magno impetu tranſient, elementa vero calore ſoluentur, terra autem, & quæ in ipſa ſunt opera exurentur. Nouos vero cœlos, & nouam terram, ſecundum promiſſa ipſius, expectamus. *Hanc cœlorum, & elementorum nouitatem attendunt ſancti interpretes, non penes ſubſtantiam, ſed penes qualitatem, quomodo ( Iſa 30. ) legitur.* Et erit lux lunæ ſicut lux ſolis, & lux ſolis erit ſepte mpliciter, ſicut lux ſeptem dierum. *inquit Magiſter.* Minorata namq; fuit lux ſolis, & lunæ aliorũq; ſyderum, per peccatum primi hominis. quantum autem luxit ſol in prima conditione ante peccatum; tantum lucebit poſt iudicium. *Terra ſimiliter pulchrior reddetur, et cætera elementa. In aere non erũt impreſſiones aliquæ, ſiue aqueæ, ſiue igneæ. Nullæ erunt nubes, & nulla erunt fulgura, ſed vniuerſa elementa multo, quàm nunc ſunt, puriora, limpidiora, atq; illuſtriora reddentur. Ceſſabunt tranſmutationes omnes, & omnes generationes, & corruptiones: quia ab omni locali motu ceſſabunt corpora cæleſtia, à quo inferiorum corporum tranſmutationes cũ cta dependent. cuius namque gratia forent illæ ſolis, vel lu-*

 *næ,*

*ra, vel ſyderum circulationes, & motus? Stabunt luminaria cuncta, & magna, & parua; & in ordine, quo creata ſunt, perſiſtent, ſcriptum eſt (Abacuc. 3.)* Sol, & luna ſteterunt in ordine ſuo. *Et (Zachar. 14.)* Erit dies vna, quæ nota eſt Domino, non dies, neq; nox: & in tempore veſperi erit lux. *Et (Iſa. 60.)* Nō erit tibi amplius ſol ad lucendum per diem; nec ſplendor lunæ illuminabit te; ſed erit tibi Dominus in lucem ſempiternam. Non occidet vltra ſol tuus, & luna tua non minorabitur, quia erit tibi Dominus in lucem ſempiternam. *In quo loci D. Hieronymus inquit,* Cœli, & terræ, ſolis, atque lunæ nobis ceſſabit officium, & erit ipſe Dominus lumen ſuis in perpetuum. *Hoc idem (Apoc. 21.) legitur.* Et ciuitas non eget ſole, neque luna, vt luceant in eis. Nam claritas Dei illuminauit eam; & lucerna eius eſt agnus. *Si quæratur, quis erit lucis ſolis, & lunæ, & aliorum ſyderum vſus? Reſpondebit (lib. 4 diſt. 48.) hijs verbis Magiſter.* Fateor me ignorare: quia in ſcripturis non memini me legiſſe. *Quid ſi diceremus, ſolis, lunæ, & ſyderum ſplendorem, beatis ad eum vſum fore; vt Deo ampliores gratias illi habeant; quòd ad ſuam ipſorum vtilitatem, illa, & in mundi principio feciſſe, & ſuis mutationibus ſalutem ſuam adminiſtraſſe, clarius apertiuſq; tunc ſint beati cognoſcituri? In cœlo Empyreo (de quo ait Beda.)*

Hoc

Hoc ſuperius cœlum, quod à volubilitate mundi ſecretum eſt, mox, vt creatū eſt, ſanctis angelis impletum eſt. *cum ſuis nudis, ſed decentiſsimè reformatis corporibus, abſque aliqua illicitæ rei concupiſcentia, & abſque aliqua peccandi voluntate, omni autem voluptate repleti habitabunt quidem beati, ſed cum aliquo, pro meriti ratione, diſcrimine. Quippe (Ioan. 14.) ait Dominus.* In domo patris mei manſiones multæ ſunt. *Et ſicut differens erit animarum gloria, ita & corporum, quorum glorificatio ab animarum glorificatione deſcendit. Inquit Apoſtolus. (1. Cor. 15.)* Alia cœleſtium gloria, alia terreſtrium, alia claritas ſolis, alia claritas lunæ, & alia claritas ſtellarum. Stella enim à ſtella differt in claritate; ſic & reſurrectio mortuorum. *hoc eſt, erit in glorificatis beatorum corporibus, vt in animabus lata differentia, quando cum corporibus ſuis reſurgent mortui.*

## De gloria corporis. Cap. XXIII.

C*Orpora ſanctorum reſurgent glorioſa, hoc eſt, diuinæ (vt poterunt) gloriæ, & animarum ſuarum, quæ ſimiliter erunt glorioſæ, participia. Quattuor namque præſtantiſſimis qualitatibus erunt illa corpora prædita, quas corporis dotes patres Theologi appellauerunt, quæ conſubſtantiale præmium, & ſecunda ſtola, à multis patribus appellantur. Do-*

*tes cunctæ ſeptem ſunt, corporis quattuor, animæ tres. quattuor corporis ſunt, impaßibilitas, claritas, agilitas, ſubtilitas. tres animæ ſunt, Viſio, fruitio, tentio. Siue (quod idem eſt) Viſio, dilectio, comprehenſio. in his tribus ſubſtantiale præmium ſiue eſſentiale, in illis quattuor præmium conſubſtantiale conſiſtit. Quattuor dotes corporis breuiſsimè (Sap. 3.) notari videntur. vbi legitur.* Fulgebunt iuſti, & tanquam ſcintillæ in arudineto diſcurrent. *In verbo* [Fulgebunt.] *notatur claritas. in verbo* [ſcintille.] *impaßibilitas in verbo.* [arudineto.] *ſubtilitas. in verbo* [diſcurrent.] *agilitas. Dotes iſtæ eximiæ quædam in corpore perfectiones ſunt, & tanquam diſpoſitiones, per quas, ſicut animæ corporibus ſuis erunt coniunctæ intimius, & vnitæ; ita animabus ipſis erunt corpora ſubiecta obedientius; nec non corpora ſimul & animæ Deo obedient alacrius promptiusq́. Corporis (quas diximus) dotes percurrit Apoſtolus. (1. Cor. 15) cuidam interrogationi reſpondens. quo loci inquit.* Sed dicit aliquis. Quomodo reſurgent mortui? Quali autem corpore venient? *Hæc eſt interrogatio. Reſpondet.* Inſipiens tu, quod ſeminas non viuificatur, niſi prius moriatur. Et quod ſeminas, nō corpus quod futurum eſt, ſeminas. *Et aliquot interpoſitis, dictas quattuor corporis dotes ſubnectit, inquiens.* Seminatur in corruptione; ſurget in incorruptione. *id eſt, in impaſſibilitate, quæ eſt dos vna. ſequitur.* Seminatur

tur in ignobilitate; ſurget in gloria. *id eſt in claritate, quæ eſt dos altera. ſequitur.* Seminatur in infirmitate; ſurget in virtute. *id eſt in agilitate, quæ eſt dos tertia. ſequitur.* Seminatur corpus animale; ſurget corpus ſpiritale. *id eſt corpus tenue ac ſubtile. hoc eſt (vt lib. Proſol. inquit Anſelm.) corpus ſpirituale poteſtate, non natura; quæ eſt dos quarta. Impaßibilitas dos eſt omnium præſtantiſſima; quam eodem etiam capite repetit Apoſt. cum inquit.* Oportet corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem. *impaßibilitatem appellat incorruptionem, & immortalitatē. Iſta impaßibilitas eſt ab omni corruptione, & ab omni quouis modo affligente paßione, omnimoda corporis abſolutio. quæ primitus quidem & maximè à Deo diuinaq́ voluntate prouenit; ſed & aliquo modo ab ipſa gloria, & impaßibilitate animæ; à qua in corpus ſibi ſubiectū redundat. Quamobrem ad Dioſcorum ſcribit S. Auguſt.* Tam potentis naturæ fecit Deus animam; vt ex ea plena fœlicitate redundet in corpus ſanitas perpetua, & vigor incorruptibilis. *Dos altera eſt claritas, de qua (Matth. 13.) legitur.* Iuſti fulgebunt ſicut ſol in regno patris eorum. *Dicunt patres; quòd illorum corporum qualitates nihil habebunt impuritatis admixtum, pulcherrimis, & viuaciſſimis coloribus (inquit Petrus de palude) erunt corpora illa colorata. Agilitas dos tertia eſt; qua ad localem*

*motum ipſi animæ corpus obedientiſſimum redditur; ne in eo ſit aliquid, quod animæ voluntatem retardet. Ad finem lib. de Spir. & Anima inquit Auguſtinus.* Tanta futurà eſt credenda corporum leuitas, & agilitas bonorum; vt poſsint, ſi velimus, abſque omni mora, ſeu difficultate ipſam quoque cogitationum noſtrarum ſequi ad omnia velocitatem. *Et (lib. 22. de Ciu. cap. 3.) idem inquit.* Vbi volet ſpiritus, ibi protinus erit corpus; & in quacumque voluerit velocitate, menſurabili tamen tempore, poterit corpus mouere, abſq; omni laſsitudine, & fatigatione. *dixit.* [menſurabili tamen tempore] *quòd in inſtanti corporum motus aliquis fieri non poſſit. Et (Iſa. 40.) legitur.* Deficient pueri, & laborabunt; & iuuenes in infirmitate cadent. Qui autem ſperant in Domino, mutabunt fortitudinem, aſſument pennas ſicut aquilę, current, & non laborabunt, ambulabunt, & non deficient. *Quarta eſt dos ſubtilitatis, quæ ad organicas operationes ipſi animæ corpus promptisſimum, obedientisſimumq;, necnon interpoſita omnia corpora, quæ motum retardare nūc poſſunt, penetrantiſſimum reddit; vt pote à quo omnis iam remota ſit crasſities, & ineptitudo. Non erit tamen, vt ſunt nonnulli opinati, glorioſū corpus aere tenuius. (lib. 14. Mor. cap. 29.) B. Greg. inquit.* Non ſicut Euticius Conſtátinopolitanæ vrbis Epiſcopus ſcripſit; corpus noſtrum

ſtrum in illa reſurrectionis gloria erit impalpabile, ventis, aereque ſubtilius. In illa enim reſurrectionis gloria, erit corpus noſtrum ſubtile quidẽ, per effectum ſpiritualis potẽtiæ, ſed palpabile per veritatem naturæ. *Vnde* (*Luc. 24*) *ait Dominus.* Palpate, & videte, &c. *Glorioſa corpora penetrare poterunt non glorioſa. Chriſtus, quo ſuis Diſcipulis, & per eos, nobis in illum credentibus omnibus, tantorum donorum ſpem ſolidiorem tribueret, dum apud nos fuit, omnibus ijs quattuor dotibus vſus eſt. Claritate in transfiguratione* (*Matth. 17*) *agilitate in ambulatione ſupra mare* (*Marc. 6.*) *ſubtilitate in natiuitate* (*Luc. 2.*) *quando ex matre integra natus eſt. Et* (*Io. 20.*) *quando.* Venit Ieſus ianuis clauſis, &c. *Impaßibilitate in cœna, quando Diſcipulis ad manducandum & bibendum ſeipſum præbuit.*

## De gloria animæ. Cap. XXIIII.

E*Xplicata corporis gloria & eius dotibus, conſequens eſt, vt animæ gloriam, & eiuſdem dotes, explicemus; quæ à diuerſis patribus diuerſis quidem ſunt nominibus appellatæ, ſed eiuſdem ſunt prorſus patres omnes ſententiæ. Viſionem, fruitionem, & tentionem nobis illas appellare liceat. In ijs præmium eſſentiale conſiſtit, ſicut in quattuor corporis dotibus præmium conſubſtantiale. Eſt autem tentio nomen verbale,*

*quæſt. 7.) aduertit, viſionem, fruitionem, & tentionem nõ eſſe propriè dotes; ſed actus eſſe ipſarum dotium. Quippe dos viſionis eſt (inquit) habitus luminoſus; quo ad Deum clarè videndum intellectus noſter eleuatur; quem nomine ſui actus viſionem appellamus. Dos fruitionis eſt habitus charitatis perfectus; quo voluntas hominis ad Deum ſuper omnia, & ad proximum ſicut ſeipſum plenè diligendum in patria ſũmo cũ gaudio eleuatur; quem ſimiliter nomine ſui actus, fruitionem dicimus. Dos tentionis eſt habitus, quo ad perfectam viſionis, & fruitionis ſecuritatem, beatorum animæ eleuantur; ſine quo beatus Deo non eſſet perfectè coniunctus, nec per conſequentiam perfectè beatus, ſi de ſuæ viſionis ac fruitionis perpetuitate non eſſet prorſus ſecurus, eodem modo hunc habitũ ſicut & alios, actus ſui nomine, tentionem vocamus. Quãobrem ſi loqui propriè magis voluerimus, beatitudinis eſſentiam non in dotibus animæ; ſed in ipſarum dotium actibus conſtituemus. Ad quos ita dotes ipſæ ordinatæ ſunt; ſicut ad actus ſuos ordinati ſunt habitus cuncti. Notandum, intellectum creatum per eiuſmodi dotes ſiue in via, ſiue in patria nũquàm ita poſſe eleuari, vt, quid Deus ſit, agnoſcere poſſit. Non enim à finito infinitum capitur. Deum autem eſſe & in via, & in patria cognoſcimus. In via per creaturas tanquã per voces, (in ps. 26. Auguſtinus.)* Ipſæ ſpecies creaturarum, voces ſunt quædam creatoris *& tanquam per ænigmaticum ſpeculum (1. Cor. 13.) Apoſtolus.* Vi-

 demus

demus nunc per ſpeculum in ænigmate. *id eſt obſcu rè penitus. & ratio eſt: quia inter ſpeculum & rem viſam, ſic & inter creaturam & creatorem infinita diſtantia eſt.* Inuiſibilia Dei (*Rom 1.*) à creatura mūdi. per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur; ſempiterna quoque eius virtus, & diuinitas. *Et* (*Sap. 13.*) A magnitudine ſpeciei, & creaturæ cognoſcibiliter poterit creator horum videri. *In patria autem illum videbimus facie ad faciem ſicuti eſt. poſtquam dixit Apoſtolus.* Videmus nunc per ſpeculum in ænigmate *ſubiecit* Tunc autem facie ad faciem. *Et* (*1. Ioan. 3.*) Scimus quoniam cum apparuerit, ſimiles ei erimus; quoniam videbimus eum ſicuti eſt. *Viſionem ſequitur fruitio; quæ aliud nihil eſt; quàm toto voluntatis affectu viſæ rei, propter ſeipſam, inhærere. Viſionem & fruitionem tentio ſequitur, id eſt maxima in beatis de ſua beatitudine ſecuritas; & perfecta cognitio, qua beati cognoſcunt viſionem nūquam aut fruitionem ſuam eſſe ceſſaturam. Qui igitur videt, ſequitur, vt ſecurè fruatur. Dominus propterea in viſione beatitudinem conſtituit; quando* (*Ioan. 17.*) *dixit* Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolū Deum verum; & quem miſiſti Ieſum Chriſtum. *Si à patria peregrinus adhuc Paulus* (*Rom. 8.*) *clamare auſus eſt.* Quis nos ſeparabit à charitate Chriſti? tribulatio? an anguſtia? an fames? an nuditas? an periculum?

lum? an perſecutio? an gladius? *ſequitur*. Certus ſum enim, quia neque mors, neque vita, neque inſtantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos ſeparare à charitate Dei. *Quid putamus dicturum beatum, qui iam in patria eſt, qui non in ſpe, ſed in re potitur gloria, & videt Deum, & eo fruitur? Fælix anima, quæ terreno reſoluta carcere, libera cælum petit, quæ dulciſſimum dominum ſuum facie ad faciem cernit, quæ nullo metu mortis afficitur; ſed de inccorruptione perpetuæ gloriæ lætatur. Deus eſt charitas, Pater eſt charitas, Filius eſt charitas, Spiritus ſanctus eſt charitas: à qua omnis noſtra ſiue in via, ſiue in patria eſt charitas, per quam quemadmodum Deum ſuper omnia, ita proximũ hoc eſt angelos in patria, et ſanctos omnes, ſicut noſmetipſos amabimus. Et de bono cuiuſque illorũ nõ minus quàm de proprio ſinguli gaudebimus. Quãta igitur ſunt beatorum gaudia, cum quiſque non minus quàm de propria, de cuiuſque alterius beatitudine ac fælicitate gaudeat? O ſummum & inenarrabile gaudium. O ineffabilem voluptatem. O ineſtimabilem delectationem.* Hoc eſt regnum Dei, plenum (*Vt lib. de triplici habitaculo cap. 1. S. Auguſtinus inquit*) lucis, & pacis, & charitatis, & ſapientiæ, & gloriæ, & honeſtatis, & dulcedinis, & melodiæ, & letitiæ, & beatitudinis perennis, & omnis boni ineffabilis, quod nec dici, nec cogitari poteſt.

## An beatorum gaudium perturbari poſsit. Cap. XXV.

DVbitabit hoc loco quiſpiam. Num tantam beatorum voluptatem, & fœlicitatem damnatorum miſeria, quã beati pro libito intuebũtur, aliqua ratione pturbabit? Ad dubitationem communi conſenſu patres omnes reſpondent; nulla ratione maximam illam voluptatem, voluptatum omniũ torrentem, quo ſemper beatos potabit dominus perturbari poſſe. In damnatorum namque gehenna, et cruciatibus, Dei Opt. & iuſtitiam, & miſericordiam, & voluntatem denique sãcti omnes intelligunt, atque intuentur. à qua, quòd iuſtiſsimã illam, atque ſanctiſsimam apertiſsimè beati videant, non ſolum illi non diſſentiunt; ſed propriam eorum voluntatem ab ea duci, ac eidẽ cõformari modis omnibus exoptant. quia Deũ pluſquam ſeipſos diligunt, & ſemuicem tamquam ſeipſos, & Deus illos pluſquam illi ſeipſos diligit, quia illi illum & ſe, et inuicem per illum, & ille ſe & illos diligit per ſeipſum. Nec illi aliud volunt, quàm quod ille, & ille vult quidquid illi volunt. Quamobrem ſemper illi mirificè gaudent; & eo amplius gaudent; quòd ab illis inferni tam diris cruciatibus, in quibus improbos conſpiciunt, per Dei miſericordiam, ſe liberatos agnoſcunt perpetuò. Forte quiſpiam aliquorum beatorum obfuſcari gaudia exiſtimabit, peccatorum ſuorum recordatione,

*ne, Vt Latronis ſuorum ſcelerum, Mariæ ſui lenocinij. Duas ad iſtam dubitationem afferre poſſumus reſponſiones. Vna ſit. Quòd malorum & peccatorum ſuorum non erit in ſãctis & beatis memoria. Ita nanque Iſa. 65. ſcriptum eſt.* Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & abſconditæ ab oculis noſtris *quod ediſſerens B. Hieronymus inquit.* Obliuioni tradentur priora mala; quia forſitan in futuro priſtinæ conuerſationis memoria omnino delebitur, ſuccedentibus bonis æternis; ne ſit pars malorum, prioris anguſtiæ memorari. *Altera. Si peccatorum & malorum ſuorum extabit in beatis memoria; hæc ipſa illos Deo gratiores reddet, & beatiores; quòd ſæpe poſt cuncta pericula læti triſtium nos meminerimus, & dolorum ſine dolore; et inde læti ad agendas Deo gratias ampliores ſummo gaudio (dixerim) excitabuntur beati. Alioqui, ſi peccatorum ſuorum cunctam à beatis memoriam negauerimus, ad quem modum Vates ſanctus (ps. 87.) cecinisset.* Miſericordias Domini in æternum cantabo. *ſi peccatorum & miſeriarum noſtrarum aliquando ſit in nobis deſitura memoria? Notandum. Paradiſi præmium triplex eſſe, Eſſentiale ſiue Subſtantiale, quod in tribus dictis animæ dotibus conſiſtit. Conſubſtantiale, quod in quattuor corporis dotibus explicatur. Et accidentale, quod in quodam animæ gaudio, & corporis decore ſuperaddito patres ſtatuerunt; quod corporale decus aureolam ijdem appellauerũt, quæ triplici præ*

*cellen*

*cellentis operationis generi ſecundum triplicem animæ virtutem attribuitur, rationalis, concupiſcibilis, & iraſcibilis. ſecundum rationalem eſt prædicatio intrepida veritatis, ſecundum concupiſcibilem perpetua continentia virginitatis, ſecundum iraſcibilem, propter Chriſtum promptiſſima perpeſſio mortis; prædicatoribus propterea, & virginibus, & martyribus aureola glorioſa confertur in cœlis, maior & minor pro meritorum exigentia. prædicatoribus ad os, virginibus ad genitalia, martyribus ad cicatrices maximè hoc decus eximiū apparebit.*

*Dubitabis. Nunquid beati, quos cum angelis in empyreo cœlo (non vt in loco habitationi neceſſario, ſed tantum cōtemplationi congruo) habitaturos affirmant patres, in extima ſuperficie iam cum corporibus ſuis, an in profunditate eiuſdem habitabunt? Dicendum, intra illius cœli profunditatem eſſe eos habitaturos, ibi habitabunt, ibi mouebuntur. Quód autem corpus glorioſum ſit, aut moueatur in cœlo, non eſt ex principijs ſuæ naturæ, ſed ex anima beata, à qua gloriam recipit, anima autem à Deo. Corpus autem Chriſti ſi eſt in cœlo, non eſt vt contētum, ſed vt continens. poteſt etiam eſſe ſupra cœlum. legitur (ps. 8.)* Eleuata eſt magnificentia tua ſuper cœlos. *Mouentur autem intra cœlum glorioſa corpora, ad quem modum intra aquarum profunditatem, & habitāt piſces, et mouētur. ſed piſces cū mora multā mouentur, & difficultate, quia cum aquarum reſiſtentium diuiſione & ad quem-*

*quemlibet vel leuem ſtrepitum, cum timore, & terrore mouẽtur; beati autem citiſſime, facillime, ſine cœleſtis corporis ſciſſione aliqua, penetrantiſſime ſine reſiſtentia aliqua, omni cum gaudio, & voluptate ſecuri mouebuntur. Gaudebunt igitur beati ſupra ſe, Dei viſione; iuxta ſe angelorum & ſanctorũ omnium ſocietate, & beatitudine; intra ſe corporum ſuorũ, & animarum glorificatione, necnon bonorum operũ recordatione, & malorum præteritorum euaſione; infra ſe cælorum penetratione facillima abſque labore aliquo, aut fatigatione. Beatis adſunt omnia bona, abſunt omnia mala. S. Bernardus (lib. Medit. cap. 4.)* Beatis (*inquit*) Deus eſt omnia, eſt ſummum bonum, ſumma fœlicitas, ſumma iucunditas, vera libertas, perfecta charitas, æterna ſecuritas, ſecura æternitas, vera lætitia, plena ſcientia, omnis pulchritudo, omnis beatitudo. *Quid hac vita beatius?* vbi non eſt (*vt in Manuali cap. 17. dicit S. Auguſt.*) Paupertatis metus, non ægritudinis imbecillitas, ibi nemo læditur, nemo iraſcitur, nemo inuidet, cupiditas nulla exardeſcit, nulla honoris, aut poteſtatis pulſat ambitio, nullæ dæmonum inſidiæ; mors neq; corporis, neque animæ, ſed immortalitatis munere vita iucunda, nuſquam diſcordia, pax cuncta & lætitia cõtinet. *Cur ergo per multa vagaris homuncio quærendo bona animæ tuæ, & corporis tui? Ama vnum bonum in quo ſunt omnia bona,*

*bona, & ſufficit. O fœlices diuitiæ, O fœlix iucunditas, O iucunda fœlicitas. Vita æterna, perennis gloria, plena ſufficientia. Ad quam nos ſua pietate, & miſericordia perducat Deus Opt. Max. qui vnus beatorum omnium diuitiæ eſt, iucunditas, fœlicitas, vita, gloria. Amen.*

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMAN.

ROM. XII.

Non plus ſapere, quàm oportet ſapere. Sed ſapere ad ſobrietatem.

# INDEX

## LOCVPLETISSIMVS,

In quo numerus prior cartam poſterior lineam .b. vero poſteriorem faciem indicat.

## A


D. ABſolutione. lib. 4. cap. 34.
Accidens magis concreatū dicitur quàm creatū. 30. 19.
Accidentia ſequuntur ſubſtantiam. 30. b. 5.
D. Accolutho. 154. 12.
Accuſatio cognitionem cauſæ præcedit. 203. b. 9.
In Aceto non conficitur. 125. 15. neq; in agreſto.
Actiones ſunt ſuppoſitorum. 56. 16.
Adam & Eua facti ſunt perfecta ætate. 48. 22.
Adam factus immortalis quomodo. 49. 12
Adam ſi innocentiam ſeruaſſet, non fuiſſent geniti illi omnes qui geniti ſunt. 49. b. 3.
Adam factus eſt homo perfectus. 53. b. 13.
Adam an Eua grauius peccauit. 54. b. 20.
Adæ coſta aucta in Euę quantitatem. 48. 13.
Adæ cur datur præceptum. 50. 3.
Adami peccatum quod fuerit. 55. b. 1.
Adami peccato corruptum eſt humanum genus. 55. 8.
D. Aequalitate perſonarum. lib. 1. cap 25.
Aequiuoca in voce tantùm communicant. 17. b. 5.
Aer cur aqua dicitur. 43 b. 4.
Aeterna multa ſtatuerunt philoſophi. 15 b. 20.
Aeternum tantum vnum. 15 b. 23.
Aeternitas quid. 15. b. 8.

Aeternitati præſentia ſunt omnia. 6. b. 21.
Affirmatio præcedit negationem. 44. 5.
Agonia quid. 87. b. 14.
Altaris ſacramentum vnum. lib. 4. cap. 20. 126. 5.
Altaris ſacramenti plus nihil ſumit ſacerdos ſub vtraque ſpecie, quàm laicus ſub altera. 127. 24.
Altaris ſacramenti accidentia ſine ſubiecto. 128. 20.
Altaris ſacramenti miniſter ſolus ſacerdos. lib. 4. cap. 22.
Altaris ſacramenti forma. lib. 4. cap. 20.
Angelus quid. 34. 22.
Angelus nomen officij non naturæ. 34. b. 5.
Angelus non diſcurrit. 34. b. 11.
Angelus eſt nobilitate primus inter creaturas. 32. 20. Et 33. 11. Et b. 7.
Angelus vbi, & quando creatus. lib. 2. cap. 5.
Angelus ſimul creatus eſt cum corporali creatura. 33. b. 6.
Angelus cum eſt in cœlo non eſt in terra. 13. b. 1.
Angelus in terra exiſtens etiam eſt beatus. 13. b. 9.
Angelus æuo menſuratur. 14. b. 18.
Angelus ſemel tantum in bonum, vel in malum vertibilis eſt. 37. b. 15.
Angelus corruit elatione. 36. b. 21.
Angelorum caſus duplex. 37. 6.
Angeli quales creati ſunt. lib. 2. cap. 6.
Angeli cognitio duplex. 34. b. 17. Et 36. b. 12.
Angeli quomodo inuicem loquuntur. 34. b. 22.
Angeli ſunt incorporei. 35. 17.
Angeli ſumunt aliquando corpora. 35. b. 7.
Angeli adminiſtratores. 35. b. 10.
Angeli quattuor attributa. 36. b. 3.
De Angelorum caſu. lib. 2. cap. 7.
Angeli boni facti ſunt. 36. b. 11.

Angeli mali bene non faciunt. 37. 10.
Angeli mali propria voluntate ſunt obſtinati in ma lo. 37. b. 10
Angeli an plures ceciderint quàm ſteterint. 37. b. 25.
D. Angelorum differentia. lib. 2. cap 8.
Angelorum theologia duplex. 1. b. 3.
Angelorum theologia naturalis. 1. b. 3.
Angelorum theologia naturalis eſt præſtantior ea, quam naturali ratione venati ſunt philoſophi. 1. b. 5.
Angelorum theologia infuſa. 1. b. 8.
Analogicè prædicari quid. 17. b. 14.
D. Anima lib. 2. cap. 14.
Anima humana non eſt de ſubſtantia Dei. 47. 4.
Anima à Deo infunditur. 47. 18. Et 47. b. 16.
Anima an poſsit pati ſine corpore paſsiones ſenſus, & ignis. lib. 6. cap. 5.
Animæ humanæ ſunt inuicem æquales. 48. 1.
Animarum à corpore exeuntium receptacula diuerſa. 188. b. 18.
Aqua in altari quid ſignificet. 125 b. 6. & alia ibidē de aqua.
Artifex poſt materiam eget lumine. 39. b. 10.
Arbor ſcientiæ boni & mali, quæ. 49. 1.
D. Attributis. lib. 1. cap. 16.
Attributum quid. 16. b. 18.
Attributum quodlibet infinitum. lib. 1. cap 18. 202.
Attributa quo ad nominis impoſitionem prius dicuntur de creatura. 17. b. 20.
Attributa ſimpliciter prius dicuntur de Deo. 17. b. 23.
Attributa ſunt communia creatori, & creaturæ. 17. 23.
Attributa ſunt analoga. 17. b. 7.
Attributa aliter diſtincta ſunt in Deo, aliter in creatura. 18. 14.

Attributa in homine qualitates in Deo ſubſtātiæ. 19.b.24. dub. 20.3.
D. Attributorum diſtinctione. lib. 1. cap. 17.
De Attributis quibuſdam dubitatio. lib. 1. cap. 19.
Audacia quid. 87. b. 2.
Audacia duplex. 87. b. 3.
Azima an opus ſit in ſacramento altaris. 124. 5.

B.

BAlſamum vbi naſcitur. 121. 7.
In Baptiſmo fides recipitur. 113. b. 13.
D. Baptiſmo. lib. 4. cap. 8.
Baptiſmus quid. 113. 17. Et 117. 13.
Baptiſmus eſt ſacramentum primum. 111. 7.
Baptiſmus poteſt fieri cum nominatione vnius perſonæ. 115. 24.
An Baptiſmus impediatur mortali peccato. lib 4. cap 12.
An Baptiſmus cœlum aperiat. lib. 4. cap. 13.
An Baptiſmus vnus. lib. 4 cap. 14.
Baptiſmus fluminis quis. 119. 6.
Baptiſmi neceſsitas quando cœpit. 117. 3.
Baptiſmi miniſter. 113. b. 25.
D. Baptiſmi forma. lib. 4. cap. 9.
D. Baptiſmi inſtitutione. lib. 4. cap. 10.
D. Baptiſmo ſanguinis. 119. 11.
An Baptiſmo aquæ præſtet martyrium. lib. 4. cap. 15.
In Baptiſmo ablutio poteſt fieri tripliciter. 115. 15.
D. Baptiſmo Ioannis. lib. 4. cap. 7.
Baptiſmata ſex. 102. b. 10.
Beatus ſingulos alios beatos ita amat ſicut ſeipſum, & ita gaudet de eorum bono ſicut de proprio. 222. 13.
Beatus an ſuorum peccatorum recordatione turbabitur. 222. b. 22.

Beatus peccatorum ſuorum memoria Deo gratior redditur. 223. 10.
Beati nihil ſingulariter poſsident. 38. b. 15.
Beati quomodo in cœlo empyreo habitabunt. 223. b. 11.
Beati quomodo in cœlo empyreo mouebuntur. 223. b. 22.
Beati habitabunt cœlum empyreum. 218. 1.
Beati in damnatione impiorum Dei voluntatem intuentur. 222. b. 9.
Beatorum premium triplex. 223. 30.
Beatorum aureola. 223 25.
Beatorum gloria diuerſa. 218, 6.
Beatorum gaudium. 224, 4.
An Beatorum gaudium perturbari poſsit. lib. 6. cap. 25.
Beatis abſunt mala omnia. 224 10. & 16.
Beatis Deus eſt omnia. 224. 11. & 24.
Beatitudo eſſentialis in quo propriè conſiſtat. 221, 14.
D. Beatitudinibus. lib. 3. cap. 24.
Bigamia triplex. 165. b. 20.
Bonum per ſe cognoſcitur. 11. b. 2.
Bonum integrum quod ſit. 61. b. 22.
In Bonum ſupernaturale, homo naturaliter nihil poteſt. 60. 3.

C.

CAuſa quadruplex. 30. b. 17.
Cauſa duplex intrinſeca extrinſeca. 30. b. 19.
Centrum cœli duplex. 45. 1.
Chriſma quibus conſtat. 179. b. 4.
Chriſtus quid nobis meruerit. 80. b. 17.
Chriſtus an plus meruerit in morte quàm in incarnatione. lib. 5. cap. 14.
Character quid. 118. 13.
Characteris in ordine impreſsio. lib 5. cap. 13.
Characterem ſacramenta quæ imprimant. 123. 1.

Charitas appropriatur Spiritui ſancto. 7. b. 1.
Chriſmatis vſus in tribus ſacramentis. baptiſmo, & confirmatione, & vnctione extrema, ſi vngat Epiſcopus. 121. 23.
Chriſma, quid. 120. b. 15.
Chriſma quid ſignificet. 121. 2.
D. Charitate. lib. 3. cap. 19.
Charitas duplex. 88. b. 11.
Charitas quid ſit. 88. b. 17.
Charitatis pręſtantia. 89. 8.
Charitas eſt ordinata. lib. 3. cap. 20.
Charitatis ſunt gradus. 91. 1.
Charitas an diſtinguatur à gratia lib. 3. cap. 28. Et cap. 29. tollitur grauis inſtantia.
Chriſtus eſt genitus creatus et factus. 68. 8.
Chriſtus habet omnia quæ habet Deus, & omnia quæ habet homo. 68. 23.
Chriſtus operatur ſecundum vtramq; naturam. 68. b. 8.
Chriſtus nouum modum habuit operandi. 69. 18.
Chriſtus vt homo an ſit ſuppoſitum. lib. 3. cap. 5.
Chriſtus an ſit filius adoptiuus. lib. 3. cap. 6.
Chriſtus an ſit creatura. lib. 3. cap. 7.
Chriſtus an profecerit ſapientia. lib. 3. cap. 8.
Chriſtus eſt caput ſancti membra. 73. b. 3. & 74. 5.
Chriſtus vt homo an adorandus. lib. 3. cap. 9.
Chriſtus cur orauit. 76. 1.
Chriſtus ſaluator eſt. lib. 3. cap. 10. Et cap. 11.
Chriſtus quo modo ſumpſit ſacramentum. 131. b. 21.
Chriſtus ſeipſum bis obtulit. 133. 21.
Chriſtus quando venire voluit. 112. 1.
Chriſtus eſt caput Eccleſię vide 103. b. 4.
Chriſtus dicitur, ideſt vnctus, & quare. 178. 16.

Chriſtus fons gratiæ,& omnis ſpiritualis alimoniæ. 123. 21.
Chriſtus in vltima cœna ſeipſum exhibuit. 123. b. 8. Et quale exhibuit. 128. b 12.
Chriſtus totus in ſacremento ſub alterutra ſpecie continetur. 126. b. 6.
Chriſti corpus duplex. 156. 6.
Chriſti humanitas duobus modis conſideratur. 74. b. 17.
De Chriſti merito. lib. 3. cap. 12.
In Chriſto duæ naturæ & vnum ſuppoſitum. lib. 3. cap. 3.
In Chriſto fides & ſpes. 88. 23.
In Chriſto defectus humanæ naturæ. lib. 3. cap. 4.
Circunciſio cur & quando inſtituta. 111. b. 8.
Circunciſio an conferat gratiam. lib. 4. cap. 3.
Circunciſionis ceſſatio. lib. 4. cap. 11.
Circuncidebantur maſculi, non femellę. 107. 4.
D. Clauibus. lib. 4. cap. 33.
Citatio quid ſit. 200. b. 19.
Citatio fieri debet tribus edictis. 200. b. 20.
Citatio ad iudicium triplex. 200. b. 21.
Citatio prima. 200. b. 21. Et 201. 12. Secunda 201. 17. Tertia. 201. b. 1.
Cœlum empyreum cur ſic dictum. 34. 10.
Cœlum tripliciter. 42. b. 20.
Cœlum tripliciter conſiderari. 44. b. 11.
Ex Cognoſcente, & cognito paritur notitia. 5. 17.
Compræhendere quid. 1. 9.
Compræhendere eſt Deo proprium. 6. 1.
Concupiſcentia mala ducit originem ab ignorantia. 54. 6.
Concupiſcentia carnis peccatum eſt, ideſt ortum habet à peccato. 176. b. 15.
Confeſsio peccatori neceſſaria. 138. 4. & 17.
Confeſsio facienda coràm. 138. b. 8.

Confeſsio

Confeſsio quandoq; iteranda. 142.25.
Confeſſarius quomodo ſua vti debeat poteſtate. 146.b.1.
Confeſſoris ſtudium quo dirigendum eſt. 149.b.2.
D. Confeſsione. lib.4.cap.28.
Confeſsio quid. 137.4.& 14.
Confeſsio triplex. 137.7.
Confiteri quando quis poteſt laico. 137.b.15.
Confiteri quando quis debet. 138.7.& b.1.
Confidentia quid. 87.25.
Confirmatio in malo, aut bono quid ſit. 37.b.19.
D. Confirmatione. lib.4.cap.16.
Confirmationis materia. 120.b.14.
Confirmatio an ſit baptiſmate præſtantior. lib.4.cap.17
Confirmari, qui negligit peccat m. 122.b.8.
Confirmationis miniſter. 121.b.16.
Coniunctio viri cum muliere qualis. 167.b.3.
Inter Coniuges an ſine culpa poſsit eſſe commixtio. lib.5.cap.21.
Conſequens ſimpliciter neceſſarium non ſequitur ex antecedente contingenti. 11.b.24.
Contemplamur nos quandiu volumus. 5.b.2.
Contingentia in effectu vnde ſit. 12.14.
Contradictoria non poſſunt eſſe ſimul vera. 13.4.
Contradictoria non habent rationem verbi. 13.4.
Contritio, & attritio differunt. 136.b.16.
Contritus quis. 136.b.7.
Ad Contritionem quæ moueant. 136.b.21.
D. Contritione. lib.4.cap.27.
Contritio quid. 135.b.18.
Contritio debet eſſe perpetua. 136.23.
Creatio eſt voluntaria. 31.18.
Creatio non eſt æterna. 31.20.

Creatio

Creatio eſt à tota trinitate. lib. 2. cap. 3.
D. Creatione rerum corporalium. lib. 2. cap. 3.
Creatura non poteſt eſſe de ſubſtantia Dei. 5. b. 18.
Creatura omnis vertibilis. 35. 16. & 36. 11.
D. Creatura rationali. lib. 2. cap. 4.
Creauit Deus ex ſua bonitate. 32. b. 10.
Creatura eſt effectus diuinæ bonitatis. 4. 21.
Creaturæ principium eſt Sanctiſs. Trinitas. 4. b. 3. & b. 12.
In Creatura qualibet eſt veſtigium Trinitatis. 4. 7.
Creata omnia ſimul. lib. 2. cap. 10. Et 21. 15. & deinceps.
Creata ſimul quattuor. 33. b. 9.
Creatura duplex. 30. 18.
Creare quid ſit. 30. b. 15.
Creare eſt ſolius Dei. 29. b. 17.
Credere trifariam. 86. 22.
Corpora vitiata glorificandorum correcta reſſurgent. 209. 18.
Corpora damnatorum incorruptibilia erunt, non autem impaſsibilia. 214. 14.
Corpora damnatorum an cum deformitatibus reſſurgent. 214. 17.
Corporalia ſunt in loco ſecundum dimenſionem. 13. 16.

D.

Deus æternus. lib. 1. cap. 14.
Deus iuſtus. 19. b. 7.
Deus dat omnia omnibus. 10. b. 9.
Deus de nouo aliquid ſcire non poteſt. 11. 12. & 21. b. 21.
Deus de nouo non poteſt aliquid velle. 21. b. 20.
Deus eodem modo cognouit facienda quo facta. 11. 15.
Deus eſt centrum mundi. 45. 3.
Deus eſt extra prædicamentum. 27. 3.
Deus eſt immobilis. lib. 1. cap. 13.

Deus eſt omnipotens. lib. 1. cap. 11.
Deus omnia nouit. lib. 1. cap. 10.
Deus eſt, quicquid in Deo eſſe dicitur. 18. b. 8. 9 10. 12. 17. & 19. 2.
Deus eſt rerum omnium principium. 3. 5.
Deum eſſe eſt notiſsimum. 9 13.
Deum eſſe res omnes dicunt. 9. 15.
Deus ſola voluntate operatur. 44. 13.
Deus immenſus eſt. lib. 1. cap. 9.
Deus impermutabilis. 10. 20.
Deus incognitus. lib. 1. cap. 8.
Deus in diuina eſſentia omnia intelligit. 22. b. 1.
Deus non eſt in loco. lib. 1. cap. 12.
Deus nihil mali vult. 12. 22.
Deus non eſſet, Deus ſi ſeipſum non comprehenderet. 1. 8.
Deus penes quid vnus eſt. 3. 10.
Deus penes quid eſt trinus. 3. 12.
Deus quid ſit, ignotiſsimum eſt. 9 23.
Deus quid ſit, quomodo intelligimus. 9. b. 3.
Deus quid ſit. 10. 5.
Deus quia omnipotens, aliqua dicitur non poſſe facere. 12. b. 14.
Deus res creauit, non pro virtutis ratione, ſed pro voluntatis arbitrio. 41. 20.
Deus ſimplex eſt. 14. 20. & 19. 4.
Deus ſolus habet immortalitatem. 14. 24.
Deus ſua immobilitate mouet cuncta. 14. b. 13.
Deus vnus eſt. lib. 1. cap. 2.
Deus vnus, & trinus. lib. 1. cap. 3.
Deus vnus verè eſt. 19. 11.
Deus vbique per eſſentiam, potentiam, & preſentiam. 13. b. 18.

D. Deo dicuntur nomina, quæ imperfectionem non includunt. 16. 10.
Dei notitia intuitiua. 11. 20.
Dei notitia abſtractiua. 11. 22.
Dei notitia bonorum. 11 23.
Dei notitia malorum. 11. b. 1.
D. Deo multa addiſcere naturaliter homo poteſt. 2. 8.
In Deo vna natura & tria ſuppoſita. In Chriſto vnum ſuppoſitum & tres naturæ. 68. 4.
Deum ſuper omnia naturaliter amare poſſumus. 88. b. 14.
Dei domus nos ſumus. 173. b. 5.
Deum eſſe natura docet. 26. 7.
Deum eſſe in uia per creaturas cognoſcimus. 121. 21.
Deo nihil reſiſtit. 12. 23.
Deo & creaturæ nihil commune vniuocum. 17 b. 3.
De Theologia. 1. 7.
Dominatio plurium non bona. 26. 22.
Dicere pro generare. 5. 21.
D. Diacono. lib. 5. cap. 4.
Dies in principio Geneſis vnde ſumitur. 44 23.
Diligendum in homine. 90. b. 19.
Diligere Deum aliquos magis, aliquos minus. 91. b. 1.
Dona ſeptem Spir. ſancti ſunt adiutoria, & perfectiones ſeptem virtutum. 92. 7.
Dona Sp. s. ad ſalutem ſunt neceſſaria. 95. 20.
D. Donis Sp. s. lib. 3. cap. 21. & 22. & 23.
Dotes animæ ſunt excellentiſsimæ ipſius animæ qualitates. 220. b. 12.
D. Dote claritatis. 219 20.
D. Dote impaſsibilitatis. 219 7.
D. Dote agilitatis. 219 25.
Dos tentio penes quid attenditur. 220. b 17.

Dotes tres animæ tribus virtutibus theologicis ſuccedunt. 220. b. 22.
Dotes tres animæ quæ propriæ ſint. 220. b 24.
D. Dote ſubtilitatis. 219. b. 18.
Dotibus omnibus quattuor vſus eſt Chriſtus apud nos exiſtens. 220. 7.
Dotes tres animæ. 220. b. 3.
Dos fruitio penes quid attenditur. 220. b. 16.
Dos viſio penes quid attenditur. 220. b. 10.
In Dote viſionis beatitudo maximè conſiſtit. 221. b. 19.
Per Dotes intellectus creatus ad cognoſcendum quid ſit Deus eleuari non poteſt. 221. 18.

## E.

ECcleſia Chriſti vna eſt. 164. 3.
Effectus cauſam refert. 85 b. 19.
Effectus quilibet habet ſuam cauſam. 30. b. 22.
Effectus productio triplex. 31. 1.
Effectuum, effectionum, & efficientium tria genera. 31. 10
Emanationes diuinæ duę. 4 b. 8.
Ens omne aut creator, aut creatura eſt. 29. b. 15.
Ens quod habet propriam & abſolutam eſſentiam poteſt habere propriam exiſtentiam. 30. 21.
Epiſcopus qualis eſſe debeat. 161. b. 16.
Epiſcopus excomunicatus an ordinem conferat. 166 b. 2.
Epiſcopi ſunt ſucceſſores Apoſtolorum. 163. b. 16.
Epiſcopi ſunt ſuarum Eccleſiarum Epiſcopi, Summi vero Pontificis Suffraganei. 164. 1.
Epiſcopum ſublimiorem vel inferiorem non facit potentia diuitiarum, aut paupertatis humilitas. 163. b. 7.
Eſſe rei cuiuslibet eſt diuinæ eſſentiæ participatio. 22. b. 3
Eſſentia diuina omnem veritatem, & omnem entitatem

tem continet. 22.20.
Eſſentia diuina vna numero in tribus eſt. 34.b.21.
Eua cur de latere facta. 43.b.1.
D. Eua. lib.2.cap.15.
Euangelij prædicatio an toto orbe ſit facta. 191.b.25.
Euchariſtia cur cibus. 123.20.
Euchariſtia dicitur etiam ſacrificium. lib.4 cap.25.
Euchariſtiæ materia. 123.b.4.
Euchariſtiæ an panis ſit azimus vel fermentatus. 124.5.
Euchariſtiæ neceſsitas. 151.8.
De Euchariſtiæ ſacramenti inſtitutione. lib.4.cap.23.
Euchariſtiæ ſacramentum trifariam ſumi poteſt. 131.9.
Euchariſtiæ ſacramenti gemina res eſt. 132.b.5.
Ad Euchariſtiam non niſi præparatus accedat. 130.25.
Excommunicationis abſolutio præcedit peccatorum abſolutionem. 143.12.
Exercitatio trifariam. 107.9.
D. Exorciſta. 153.b.19.

F.

FAcere quid ſit. 31.7.
D. Fide. lib.3.cap.16.
Fides differt à ſpe. 88.3.
Fides eſt vna. lib.3.cap.17.
Fides eſt ſpes aliquo modo in beatis. 88.9.
Fides Theologica quid ſit. 84.b.18.
Fides trifariam ſumitur. 84.b.6.
Fides videtur, non ea, quæ ſunt fidei. 85.21.
Fides vna eſt communis nobis, & antiquis patribus. 85.b.13.
D. Filio. lib.1.cap.6.
Filius à patre habet, qnidquid habet. 6.7.&7.3.
Filius aſſumpſit carnem ſtatim vt concepta fuit. 66.16.

Filius aſſumpſit veram carnem. 66.b.7.
Filius Dei incarnatus. lib.3.cap.2.
Filius Dei quomodo ſibi vniuit naturam humanam. 71.5.
Filij Dei miſsio, qualis. 14.4. Et 65.13.
Filius dicitur imago patris, non ad imaginem. 46.b.21.
Filius eſt à patre per modum naturæ & intellectus. 5.12.
Filius eſt ex patre, & de patre. 6.5.
Filius eſt æque potens vt pater, & ſi filium non genuit. 28.17.
Filius non eſt poſterior patre. 6.b.3.
Filius eſt à patre. 4.12. 4.b.10.
Filius eſt natus, naſcitur, & eſt naſciturus. 6.b.25.
Filium eſſe de patre quid. 6.12.
Filium eſſe minorem patre quomodo intelligendum. 28.b.15.
Filius habet, quidquid habet pater. 7.5.
Filij incarnationem operata eſt trinita. 65.b.16.
Filij miſsio fuit eius incarnatio. 65.13.
Filius poteſt dici principium deitatis. 4.16.
Filius patris ſapientia & virtus dicitur. 6.b.10.
Filij quales fuiſſent, ſi Adam non peccaſſet. 49.b.15.
Filij an peccatis parentum grauentur. 62.b.4
Filius ſolus carnem aſſumpſit. 65.14.
Filius totam humanam naturam aſſumpſit. 66.3.
Firmamentum cur ſic dicitur. 39.b.24.
Firmamentum diuidit aquas ab aquis. 40.7.
Fœmineus ſexus non vitium eſt ſed natura. 208.11.
Fornicatio propter quam coniunx coniugem dimittere poteſt, quæ ſit. 174.b.5.
D. Fortitudine dono. 93.17.
D. Fructibus. lib.3.cap.25.
Fruitio quid ſit. 221.b.14.

Gaudium

G.

Gaudium duplex. 87.16.
Generatio non eſt opus niſi naturæ. 31.24.
D. Gloria animæ. lib. 6. cap. 24.
Glorioſæ animæ dotes tres. 216. b. 3.
Glorioſę animę dotes premium ſubſtantiale dicuntur. 218. b. 4.
D. Gloria corporis. lib. 6. cap. 23.
Glorioſũ corpus oculus nõ glorioſus videre poteſt. 198.10
Glorioſi corporis dotes premium conſubſtantiale dicuntur. 218.22.
Glorioſi corporis dotes quattuor. 218. b. 2.
Glorioſi corporis dotes ponit Apoſtolus. 118. b. 16.
Glorioſa corpora penetrare poſſunt non glorioſa. 220. 6.
Glorioſa corpora quattuor præſtantiſsimis qualitatibus prædita. 218.20.
Glorificatorum dotes ſeptem ſunt. 218. b. 1. & 6.
Græci cur in fermentato conficiunt. 124. 8.
Gratia comparatur aquæ. 64. 18.
D. Gratia gratum faciente. lib. 3. cap. 27.
Gratia gratum faciens diuiditur. 99. 15.
Gratiæ gratum facientis effectus quinq;. 100. 5.
De Gratia gratis data. lib. 3. cap. 26.
Gratia multifariam dicitur. 97. b. 9.
Gratia gratis data ad gratiam gratum facientem eſt ordinata. 97. b. 18.
Gratiæ gratis datæ cur nouem. 98. 2. b. 21.
Gratia omnis à Chriſto. lib. 3. cap. 31.
Gratia contingit homini per tria. 104. 4.
Ad Gratiam an creatura aliquid facit. 104. 20.

H.

D. Homine ad imaginem Dei facto. lib. 2. cap. 13.

Homo

Homo extra paradiſum factus in paradiſo eſt poſitus. 48.4.
Homo in vtero virginis ſimul conceptus eſt & aſſumptus. 66.16.
Homo multa poteſt naturaliter addiſcere de Deo. 2 8.
Homo tempore menſuratur. 14.b.18.
Homo cur vltimo loco formatus. 45.7.
Homin. theologia acquiſita,& infuſa. 1.b.21.
Hominis via duplex. 64.10.
Hominis ad Deum imago. 46.12.
Hominem verum Chriſtus aſſumpſit. 66.b.7.
In homine,cui exhibetur gratia,duo fiunt. 104.16.
An homo liberari poterat à peccato aliter quàm per mortem Chriſti. lib.3.cap.11.
Homines cuncti in ſua conceptione habent ſui corporis perfectionem,& quomodo. 207.b.16.
Hominum theologia triplex. 1.b.11.
Hominum theologia acquiſita. 1.b.12.
Hominum theologia infuſa. 1.b.14.

I.

IDæa eſt rei exemplar in Deo,ab imitatione, & participatione diuinæ eſſentiæ ſumptum. 22.b.7.
Ideæ & multæ ſunt,& vna. 22.b.11.
Ieſus ideſt ſaluator. 178.b.10.
Ignorantia peccati pœna. 54.8.
Impoſsibile fieri non poteſt. 13.1.
Indulgentia triplex. 176.15.
Infans prius pollutus,quam natus. 59.15
Infinitum eſt quidquid eſt in infinito. 19.b.2.
D. Inferno. lib.6.cap.21.
Infernus vbi ſit ignoratur. 215.3.
In Inferno manſiones multæ ſunt. 215.10.
In Inferno omnes ingenti & perpetua pœna torquebũtur. 215.13.

In Inferno damnati an peccare poſsint. 215. 14.
In Inferno damnati vermem per peccatum ſunt habituri. 215. 24.
In Inferno nulla indulgentia. 215. b. 6.
In Inferno nullum gaudium. 215. 8.
In Inferno damnati poſſunt videre beatos ad diem Iudicij vſq;. 215. b. 12.
In Inferno damnati an videant quę circa nos agantur. 215. b. 18.
In Inferno duo principalia tormenta. 216. b. 4.
In Inferno innumeræ pœnę. 216. b. 11.
Inimicorum dilectio. 90. b. 21.
Ignis illucuſque aſcendet quouſque in diluuio aſcenderunt aquæ. 210. 20.
D. Inge quo mundus cõflagabitur quid tandem fiet. 210. b 16
D. Intellectu diuino. lib. 1. cap. 20.
Intellectus diuinus ſemper intelligit. 21. b 13.
Intellectus diuinus idem ſemper intelligit. 21. b. 19.
Intellectus vnus in tribus perſonis. 21. b. 23.
Intellectns naturaliter mouetur ab obiecto. 5. 14.
Intellectum inter & rem intellectam,& ipſam intellectionem diſtinctio eſt. 5. b. 7.
Iudex omnium opera appendet in ſtatera. 203 21.
Iudex erit Chriſtus. 197. 22.
Iudex ſuper qua ſede ſedebit. 197. b 5.
Iudex in qua forma iudicabit. 197. b. 19.
Iudicis ſententia. 204. b. 2.
Iudicis ſententia ad quem modum erit. voce an ſigno. lib. 6. cap. 19.
Iudicis ſententiam effugere nemo poterit. 203. 1.
Iudicium an die erit vel nocte dubitatur. 196. 16.
Iudicium præcedit cauſæ cognitio. 203 b. 8.

Iudicium vniuerſale exactiſsimum erit. 190. b. 17.
Iudicium vniuerſale cur erit ſi in articulo mortis iam eſt anima iudicata. 213. b. 7.
Iudicium vniuerſale ſigna aliqua præcedent, quorum vnum. 191. 12. Alterum. 191. 22. Tertium. 191. b. 2. Quartum. 191. b. 10. Quintum 191. b. 18. Sextum 192. b. 5.
Iudicium Dei de homine triplex. 188. 6.
Iudicium Dei de homine dum in via eſt, valdè eſt occultum. 188. 13.
Iudicium Dei de homine in termino vitæ eſt occultum. 188. b. 9.
D. Iudicio vniuerſali. lib. 6. cap. 6.
Iudicium vniuerſale iudicium abſolutè dicitur. 190. b. 14.
D. Iudicij loco & iudice. lib. 6. cap. 9.
Iudicij tempore reprobi in terra erunt iuſti in aere. 197. 19.
Iudicij tempus. 196. 5.
D. Iudicij citatione, & iudicandis. lib. 6. cap. 11.
Iudicij determinatum tempus ſciri non poteſt. 196 9.
Iudicio vniuerſali omnes aſtabunt. 190. b. 20.
D. Iudicij accuſatione & ſententia. lib. 6. cap. 12.
Ante iudicium an morientur qui ſupererint. lib. 6. cap. 13.
Cum Iudicio erit comflagratio mundi 195. b. 9. & quare. 195. b. 23.
Iudicio vniuerſali ſigna quattuor proximiora lib. 6. cap 7. Quorum vnum 193. b. 17. Alterum, quod multa includit ſigna. 194 9. quo loci quindecim ſigna hebræorum ponuntur, & horum vnum. 194. 21. Alterum. 194. 25. Tertium. 194. b. 2. Quartum. 194. b. 3. Quintum. 194. b. 3. Sextum 194 b. 4.

b. 4. Seeptimum. 194. b. 4. Octauum. 194. b. 5. Nonum. 194. b. 10. Decimum. 194. b. 14. Vndecimum. 194. b. 23. Duodecimum. 195. 1. Decimumtertium. 195. 4. Decimumquartum. 195. 8. Decimumquintũ. 195. 9. Tertium. 195. 14. Quartum. 195. 23.
Iudicaturi ſunt ſancti,& quomodo. 199. 1.
Iudicandorum ordines quatauor. 203. 3.
In Iudicio aliter boni & aliter mali Chriſtum videbunt. 198. 21.
In Iudicio Crux ab Angelis afferetur. 199. b. 2.
In Iudicio afferentur columna claues, corona, ſpinea, lancea, ſpongea, harundo, & flagella. 200. 1.
In Iudicio an Pater, & Spiritus ſanctus iudicaturi ſint. 200. 6.
Cum Iudicio vniuerſali quæ erunt. lib. 6. cap. 8.
In Iudicio multi erunt accuſatores. 203. b. 4. vnus. 203. b. 15. alter 203. b. 18. tertius. 203. b. 22. quartus 204. 1. quintus. 204. 3. ſextus. 204. 12.
Iudicio boni à malis ſeparabuntur. 202. b. 8.
In Iudicio mali etiam ab inuicem ſeparabuntur. 202. b. 14.
In Iudicio an ſententia in reprobos fiet ſine miſericordia. 212. 2.
In Iudicio ſententiæ cauſam reddere videtur dominus, ſuper qua eſt dubitatio vna. 212. 15. altera imo aliæ quattuor tanguntur & ſoluuntur. lib. 6. cap. 20.
Poſt Iudicium mundi machina innouabitur. 217. 3.
Poſt Iudicium ſtabunt corpora cœleſtia immota. 217. 22.
Poſt Iudicium quis erit lucis ſyderum vſus. 217. b. 17.
Poſt Iudicium an ſuffragijs animæ poterunt adiuuari. lib. 6. cap. 14.
In Iudicio an conflagratio ſanctis viris ſit pœnam aliquam allatura. 206. 13.

In Iudicio an cœlum & terra ſint igne conſummanda. 210. 15.
In Iudicio an peccata omnium fient omnibus manifeſta. 211. 9.
In Iudicii ea, quæ fient, an fient in inſtanti. 210. b. 6.
In Iudicio conſcientia cuiuſque nota fiet omnibus. 202. 12.
Poſt Iudicium an erit prælatura aliqua. 216. 11.
Iuſtitiæ eſt ſua cuique diſtribuere. 19. b. 8. dub. 20. 11.
Iuſtitia originalis quæ. 56. 16. & 57. 17.

L.

Laicus ſub altera tantum ſpecie communicat. 127. b. 1.
Libertas non ſeparatur à voluntate, & intellectu. 35. 12
D. Libero arbitrio. lib. 2. cap. 22.
Liberi arbitrij ſtatus quadruplex. 60. 9.
Libertas triplex. 60. b. 11.
D. Lectore. 153. b. 3.
Loqui Deum quid ſit. 44. 10.
In loco eſſe bifariam. 13. 12.

M.

Malum cognoſcitur per bonum. 11. b. 5.
Malum eſt boni priuatio. 11. b. 3. & 61. b. 15.
Malum non poteſt eſſe niſi in bono. 61. b. 11.
Malum bono ſemper coniunctum. 62. 1.
Malum culpæ triplex. 110. 14.
Malum pœnæ quadruplex. 110. 16.
Mala creatura Deo auctore non eſt. 37. 23.
Mala prima voluntas vnde ortum habuit. 61. 22.
Maritus ad vxorem quattuor de cauſis accedere poteſt. 177. 4.
Marito pio an liceat vxorem adulteram retinere. 174. 16.
Materia rerum corporalium multis modis nominatur. 39. 16.

Materia formarum receptaculum. 39. b. 7.
Materia de ſe eſt ignota. 39. b. 9.
Materria eſt fundamentum naturæ. 43. 10.
Materiam ad lucem diſponunt artifices. 43. 17.
D. Matrimonio. lib. 5. cap. 15.
Matrimonium quid. 167. 13.
Matrimonium vnde dicitur. 167. 16.
Matrimonium dupliciter. 167. 20.
Matrimonium quid ſignificat. 167. 7.
Matrimonium duplex, legitimum tantùm, & legitimum & ratum, & de forma vtriuſq;. 171. b. 1.
Matrimonium approbauit Chriſtus. 172. b. 10.
Matrimonium inſtituitur tum ad officium tum ad remedium. 173. 3.
Matrimonium an melius quàm cœlibatus. 178. 13.
Matrimonium verum inter Mariã & Ioſeph. lib. 5 cap. 20.
Matrimonium cur factum ſit inter Mariam & Ioſeph ſi ex eorum concubitu non erat Chriſtus naſciturus. 175. 14.
Matrimonij bona tria ſunt. 173. 12.
Matrimonij finis. 172. 6.
Matrimonij miniſter. 172. 17.
Matrimonij inſtitutor. 172. 20.
Matrimonij impedimenta declarãtur, lib. 5. cap. 16. & cap. 17
D. Matrimonij forma, fine, miniſtro, & inſtitutore. lib. 5. cap. 18.
Matrimonij ſacramentum. 173. 23.
Matrimonij nexus maximus. 173. b. 11.
In Matrimonio legitimę perſonæ requiruntur, & quæ ſint. 168. 10.
Matrimonij tres termini. 167. 11.
In Matrimonij ſeparatione par ius in viro eſt, & in muliere. 174. 8.

In Ma-

In Matrimonio duplex intelligi poteſt ſeparatio. 174. 1.
In Matrimonio debitum exigere aliquando prohibitum eſt reddere nunquam. 177. 3.
In Matrimonio notanda nonnulla. lib. 5. cap. 19.
In Menſura duo quantitas & qualitas. 14. b. 19.
Menſuræ quantitas menſurati quantitatem metitur. 14. b. 21.
Menſurati qualitas qualitatem menſuræ declarat. 14. b. 22.
Menſurati tres modi. 15. 4.
Meritum triplex. 184. b. 17.
Meritum congrui quod ſit. 184. b. 18.
Meritum congrui impropriè meritum dicitur. 185. 3.
Meritum duplex eſſentiale accidentarium. 80. 15.
D. Merito digni. lib. 6. cap. 2.
Meritum digni ſuffragium appellatur. 186. 17.
Meritum digni impropriè meritum dicitur. 185. 13.
Meritum digni quod ſit. 184. b. 20.
Meritum condigni meritum propriè dicitur. 185. 17.
Meritum condigni quod ſit. 184. b. 22.
Meremur de condigno tantum in via. 185. b. 5.
D. Merito Chriſti. lib. 3. cap. 12.
Mereri Deus non poteſt. 79. b. 14.
Miraculi ratio eſt potentia facientis. 48. 19.
Miſericordiæ effectus alios effectus excedit. 21. 8.
Miſeria habet ortum à peccato. 61. 8.
Miſſæ ſacrificium deffunctis prodeſt. 186 b. 6.
Ad Miſſæ valorem aſtantes aliquid faciunt. 121. b. 21.
Motus corporis non poteſt eſſe in inſtanti. 219. b. 11.
Motus localis à quo remouetur, omnis motus remouetur. 14. 12.
Mulier à viro doceatur. 49. 8.

Mundus.

Mundus non eſt æternus. 30. 4.
Mundus triplex. 32. 14.
Mundi innouatio penes quid attenditur. 217. 9.
Muſtum in altari vitandum eſt. 125. 19.
Mutatio triplex mirabilis. 127. 3.
Mutabilitatis tres cauſæ. 15. 9.

N.

NAtura corrumpit perſonam. 58. b. 5.
Neceſsitas aliqua eſt in omni effectu. 11. b. 11.
Neceſſarium ex ſuppoſitione ſimpliciter eſt contingens. 12. 12.
Nomina quæ imperfectionem non includunt, prædicantur de Deo. 16. 10.
Nomina aliqua, quæ imperfectionem includunt, aliquo modo dicuntur de Deo. 16. 14. & 16. b. 4.
Nomina aliqua dicuntur de Deo ex tempore. 24. 21.
Nomina, vnus, plures, diſtinctio, ſolus, & eiuſmodi quid in Deo ſignificent. 26. b. 2.
Notiones quinque. 4. b. 20.
D. Notione ingenitum. 4. b. 25.
Notio quid. 5. 3.

O.

OLei effectus. 182. 5.
Opus operatum, & opus operans quod ſit. 108. 12.
Operi iuſto miniſtri prauitas parum obeſt. 186. b. 9.
Opera noſtra bona bifariam ſumi poſſum. 212. b. 3.
In operibus ſex dierum eſt ordo naturæ. lib. 2. cap. 11.
Opificium præcedit materia. 42. b. 14.

D. Ordine

D. Ordine. lib. ſ. cap. 1.
Ordo dupliciter. 151. b. 8. Et 159. b. 1.
Ordo quid. 151. b. 12. & 22.
Ordo ſummus ſacerdotium. 155. b. 18.
Ordines omnes ad vnum tendunt. lib. 5. cap. 7.
Ordines tantum ſeptem. lib. 5. cap. 8
Ad Ordines ſeptem ſint ſacramenta. lib. 5. cap. 9.
Ordines plurimi ſacramentum vnum. 152. 6.
Ordines ſeptem cur. 152. 20.
An Ordines qui eligendi. 52. b. 5.
D. Ordinibus minoribus. lib. 5. cap. 2.
D. Oſtiario. 153. 8.
In Ordine caracteris impreſsio quando fiat. lib. 5. cap. 13.
In Ordinandis aliqua eruditio requiritur. 166. 24.
D. Ordinis ſubſtantia quinque ſunt. 165. b. 2.
Ordinis impedimenta plura. Aetas. 165. b. 7. Homicidium. 11. Saltus. 17. Bigamia. 20. Vitium corporis. 166. 3. Seruitus. 5. Peregrinitas. 6. Neophytia. 8. Illegitimatio 9.
Ordinum plurium ſimulitas. 166. 11.

P.

Panis in ſacramento qualis lib. 4. cap. 18. 123. b. 4. & 14.
Panis conuerſio in corpus tantum, ex vi ſacramenti; vini in ſanguinem tantum. 126. b. 11. & 127. 14.
D. Paradiſo. lib. 6. cap. 22.
In Paradiſo concubuiſſent parentes, ſi &c. 49. b. 7.
Parentibus primus peccatum dimiſſum fuit. 63. b. 5.
Paſcendi oues poteſtas collata eſt vni Petro. 163. b. 15.
Paſsiones principales quattuor. 86. b. 13.
D. Patre. lib. 1. cap. 5.
Pater eſt principium totius deitatis. 4. 14.
Pater eſt principium ſine principio. 4. 15.

Pater & genitor non ſunt nomina ſynonima. 114. b. 21.
Pater maior filio quomodo. 28. b. 15.
Pater non eſt ſapiens ſapientia genita. 6. b. 13.
De peccato. lib. 2. cap. 17.
Peccatum quid ſit. lib. 2. cap. 18. & 56. 2.
Peccatum duplex. 56. 9.
Peccatum originale quid. 56. b. 2. & 57. 2. & 11. & 57. b. 25.
Peccatum originale eſt iniquitas humanæ naturæ. 51. 13.
Peccatum originale propagatione transfunditur. 59. 1.
Peccatum Adæ malorum noſtrorum omnium fuit initium. 51. 1. & 55. 24.
Peccatum mortale præcedit tentatio. 51. 2.
Peccatum & delictum differunt. 51. b. 22.
Peccatum, vitium, & crimen differunt. 51. b. 17.
Peccatum naturæ aduerſatur. 70. 5.
Peccatum lucerna impiorum. 53. b. 1.
Peccatum ſtimulus mortis. 53. b. 3.
Peccatum hominem facit infernum. 53. b. 6.
Peccatum retentum impedit pœnitentiã. 136. 12. & 142. 3.
Peccatum liberæ voluntatis corruptela dicitur. 52. 20.
Peccatum duplex. 52. b. 1
Peccatum mortale duplex. 52. b. 5.
Peccatum aut nihil aut priuatio eſt. 52. b. 10.
Peccatum tribus impletur. 53. 4.
Peccatum Deus remittit, tegit, &c. 53. 12.
Peccatum clamare. 53. 18.
Peccatum Adami vnde ortum eſt. 54. 17.
Peccatum voluntarium eſt. 55. 14. & 56. b. 24.
Peccatũ Adami origo eſt omniũ noſtrorũ peccatorũ. 55. 24
Peccatum actuale duplex. 56. 12.
Peccatum actuale contra diſtinguitur originali. 56. 19.

Peccati diffinitio. 52. 2.
Peccati eſt menſura. 53. 23.
Peccati remiſſio eſt per Chriſtum. 63. b. 11.
Peccati vnum principium, duæ radices, tria fomenta. 53. 8.
Peccati perpetratio. 52. b. 23.
Peccato natura non eſt corrupta ſed vitiata. 59. 20.
Peccato temporali cur pœna perpetua debeatur. 214. b. 11.
Peccato nihil vilius. 215. 1.
D. Peccati cauſa prima, & ſubiecto. lib. 2. cap. 23.
Ad peccatum tria. 51. b. 6.
D. Peccato originali. lib. 2. cap. 20.
D. Peccato Adæ. lib. 2. cap. 19.
Peccator, nec proficere, nec ſtare diù poteſt. 59. b. 6.
Peccare non poſſe habet Deus ex natura, Beati per gratiam. 60. b. 7.
Peccata quomodo Deus tollit. 144 19.
Peccata remiſſa an redeant. lib. 4. cap. 38.
Peccata venialia an confitenda. 149. b. 7.
Peccata materia pœnitentiæ dicuntur. 140. 7.
Peccata propria tantum quilibet confiteatur. 140. 13.
Peccata iudicandi poteſtas moderata. 142. 2.
Peccata an à ſacerdote remittantur. lib. 4. cap. 35. & ſequenti.
Peccatorum remittendi poteſtas fuit Petro principaliter data. 141. 9.
In Peccatorum remiſſione alijs Apoſtolis Petrum prætulit Chriſtus. lib. 4 cap. 37.
Perfectio ſimpliciter quid. 17. 12.
Permiſſio de quibus ſit. 176. 16.
Perſona diuina eſt ſubſtantia cum relatione. 5. b. 10.
Perſona cur in plurali dicitur de Deo. 25. 25.
Perſonę nomine ſæpe relatio intelligitur. 26. 8.

Perſona quælibet diuina eſt in qualibet. 19. 20.
Perſona quælibet poterat incarnari. 65. b. 5.
Perſona quælibet eſt ita Deus plene, vt ſunt omnes ſimul. 4. 20.
Perſona vna non eſt pars trinitatis. 27. b. 6.
Perſona corrumpit naturam. 58. b. 4.
Perſona diuina quælibet ſibi intelligit, & ſibi vult. 22. 8.
Perſona diuina quælibet eſſentiam comprehendit. 22. 17.
ſic dicere quid ſit. 22. 18.
D. Perſonæ nomine. lib. 1. 22. vide. 24 b. 2.
Perſonæ nomen ſubſtantiam ſignificat. 24. b. 24.
Perſonæ in trinitate ſunt æquales. 28. 22.
Perſonæ diuinæ ſunt diſtinctæ. 3. 13.
Perſonæ diuinæ vnum ſunt. 3. 14.
Perſonæ diuinæ penes quid ſunt diſtinctæ. 3. 17.
Perſonæ diuinæ tres. 3. b. 16. 4. b. 2. 8. 22.
Perſonæ tres dicuntur tres hypoſtaſes, tres ſubſtantię, tria ſuppoſita. 5. 6.
Perſonarum productio eſt neceſſaria. 5. b. 13.
Perſonarum proceſsio inexplicabilis. 5. b. 16.
Perſonas diuinas tres eſſe omnipotentes, & eiuſmodi locutiones patres aliqui admittunt. 3. b. 4.
Philippis vrbs eſt Macedonię. 161. 12
Pœna duplex, damni & ſenſus, & quæ vtraque. 189. 20
Pœna purgatorij grauior eſt qualibet pœna huius mundi, 190. 8.
Pœna ab homine in via voluntariè ſuſcepta, quamuis parua, eſt Deo gratior, quàm quælibet pœna Purgatorij. 190. 10.
Pœna purgatorij varia eſt. 190. 16.
De pœnitentiæ ſacramento. lib. 4. cap. 26.
Pœnitentia peccatori neceſſaria. 134. 1. & 18.

Pœnitens quærat confeſſarium ſufficientem. 149. 2.
In pœnitentia proprius ſacerdos quis. 142. 11.
Pœnitens non æque abſoluitur à culpa & à pœna. 143. 20.
Pœnitentem tres ſunt, qui ſoluunt. 145. 10.
Pœnitentia eſt ſacramentum. 134. 9.
Pœnitentia dicitur ſecunda tabula. 134. 20.
Pœnitentia iteratur. 134. b. 3.
Pœnitentia quid. 134. b. 5.
Pœnitentia multifariam diuiditur. 134. b. 14.
Pœnitentia Dei. 135. 12.
Pœnitentia iniuncta confitenti per ſe non ſufficit. 77. b 13.
Pœnitentia liberat quamuis ſera. 149. 16.
Pœnitentia infirmanti quomodo iniungenda. 149. b 5.
Pœnitentiæ materia 135. b. 11. & 136. 4. & cur ex trib. conſtat. 136. 10
D. Pœnitentiæ forma. 135. b. 13. & lib. 4. cap. 34.
Pœnitentiæ materia cur ex tribus conſtat. 136. 10.
Pœnitentia tardanda non eſt. lib. 4. cap. 39.
D. pœnitentiæ miniſtro. lib. 4. cap. 31.
D. pœnitentiæ inſtitutione. lib. 4. cap. 32.
D. pœnitentiæ forma. lib. 4. cap. 24.
Potentia appropriatur patri. 7. b. 2.
Poteſtas eccleſiaſtica duplex. 159. 15. & 163. 3.
Poteſtas ordinis qualis. 163. 4.
Poteſtas iuriſdictionis qualis, & cui data. 163. b. 11. & 164 10
Poteſtas ordinis quid reſpiciat. 163. 4.
Poteſtas iuriſdictionis quid reſpiciat. 163. 8.
Poteſtas iuriſdictionis à Spiritu ſancto per Petrum, ſiue per ſummum Pontificem diſpenſatur. 164. 10.
Poteſtatis ordinis actus maximus. 163. 10.
Poteſtatis iuriſdictionis actus maximus quis. 163. b. 12.

Prælato prauo exiſtente populus deſolatur. 191. b. 24.
Presbyter an idē ſit quòd Epiſcopus. lib. 5. cap. 11. & cap. 12
Presbyter diſtat ab Epiſcopo. lib. 5. cap. 12.
Præſumptio quid. 87. b. 1. & 25.
Præceptum de Deo diligendo quomodo in hac vita impletur. 89. b. 18.
Principia prima duo non ſunt. 30. 6. & 12.
Priuatio ſequitur habitum. 44. 2.
Priuatio alicui poſitiuo ſemper innititur. 52. b. 22.
Priuatio non cognoſcitur niſi per habitum. 11. b. 4.
D. Purgatorio. lib. 6. cap. 4.
Purgatorium eſt, & quare. 189. 1. & 8.
Purgatorij pœna duplex. 189. 20.
Purgata anima ſtatim ad cœlum euolat. 190. b. 3.

Q.

Qualitas eſt terminus alterationis. 14. b. 19.

R.

Rationalis creatura cur facta. 32. b. 13.
Rectum eſt iudex ſui & obliqui. 53. 25.
Relatio triplex, numeri, potentiæ, & menſuræ. 24. 23.
Relatio numeri & potentiæ eſt mutua & realis, non ſic menſuræ. 24. b. 2.
Relatio Dei ad creaturam eſt rationis. 24. b. 10.
Relationes quattuor in perſonis diuinis. 4. b. 14.
Relationes diuinæ proprietates perſonales dicuntur. 4. b. 18.
Relationes perſonales nullam dicunt perfectionem. 17. 2.
Relationibus perſonę diuinæ diſtinguuntur. 5. 8.
Reproborum dolor. 202. b. 19.
Reſurectio mortuorum eſt articulus, cui fides multum innititur. 201. b. 20.
An reſurgemus cum noſtris corporibus. lib. 6. cap. 15.
Reſurget corpus noſtrū quo ad totā ſuā ſubſtātiā. 206. b. 14.

Reſurgent corporis partes, non tamen ad eaſdem omnes, ad quas prius. 207. 4.
Reſurgemus qua ætate, & ſtatura. lib. 6. cap. 16.
Reſurecturas fœminas in ſexu fœmineo aliqui negarunt. 208. 1.
An Reſurgent fœtus abortiui, monſtra, & corpora vitiata. lib. 6. cap. 17. ad primam dubitationem 208. b. 1. ad ſecundam. 209. 2. ad tertiam. 209. 18.
Reſurectionis an ſit aliqua cauſa. lib. 6. cap. 18.
Reuelatio de quo fiat. 2. 7.
Reuelatio eſt ex diuina miſericordia. 2. 23.

S.

D. Sacerdotio. lib 5. cap. 5.
Sacerdos fit ſenex. 155. b. 21.
Sacerdos vnde dicitur. 156. 4.
Sacerdos ſummus in lege veteri ſingulari conſecratione conſecrabatur. 162. b. 6.
Sacerdos ſimplex, & Epiſcopus & Papa corpus Chriſti, in altari æqualiter conficiunt. 163. 13.
Sacerdos malus conficit. 129. b. 7. vide 130. 1.
A Sacerdote malo an liceat audire miſſam. 130. 11.
Sacerdos qualis debet eſſe. 157. b. 8.
Sacerdos eſt mediator inter Deum & homines. 158. b. 3.
Sacerdotis præcipua munera. 157. 12.
Sacerdotium duplex. 156. 12.
Sacesdotij gradus, vita, miniſter. lib. 5. cap. 6.
D. Sacramentis in vniuerſali. lib. 4 cap. 1.
Sacramentum quid. 105. 19. & 106. 13. & b. 12. & 109. 19.
Sacramentum nullum recipitur ſine baptiſmo. 112. b. 23.
In Sacramento quolibet tria ſignificantur, paſſio, gratia, & gloria. 108. b. 17.
Sacramenta nou. leg. vim habent ex paſſione Chriſti. 111.

111.b.18. & 116.b.3.
Sacramenta antiqua cum nouis quomodo conueniant. 112.b.21.
Sacramenta quæ caractérem imprimunt, non ſunt iteranda. 122.16.
Sacramenta aliqua cur caracterem imprimant. 122.b.2.
Sacramentum non eſt iterandum quomodo intelligitur. 183.21.
Sacramenta non ſunt omnia eodem modo neceſſaria. 150.b.11. quædam etiam prętermitti poſſunt. 151.15.
Sacramenta aliqua fuiſſent, ſi in innocentia homo perſeueraſſet. 109.b.4.
Sacramenta cur ſeptem. 109.b.16. & 110.9. & b.9. & 23
Sacramenta legis naturæ. 111.18.
Sacramenta nou. leg & vet. differunt. 107.14.
Sacramenta conſtant materia & forma. 108.b.7.
Sacramentorum vſus. lib. 4. cap. 2.
D. Sacramentorum inſtitutione. lib. 4. cap. 6.
D. Sacrament. nou. legis numero. lib. 4. cap. 5.
In Sacris ordinibus conſtituti ſi caſtè non vixerint, ab omni graduum dignitate ſunt excludendi. 161.14.
S. Scripturæ loca, quæ Deo noui aliquid tribuunt quomodo exponenda. 200.b.1.
Sancta Scriptura per reuelationem tradita eſt. 1.b.23.
Sapientia appropriatur filio. 7.b.2.
Sapientia humana eſt ſtultitia apud Deum. 18.1.
Sapere debemus ad ſobrietatem. 5.b.21.
D. Satisfactione. lib. 4. cap. 30.
Satisfactio quid. 138.b.21.
Satisfactio trifariam fit. 139.b.7.
In Satisfactione requiritur gratia. 139.20.

Satisfacere

Satiſfacere poteſt vnus pro alio. 139.b.14.
Scientia quomodo remanebit in patria. 91.16.
Non omnis omniſcientia arguit omnipotentiam. 74.b.6.
Scientia Dei, & hominum infert aliquam neceſsitatem, ſed non tollit contingentiam. 12.b.5. & 12.1.
Segnities quid. 87.b.7.
Stupor quid. 87.b.12.
Signum quid. 105.b.12.
Signum triplex. 105.b.15.
Societas vera non eſt in malo opere. 48.b.8.
Sol ſuo motu peragit diem &c. 40.25.
De Spe. lib.3.cap.18.
Spes quid. 87.b.19.
Spes de quibus ſit. 88.1.
D. Spiritu ſancto. lib.1.cap.7.
Spiritus ſanctus ſumitur bifariam. 7.12.
Spiritus ſanctus tertiam perſonam ſignificat. 7.21.
Spiritus ſanctus mittitur, ſed aliter quàm filius. 65 18.
Spiritus ſanctus eſt à patre & filio. 4.14. & 4.b.11. & 7 b.6.
Spiritus ſanctus æqualis eſt patri & filio. 29.9.
Spiritus ſanctus eſt amor ſiue dilectio. 8.12.
Spiritus ſanctus non eſt patre, & filio poſterior. 8.b.1.
Spiritus ſanctus non eſt magis à patre quàm à filio. 8.b.10.
Spiritus ſanctus quidquid habet, habet à patre, & filio. 8.b.16.
Spiritus habet omnia, quę habent pater & filius. 8.b.18.
Spiritus ſanctus aliter procedit quàm filius. 9.1.
Spiritui ſancto appropriatur charitas. 7.b.1.
Spiritum ſanctum procedere à filio ſecundum Græcos. 7.b.19.
A Spiritu ſancto nulla perſona ducit originem. 4 b.1.
Spiritualia ſunt in loco ſecundum definitionem. 13.17.

D. Subdiacono. lib. 5. cap. 4. 155. 7.
Subdiaconi non ſit mentio in ſacris literis. 161. 5.
Subdiaconatus inter ſacros ordines. lib. 5. cap. 10.
Et 162. 12.
Subſtantia creata triplex. 30. b. 6.
D. Suffragio. lib. 6. cap. 2.
Suffragium eſt quadruplex. 186. 19.
Suffragium quale ſit. 186. b. 2.
Suffragium quibus defunctis prodeſt. 186. b. 12.
Suffragia multa an diuiti plus proſint quàm pauca pauperi æquè bono. lib. 6. cap. 9.

T.

In Templo Ieruſalem idolum poſitum fuit. 192. b. 9.
Templa multa Cæſari Herodes erexit. 192. b. 11.
Tentatio primorum parentum. 50. 13.
Tentatio triplex. 51. 4.
Tentatio mala duplex. 51. 13.
Tentatio interna duplex. 51. 16.
Terra cœlum præcedit aliquo modo. 44. 17.
Terremotus vniuerſalis non fuit niſi in paſsione Domini, nec erit niſi in Iudicio vniuerſali. 191. 7.
Terror quid. 87. b. 13.
Theologia quæ dicatur. 1. 1.
Theologia triplex. 1. 5.
Theologia Dei. 1. 7.
Theologia angelorum duplex. 1. b. 3.
Theologia naturalis angelorum eſt præſtantior ea, quam naturali ratione venati ſunt philoſophi. 1. b. 5.
Theologia hominum triplex. 1. b. 11.
Theologus inter quæ ſcripta verſari debet. 2. 24.
Timor duplex & alia multa ibidem. 94. 11.
Tonſura quid. 152. b. 12.

Tranſubſtantiatio. 127. 1. & b. 15.
D. Trinitate. lib. 1. cap. 4.
Trinitatis veſtigiũ eſt in qualibet creatura. 47. & 45. b. 22
imago in ſola rationali.
D Trinitatis nomine. lib. 1. cap. 24.
Trinitatis opera ſunt indiuiſa. 32. 4. & 66. b. 24 & 60. 1.
Triticum & frumentum differunt. 123. b. 18.

V.

Velle in Deo dicit eſſentiam, velle autem hoc vel illud, non. 24. 6.
Verecundia quid. 87. b. 8
Verecundia differt ab erubeſcentia. 87. b. 11.
Veſtigium quid. 46. 8.
D. Vino altaris. lib. 4. cap. 19.
Virtutes Cardinales cur ſunt ſic appellatæ. 82. b. 21.
Virtutes aliquæ ſunt apud ethnicum, quæ non ſunt apud chriſtianum & è contrà. 83. 7.
Virtutes Cardinales an permaneant in patria. 83. b. 10.
Virtutis eiuſdẽ an poſſint eſſe plures habitus. lib. 3. cap. 30.
Virtutis acquiſitæ ſignum. 93. b. 3.
Virtutes theologicæ, cur theologicæ dicantur. 95. b. 5.
Vita æterna & merces eſt, & gratia. 212. b. 21.
D. Vnctione extrema. lib. 5. cap. 23.
Vnctio extrema cur ſic dicatur. 179. b. 15.
Vnctio extrema ſacramentum eſt. 179. b. 19.
Vnum eſt. 181. b. 18.
Vnctio extrema quando danda. 180. 16.
Vnctio extrema an ſeni decrepito petenti ſano ſit danda. 180. b. 6.
Vnctio extrema iterari poteſt. 183. 17.
Vnctio in eccleſia duplex. 179. 5.
Vnctio extrema in infirmitate & mortis periculo

ſine

ſine peccato negligi non poteſt. 179. 20.
Vnctionis extremæ tres effectus. 183. b. 6.
Vnctionis extremæ finis. 182. 15.
Vnctionis extremæ miniſter. 180. b. 9.
Vnctionis materia. 181. b. 22.
D. Vnctionis extremæ inſtitutione. lib. 5. cap. 15.
D. Vnctionis extremæ forma. lib. 5. cap. 24.
Ad Vnctionem extremam quæ faciant. 180. 7.
Per Vnctionem extremam quæ peccata remittantur. 182. 19.
Vnctione extrema vſi ſunt Apoſtoli. 182. b. 20.
In Vnctionis extremæ forma cur Eccleſia vtatur verbo deprecatiuo. 181. 6.
Vnguntur partes illæ corporis, quæ peccati ſunt cauſæ. 181. b. 13.
Vnum ex multis fit tripliciter. 67. b. 11.
Vnum verè quod ſit. 2. 9.
D. voluntate diuina. lib. 1. cap. 21.
Voluntas increata inuertibilis. 35. 16.
Voluntas diuina ſemper vult, & idem, 21. b. 14.
Voluntas vna in tribus perſonis. 21. b. 23.
Voluntas diuina aliquando plurali numero enunciatur. 22. b. 20.
Vxores plures an habere liceat. lib. 5. cap. 22.
Vxores plures Lamech primus habuit. 177. 22.
Vxores plures habuit Abraam, & Iacob. 177. b. 1. 11. 23.
Vxores plures ſancti caſtius habebant quàm nunc vnam multi Chriſtiani. 178. 1.

FINIS.

# PRÆTERMISSA.

121. b. 3. Poſt erubeſcat. (adde) Et in vnctione extrema ad quorundam opinionem Epiſcopus 95. diſt. c. Illud ſuperfluum.

122. b. 9. Vbi dicitur. neceſsitate præcepti (lege) neceſsitate ſalutis, ſed præcepti.

164. 3. Suffraganei (adde) id eſt in partem ſollicitudinis aſſumpti.

187. b. 22. Vbi dicitur. legatus hoc facit (lege) legatus, ſiue miniſter hoc facit.

# EMENDATA.

| | | |
|---|---|---|
| 2. b. 22. | βασιλεύς | βασιλεύς. |
| 26. 23. | quaquam | quoquam. |
| 26. b. 19. | exclure. | excludere. |
| 35. 18. | ſic. | ſic. |
| 44. 24. | terniæ. | tertiæ. |
| 49. 4. | ex. | eſt. |
| 60. 1. | qua. | quia. |
| 86. 1. | ſpiritus. | ſpirituum. |
| 87. b. 19. | examinationē | exanimationem. |
| 125. b. 2. | diſt. 2. | diſt. 1. 1. |
| 143. b. 3. | ſacerdotem | ſacerdotes. |
| 143. b. 14. | cap. xxxiiii. | cap. xxxv. & deinceps vſq; ad finem libri. |
| 145. 25. | omne | omnes. |
| 153. b. 1. | inuenit. | inueniet. |
| 151. 7. | Titum. | Timoth. |
| 161. 18. | ſanguine | ſanguinem. |
| 180. 23. | ſalutiferi. | ſalutifero. |
| 198. 19. | ſuis. | ſui. |

F. Thomas zobbing ſacri palatii magiſter.

30

5-1

30